BIBLIOTHECA
WARMONDANA

134 F
C
39

Dono dedit
Illmus ac Revmus Epus Harl.
C. J. M. Bottemanne.

135 C 24

SUPPLEMENTUM

DE SCRIPTORIBUS

VEL

SCRIPTIS ECCLESIASTICIS

A BELLARMINO OMISSIS,

Ad annum 1460, vel ad Artem Typographicam inventam.

Collectore F. CASIMIRO OUDIN, Presbytero Veteris Instituti Ordinis Præmonstratensis.

PARISIIS,
Apud ANTONIUM DEZALLIER, viâ Jacobæâ, sub signo Coronæ Aureæ.

M. DC. LXXXVI.

Cum Approbatione & Privilegio.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/supplementumdesc00oudi

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

CAROLO-MAURITIO TELLERIO,

ARCHIEPISCOPO

AC DUCI REMORUM,

PRIMO FRANCIÆ PARI,

GALLIÆ BELGICÆ PRIMATI, &c.

MULTUM vereor, ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL, *ne gravem apud cordatos viros notam temeritatis incurram, qui tam exiguum Opus tam insigni Galliarum Archiepiscopo offerre præsumam. Quis enim Ego, nullius homo nominis, ut adeam clarissimum Ecclesiæ Præsulem, quem doctrina eximia commendat, quem æqua Ecclesiasticæ Disciplinæ Censura formidandum malis prædicat, publica florentissimi Galliarum Regni officia celebrem reddunt, quem demùm assidua Fidei Orthodoxæ defendendæ propagandæque studia terribilem Heterodoxis ubi-*

que enuntiant. At quotquot hominem me ab offerendo Opuſculo deterrere debuerant, ea ſunt omnia, quæ ſi quando nutantem, confirmare deberent atque compellere. Quò minus enim Opuſculum eſt, eò majori Patrono indiget; quò incultius, eò doctiorem expoſtulat præſtantioremque Tutelarem: quò magis denique contradictioni eſt obnoxium, eò protectionem firmiorem perpetuamque ambit. Ea eſt Opuſculi, quod ſcribere aggreſſus ſum, natura, ut intrepidum, invictum imò protectorem exoptet, qui grandi auctoritatis pondere cenſuras ab eo omnes arceat, iras compeſcat, tempeſtates amoveat. Dixi hanc eſſe naturam, Supplementi de Scriptoribus vel Scriptis Eccleſiaſticis à Bellarmino omiſſis. *Nam inter Auctores quos complectitur, plures ſunt de quibus à multis retro ſæculis non modicæ contentiones ſunt, quas docti utrinque viri gravibus conjecturis ac rationibus amplectuntur. Has porrò dirimere lites, componere diſcordias, difficultatum nodos ſolvere, quis ſibi præſumat? Imò quis undique non timeat, aut non ſuccumbat, oppreſſus adverſariorum numero ac mole, quos quotidie noſtris temporibus, veteres querelæ ſuarum aſſertionum Patronos ardentiſſimos aſſequuntur. Agente hodiernorum hominum deplorandâ nequitiâ, ut qui certis modis in-*

Quirunt ſollicitantque conteſtationes ſopiri, Pacem iniri: ambarum partium inimicitias in ſe provocent, dicteria alliciant, contemptus atque injurias congregent, atque hoc unicum pacificæ voluntatis ſuæ referant emolumentum. Alii prætereà ſunt, qui tribus aut quatuor abhinc ſæculis, alienis ditati Scriptis, apud omnes poſteriorum temporum Scriptores magnì audiunt, longiſque dilatantur Operum ſyllabis; hos aliquando nos ad nuditatem uſque exuimus, vix quicquam invenientes proprium ipſorum, quo legitimè contegerentur, illorumque confuſioni ex paupertate improviſa parceremus. E contra Scriptores alii hùcuſque ignoti, velut è ſepulchris oblivionis, aut ex perpetui ſilentii latebris ſubitò erumpentes, ibi colliguntur plurimi: quibus ad vitam ſuſcitandis impar omnino ſum, niſi potentiſſimâ voce tuâ, ILLUSTRISSIME ANTISTES, *evocentur, manu educantur, protectione compareant, patrocinio, ſuffragio, eruditione fulciantur. Plurimi ex illis, manuſcripti tantùm in obſcuris diverſarum Bibliothecarum angulis, inter cartæ aut pergameni carie corroſas paginas eò uſque mortui, quorum nulla penè memoria apud viros etiam Litteratos: qui impoſterùm ſub auſpiciis* vigilantiſſimi Archiepiſcopi Mauritii Tellerii, *prodibunt in publicum vivi, imò ovantes atque triumphantes, reſti-*

tuti in bonis ſuis, quæ tempus edax rerum, aut invidia litteraria abſtulerant, jam divites his libris ac liberis quos ex Minerva ſuſcepe-rant. Grandi igitur protectione indigent e uſ-modi Lazari (ut ſic loquar) è ſepulchris ſuis ſuſcitati, qualem noſcunt ſinguli in Ampliſſi-mo Primate Galliæ Belgicæ, qui omnes ſingu-lari benignitate admittit, doctos viros huma-nitate Archiepiſcopali fovet atque amplecti-tur, omnium ſtudia promovet: ac qui quan-tam doctis viris amicitiam gratiamque oſten-dit, tantam abſque dubio mortuis & è tumu-lis ſuis jam reſurgentibus, ob labores egregios ſuos Eccleſiæ impenſos, benevolentiam prote-ctionemque ſuam præſtabit. Hæc ſunt, ILLUS-TRISSIME ARCHIEPISCOPE, *quæ me movent, ut opem tuam implorem, qua tutum Opuſcu-lum ad exteras etiam Nationes Telleriani no-minis ac virtutis venerativas, imperterritum ibit. Illud quidem modicum Amplitudini tuæ impar, ſed abſque dubio maximæ meæ in te venerationis indicium: quod nullatenus aſ-pernabitur, qui omnes etiam abjectiſſimæ ſor-tis perſonas æquo animo, hilarique vultu ad-mittit, verbis erigit, protectione ab oppreſſio-nibus vendicat. Accedit porrò convenientiæ juſtitia. Natus enim in ea Provincia, cui Me-tropolitanus præes, oriundus ex Urbe Metro-politica quæ te Primatem colit atque admira-*

tur, cui potissimùm primitias laborum nostrorum qualescumque obtulissemus, quam summo Antistiti, quem jure divino humanoque veneramur. Nullâ illic cunctatione, nullâ deliberatione Opus fuit, cùm illi à quo vitam Christianam habuimus, leges Canonicas audimus, totum quidquid possumus, debeamus. Debemus omninò, ac præterea immensas Divinæ Bonitati gratias, quæ singulari suâ providentiâ te vigilantissimum huic amplissimo Archiepiscopatui providit Antistitem, te sollicitum omnium hujus Provinciæ Inspectorem ac Provisorem, te indefessum pristinæ per longam anteriorum Episcoporum absentiam corruptionis, ejusque inveteratæ Extirpatorem. Ex quo enim Illustrissimus Ecclesiæ Remensi Archiepiscopali Mauritius præsidet, nullus jam nescit, quàm insigni morum ornatu Ecclesiastici fulgeant, quos ut plurimùm anteà fœda criminum multorum labes, indignos ministerio suo ac vulgari plebi contemptibiles effecerat. Quàm fervens Archipræsulis in discolos & indisciplinatos Dei Ministros Censura sit, palam ex eo, quòd vix improbus quis audeat in Archiepiscopatum Remensem vel inferre pedem: quantò minùs illic commorari. Qui è contra insolitæ pietatis famâ celebres sint, vel profunda Scientiarum studia cum probitate coluerint, ab Amplissimo Archiepiscopo amentur, prote-

gantur contra malevolos, ſtipendiis foveantur, atque ad majores ſubinde Eccleſias adminiſtrandas, juxta primævum & Apoſtolicum Eccleſiæ ſanctæ morem, vel inviti aſſumantur. Ita ſanè abſque adulatione ulla, nullus iſtarum Regionum, hæc neſcit. Jam quanto nitore, quanto ornamentorum apparatu, ſollicitante Archiepiſcopo in ſuarum Viſitationum decurſibus, Templa Paræciarum fulgeant, quantis diteſcant argenteorum Calicum ac pixidum opibus: reſciunt illi tantùm, qui Antiſtitem in ſuis laboribus inſequuntur, eorumque omnium Regeſta adſervant. Plurimæ, illæque à fundamentis erectæ in oppidis ac pagis Eccleſiæ, ex mandato & auctoritate Illuſtriſſimi Primatis, ubi Divina ceſſaverant ab annis benè multis: quas bellicus furor per omnem Remorum Provinciam atrociſſimè graſſatus, ſolo tenus æquaverat, quibus ſuſcitandis denegante opem Tellerio, Ruſticana paupertas inſufficiens erat. Abſit verbo invidia, unus ac ſolus expectabatur Mauritius, qui communes has Archiepiſcopii ruinas curis ſuis repararet, damnis & incommodis ingenti poteſtatis ſuæ pondere mederetur ac ſuppetias ferret. Moribus Cleri compoſitis, ornatis erectiſque Eccleſiis. unum reſtabat ad perfectam Provinciæ diſpoſitionem ac formam, prudens ac moderata Hæreſis Calvinianæ in extremis

hujuſce Diœceſeos partibus jamdudum triumphantis profligatio ac ſuppreſſio; quæ Illuſtriſſimum Antiſtitem ſtrenuum Chriſti Eccleſiæ Ducem, ac verum Mauritium proferret. Atque hoc ipſum eſt, quo ſe ſummum ac pluſquam Mauritium oſtendit, illuſtriſſimus Remenſis Archiepiſcopus ac Primas. Quâ enim Fidei puritate excellit, eadem apud Chriſtianiſſimum Regem agens, obtinuit ſuppreſſionem Sedanenſis Calviniſtarum Collegii, ubi peſſima doctrina ac florentiſſimo Galliæ Regno exitialis Secta, palam in Scholis docebatur. Hæc tamen ampliorum tantùm præludia. extinctis namque Calvinianis Scholis, favente Ludovico XIV Rege Chriſtianiſſimo piis Archiepiſcopi Tellerii conatibus: profanum tandem Sedani Calviniſticæ opinionis Fanum Edicto Regio ſexto nonas Julii dato inhibitum, ritibus illorum novis ad Suburbium inferius, ædeſque ibidem novas conſtruendas, ex Regia benignitate tranſlatis. Cedet porrò commodus hic locus in ſacras Catholicæ Fidei ædes proximis Januarii Kalendis, Archipræſule adſtante ac repurgante, ut ubi hæretica olim doctrina arcem tenebat, illic ſub glorioſo Tellerii Pontificatu amandatis errorum monſtris, orthodoxa antiqua Fides exerat caput, triumphumque concinat. Hæc cùm publica ſint, quid mirum quòd tot laudes atque encomia inſigni Fidei Ortho-

doxæ Assertori, Hæreseos Debellatori, Ecclesiarum Reparatori, excessuum atque Canonum infractorum Vindici conscribantur? Quod illi à viris doctis, temporumque nostrorum Scriptoribus, tot volumina dedicentur, quod tot gratiarum actiones à Diœcesanis reddantur? Atque ampliora merentur eximiæ Archipræsulis dotes ac curæ in Rempublicam Christianam, assiduæ in commissam sibi Provinciam & Ecclesiam sollicitudines. Hæc docti viri Provinciarum etiam externarum agnoscunt, hæc scribunt in tuorum meritorum gratiam, ILLUSTRISSIME ANTISTES: *idem ego ex justitiæ debito, factus intra commissam tibi in solidum Dominici gregis portionem Christianus*

F. CASIMIRUS OUDIN,
Presbyter Ord. Præmonstratensis.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

POllicebatur ab aliquot annis Vir doctissimus circa materiam Scriptorum Ecclesiasticorum Philippus Labbeus Societatis Jesu, specialem Dissertationem de Scriptoribus Ecclesiasticis, quos Robertus Bellarminus non attigerat. Hoc sanè non præstitit vir laboriosissimus, qui multa ad id Operis collegerat: vel morte interceptus, vel utilioribus aliis ad commodum Rei Litteratiæ occupatus negotiis ac studiis. Atque utinam id complevisset! haberemus haud dubium, conformem spei nostræ operam ornatam, ordinatam, eruditam, perfectam: qualia sunt penè omnia profecta à tanto viro, qui multas atque amplissimas excusserat Bibliothecas, Gallicas potissimùm, cui proinde nullus aliquantæ æstimationis Scriptor ignotus esse poterat; imò nulla ferè cujuscumque Scriptoris impressio. Cùm itaque hoc Opus nobis deesset, venit in mentem mihi, colligere atque ornare aliquas Notas, quas lectitando variis ex locis collegeram, ad privatum commodum, juvandamque memoriam. Hæc cùm volverem anxius ac revolverem, addidit stimulos vacillanti Amicus quidam meus, quo tandem urgente admovi manum operi, apud me cum blattis mansuro, uti statueram. Fateor ob innumeram Scriptorum multitudinem, singulos à me non attingi, quis enim id possit? Maximè sæculis XV, XVI, XVII, ubi nulla

ferè Orbis Christiani Natio est, quæ non Autho-
res peperierit, ad ingens volumen Nomenclaturâ solâ
idoneos. Fuisset igitur hoc propositum laboriosum
simul ac superfluum, quin & impossibile successu,
quod tot Erroribus Nævisque ob locorum distan-
tiam, impossibilemque totius Christianismi noti-
tiam, scateret: ut vix inculpatam paginam Docti,
ac Multi hujus temporis Critici reperissent. Omis-
sis igitur sequioribus Ecclesiæ sæculis, ordior ab
ejus ortu, progressurus usque ad sæculi xv me-
dium vel circiter, quo Typographica Ars in Eu-
ropam summo Doctorum omnium bono prognata
est, quo maximè tempore cessant in antiquis Ec-
clesiarum Cathedralium, Academiarum, Abbatia-
rumque Bibliothecis Manuscripti Codices, quos
in multis ejusmodi locis excussi. Non tango Scri-
ptores Ecclesiasticos, quos Bellarminus & Lab-
beus recensent, nisi ex occasione, nempe vel quia
sæculo aut loco non suo collocati sunt, quod cor-
rigendum fuit: vel quòd alia quædam illorum
Opera mihi cognita sunt, quæ temporibus illo-
rum nondum lucem aspexerant, quod recensen-
dum fuit: vel denique ob nonnulla Manuscri-
pta, quæ mihi Latinas potissimùm volventi Bi-
bliothecas occurrerunt, in itineribus paucis ad id
susceptis. Cæteros de quibus nihil mihi novum di-
cendum occurrit, intactos linquo. Quantum por-
rò ad alios, quorum apud ipsos silentium, paucis
perstringo, ut Opusculi nomen salvum sit. Si enim
tentassem uniuscujusque Scriptoris recensere pa-
triam, studia, occupationes, conditiones, offi-
cia, fortunas, annos vitæ, & alias quaslibet hu-
jus stadii circunstantias: quilibet Scriptorum, vel
eorum quamplurimi, seorsim uni Opusculo huic

æquali ſuffeciſſent. Tantumque abeſt, ut hæc ſcribendi ratio Lectoribus grata fuiſſet, vel Amico rem à me hanc expoſcenti; quin plures ab Opuſculo legendo abſtinuiſſent. Paucis ergo multa complector, & eâ diſpoſitione quæ commodiſſima omnibus ſemper viſa eſt, juxta ſucceſſionem ſæculorum & annorum in ſæculis. Si quid aliquando tantiſper ab hoc ordine diſcrepat, ut Auctor unus alterum poſt paucos annos ſequatur, quem totidem annis præcedere debuerat : id parcendum properanti, tanquam minimi vel nullius momenti in Chronologia. Adjeci multos Auctores hucuſque incognitos, notatis eorum Operibus Manuſcriptis, in quibus lateant Bibliothecis : ut ſi quando Docti velint illos eruere è tenebris oblivionis, poſſint id facere, reſcientes, ubinam gentium inveniantur. Nullus etenim dubitat, quin multa etiam manuſcripta Opera ſint, longè præſtantiora multis, quæ ſæpiùs impreſſa ſunt. Denique nonnullas criticæ partes in paucis Scriptoribus excuſſi, ut in Sancto Methodio Patarenſi Epiſcopo, Guillelmo Arverno Epiſcopo Pariſienſi, & aliis, utpote neceſſarias ad hoc ut unicuique ſuum redderetur. Quod & latiùs egiſſem, ſi de clarioribus Eccleſiæ Doctoribus Origene, Auguſtino, Ambroſio, Hieronymo, & cæteris egiſſem, à quibus abſtinui. Omnia porrò Compendio & clarè abſque verborum phalera. Demùm quæ à me ſæpiùs allegata ſunt, Collectanea ſæculo ſuperiori & præſenti evulgata, continentia veteres Eccleſiaſticos Auctores plurimos, quibus multum Eccleſiæ Doctiſque commodum allatum fuit, quorum hæc potiſſima ſunt. Bibliotheca Sanctorum Patrum variis tomis in folio Pariſiis potiſſimùm,

Coloniæ, & Lugduni noviſſimè anno 1677 impreſſa apud Aniſſonios fratres. Auctaria illius Duo, edita curis Franciſci Combefis, ex Editione Græco-latina Pariſienſi annorum 1648 & 1672. Collectaneum inſcriptum, *Geſta Dei per Francos*, anno 1611 Hannoniæ impreſſum duobus tomis in folio, curâ Joannis Bongarſii. Collectaneum variarum Peregrinationum in Orientem anno 1569, Baſileæ in folio impreſſum. Collectaneum Scriptorum Hiſtoriæ Byzantinæ, variis tomis, in folio Pariſiis ab anno 1648 & ſequentibus, ex Typographio Regio impreſſum. Collectanea varia Hiſtoricorum Germaniæ, à variis compacta Scriptoribus diverſorum temporum, à Joanne Piſtorio 1583, Chriſtiano Urſtitio 1585, Marquardo Frehero 1602, 1603, &c. Collectaneum Auctorum qui de Juriſdictione Eccleſiaſtica atque temporali ſcripſerunt, procuratum à Melchiore Goldaſto viro cæteroquin doctiſſimo, ſed hoſte maximo Romanorum Pontificum. Collectaneum Antiquarum Lectionum Henrici Caniſii in quarto, ſex tomis Ingolſtadii anno 1601, & ſequentibus. Collectaneum Hiſtoricorum Franciæ quinque tomis in folio Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy anno 1636 & ſequentibus, curis Andreæ Ducheſnii. Itemque Hiſtoricorum Normanniæ in folio, ibidem anno 1619 ab eodem. Nova Bibliotheca Manuſcriprorum librorum Philippi Labbei duobus tomis in folio anno 1657, apud eundem Cramoſium. Spicilegium D. Lucæ Dacherii tomis tredecim in 4° Pariſiis impreſſum. Miſcellanea Stephani Baluzii, cum Analectis Joannis Mabillonii, Ordinis Divi Benedicti, impreſſa Pariſiis in octavo, variis tomis apud Fran-

ciſcum Muguet & Ludovicum Billanium, celebres Bibliopolas. Bibliotheca Scriptorum Veterum Ordinis Ciſtercienſis, in folio tomis octo, curâ & ſtudio Bertrandi Tiſſier, Prioris Bonifontis in Thieraſcia, ab anno 1662 & ſequentibus, apud Bonum-fontem impreſſa, ſed quæ venalis eſt apud Bernarditas Lutetianos & alibi. Collectaneum Antiquorum Hiſtoricorum Angliæ, qui poſt Bedam præcipui, in folio Londini anno 1596, & Francofurti 1601 curis Henrici Savillii. Itemque aliud inſcriptum, *Anglicarum, Hybernicarum & Cambricarum rerum Scriptores*, à Guillelmo Cambdeno collecti, in folio Francofurti 1603, Vvechelianis Typis: ac tertium *decem Scriptorum* duobus tomis in folio Londini 1652, curâ & ſtudio Joannis Seldeni. Collectaneum Conciliorum Angliæ, duobus tomis in folio, curis Henrici Spelmanni. Collectaneum denique Monaſtici Anglicani, quatuor in folio tomis Londini ab anno 1661 ad annum 1667 editum, & jam ubique cognitum. Collectaneum Hiſpaniæ illuſtratæ, cum Collectaneo Hiſtoricorum Siciliæ & aliis, quæ ob brevitatem prætereo, de quibus ſuis locis ex occaſione loquar. Omittimus etiam Collectaneum Decretalium Antiquarum Pontificiarum Iſidori Mercatoris, Hiſpani, qui ſæculo IX floruit, nimirùm ob evidentem earum ſuppoſitionem, & in evulgando hoc Opere impoſturam. Hanc Orbi Chriſtiano detexit David Blondellus Calviniſta Miniſter integro volumine, Genevæ in quarto edito anno 1628, quem poſtea in hac parte Docti omnes amplexi ſunt, etſi laſquientem Operis titulum improbaverint, *Pſeudo-Iſidori ac Turriani vapulantium*. Poterat ſanè modeſtiùs in hac parte uti

fortunâ suâ Blondellus, qui multis utrumque conviciis insectatur. Hæc sunt ad quæ sæpiùs ego Lectorem mitto, præsertim dum Auctores separatim impressi non extant. Si quis posteà grandius volumen aggredi voluerit; aggratulabor; nec me pœnitebit præiviſſe Compendio, quod privatis meis usibus sufficiens fuit; addo & magis commodum. Unum autem cordi mihi fuit, specialis quædam præcautio, ne quempiam aggrederer hostili modo, acerbéque appellarem, ex his etiam quos aut Calviniſtas, vel Hæreticos appellat vulgus. Licèt enim improbem omnem Hæresim, Sectasque omnes ab Orthodoxa nostra alienas execrer: non possum tamen arridere iis Scriptoribus etiam Orthodoxis, qui egregiè veram Fidem defendiſſe se arbitrantur, dum multa probra, convicia, injurias, ironias, aliaque ejusmodi atræ bilis sputamenta in Hæreticos ad sanguinem usque evomuerint. Tantùm abest ut ejusmodi scommata conducant errantibus ad caulas adducendis ovibus; ut inde magis à legitimo Pastore audiendo alienentur, ab ovili longiùs avocentur; opinenturque non tantùm non esse Orthodoxos, sed nec etiam Christianos, qui mediis his Paganis ac Gentilibus utantur, ad procurandam Christianorum unitatem & Errantium salutem. Si quid igitur acerbum in quempiam etiam Hæterodoxum dictum sit, quòd Caritatem vel humanitatem lædat, dictum non sit. Ingratus autem omninò essem, nisi testarer, per quos potissimùm in hoc Opusculo colligendo profecerim. Horum unus, Domnus Placidus *Porcheron*, vir eruditus atque humaniſſimus, Bibliothecarius Sancti Germani de Pratis, qui locupletem hanc Bibliothecam quotidianis

pro

pro munere ſibi commiſſo ditat acceſſionibus. Hic quidquid in hac ampliſſima Bibliotheca tam manuſcriptum quam impreſſum fuit, effuſo corde, vultu hilari, manu ſemper apertâ, obtulit, ingeſſit; ut parem in altero quopiam experiri unquam humanitatem ac bonitatem, vix ſperare audeam. Alter Stephanus Baluzius, celeberrimæ Bibliothecæ Colbertinæ Præfectus, qui tantus quantus, propriâ etiam manu conſcriptum Syllabum eorum Operum manuſcriptorum, quæ nondum impreſſa ſunt, obtulit, quo novum clareſceret Opuſculum. Effari pauca de illo, grande ſcelus: loqui multa, planè ſuperfluum, cùm nullus in Orbe Litterario tantiſper eruditus ſit, qui Baluzium non noſcat: nulla Bibliotheca quæ libros ab ipſo editos & multitudine & judicio & eruditione inſignes, habere non ambiat, ulniſque ambabus acceptos non amplexetur. Digniſſimus tantâ Bibliothecâ Cuſtos, digna tanto, tamque erudito Cuſtode Bibliotheca. His paucis contentus, plura ſupprimere, ob amborum modeſtiam cogor. Quæ me prælocutum fuiſſe, ſufficiat.

EXTRAIT DU PRIVILEGE du Roy.

PAR grace & Privilege du Roy, donné à Chaville le dix-neuviéme Juillet 1685. signé LE PETIT, & scellé. Il est permis à ANTOINE DEZALLIER, Marchand Libraire à Paris, de faire imprimer, vendre & debiter un Livre intitulé, *Supplementum de Scriptoribus vel Scriptis Ecclesiasticis à Bellarmino omissis, ad annum* 1460, &c. composé par le R. Pere CASIMIRE OUDIN, de l'Ordre de Prémontré, pendant le temps & espace de dix années consecutives, à compter du jour qu'il sera achevé d'imprimer pour la premiere fois : Et défenses sont faites à tous Imprimeurs, Libraires, & autres, de quelque qualité & condition qu'ils soient, de contrefaire, ny faire contrefaire ledit Livre, ny d'en vendre de contrefaits, sous prétexte d'augmentation, correction, & changement de titre ; à peine de deux mille livres d'amende, confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & interests,

comme il eſt plus au long porté par leſdites Lettres.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le onzième Septembre 1685. ſuivant l'Arreſt du Parlement du onzième Avril 1663. & celuy du Conſeil Privé du Roy du 25. Février 1665. Signé; C. ANGOT, Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 15. Janvier 1686.

APPROBATION.

J'Ay lû un Livre intitulé, *Supplementum, &c* dans lequel je n'ay rien trouvé de contraire à la Foy. Fait en Sorbone le 5. Juin 1685.

PIROT.

PERMISSIO SUPERIORUM.

NOs Frater Edmundus Maclot, in Congregatione Strictioris Obſervantiæ Ordinis Præmonſtratenſis Vicarius Generalis, Reverendo Patri Caſimiro Oudin Congregationis noſtræ Canonico Regulari, conſcripta Opera duo; Unum *De Scriptis vel Scriptoribus Eccleſiaſticis à Bellarmino omiſſis, ad annum* 1460. *vel circiter*: Alterum, *Opera Sanctorum Hilarii ac Cæſarii Arelatenſium Epiſcoporum*, collecta in unum omnia, & emendata ad antiquas Editiones & manuſcriptos Codices: præviâ Doctorum Approbatione, typis mandari permiſimus. Pariſiis die 20 Maii anni 1685.

Signatum, F. Edmundus MACLOT
Vicarius Generalis.

Locus Sigilli.

De Mandato R. mei Patris Vicarii Generalis,
F. JOSEPHUS BOURGEOIS, Secretarius.

SUPPLEMENTUM

SUPPLEMENTUM DE SCRIPTORIBUS VEL SCRIPTIS ECCLESIASTICIS à Bellarmino omissis ad annum 1400.

BARNABAS genere Cyprius, qui & Joseph Levites, cum Paulo gentium Apostolo ordinatus unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem Epistolam composuit, quæ inter apocryphas Scripturas legitur. Hic postea propter Joannem discipulum qui & Marcus vocabatur, separatus à Paulo, nihilominùs Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercuit. *Hæc Hieronymus* in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 6. cujus à verbis nostrum de re eadem opusculum ordior. Hanc Epistolam evulgavit primus Græcè & Latinè in 40. Parisiis anno 1645. Cum observatio- 41.

nibus doctissimis ex MSS. Hugo Menardus Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri. Eandem iterùm Græcè & Latinè edidit in 4. Amstelodami anno 1646. Isaac Vossius Gerardi Joannis filius, cum Epistolis Sancti Ignatii ex MS. Codice Bibliothecæ Florentinæ. Denique ipsam & tertius Joannes Baptista Cotelier vir doctus, recensitam Græcè & Latinè inseruit operi suo cui titulus: *Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt*, impressa Parisiis anno 1671. duobus tomis in fol. apud Petrum le Petit, viâ Jacobæâ sub signo Crucis aureæ. Passus est Barnabas in Cypro die ij junij anno circiter 61. vel sequenti.

100. MARTIALIS Lemovicum Episcopus cujus duæ circumferuntur Epistolæ, risu dignæ, fabulis plenæ, quæ legantur omninò indignæ; ut & illius vita ab ejus discipulo Aureliano conscripta, quæ habetur apud Surium. Merces ejusmodi nocent ampliùs Christianæ fidei, quam faveant: nec enim Æsopo indiget Orthodoxa sancta Ecclesia.

100. CLEMENS sanctorum Apostolorum Petri & Pauli discipulus, & post Linum & Cletum Romanus Pontifex ab anno Christi 91. per annos novem, menses sex & dies totidem, usque ad 23. Novembris anni 100. quo in Chersoneso Taurica passus est, primum Christianæ æræ sæculum fœliciter claudit. Amplissimè de eo Bellarminus in suo libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Antonius Possevinus in Apparatu sacro, dum scripta ipsi attributa discutiunt. Quantùm autem ad opera quæ sub nomine sancti Clementis Papæ latitabant aut edita fuerant, nullus qui ea omnia (quantum humanitùs datur) majori curâ evulgaverit & insigniori diligentiâ contulerit ad MSS. Codices

Græcos & Latinos, quàm Joannes Baptista Cotelier Socius Sorbonicus, quæ inseruit Operi suo inscripto : *Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt*, de quo diximus supra in sancto Barnaba. Sunt autem, *Epistolæ duæ ad Corinthios* græcè & latinè tom. 1. pag. 91. *Constitutionum Apostolicarum lib.* 8. græcè & latinè p. 126. *Recognitionum lib.* 10. *interprete Rufino* p. 390 *de peregrinationibus prædicatione & actionibus sancti Petri*, seu *Clementinorum Homiliæ xix.* græcè & latinè p 525. *Clementinorum Epitome* græcè & latinè pag. 749. Et hæc sunt *disputatio Petri & Appionis longo sermone conscripta*, quam Eusebius in 3. Historiæ Ecclesiasticæ volumine coarguit, de quâ Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 15. denique ibidem *Martyrium sancti Clementis* græcè & latinè ex MSS. Regiis pag. 828. Primus autem qui duas Epistolas Clementis ad Corinthios edidit in publicum, hic Patricius Junius Anglus doctissimus, qui eas in 4. Oxonii græcè & latinè anno Christi 1633. obtulit litterario orbi, ex laceris reliquiis vetustissimi Ms. Exemplaris Bibliothecæ Regis Anglorum, præmissis veterum Scriptorum testimoniis, qui de sancto Clemente cum summa laude meminerant, ejùsque Epistolarum fragmenta allegarant.

Ac ne quempiam suâ laude fraudemus, qui præbuerit operam in evulgandis Clementinis operibus; Franciscus Turrianus Soc. Jesu edidit anno 1578. Antuerpiæ in fol apud Plantinum *Constitutionum Apostolorum lib.* 8. *Clementis Romani*; adjunctis ad finem *lxxxv. Canonibus Apostolorum*, ipsomet Francisco Turriano interprete è græco, cum ejusdem *Scholiis & annotationibus* ad confir-

manda Dogmata Orthodoxa contra Hæreticos. Idem opus græcè quoque edidit, additis itidem *græcè ſuis Scholiis, prolegomenis, & explanationibus apologeticis*, Venetiis Typis Jordani Ziletti anno 1563. in 4. *de duabus* autem *ſancti Clementis ad ſanctum Jacobum Fratrem Domini Epiſtolis & de tribus aliis ad diverſos*, eæ habentur in editionibus omnibus Conciliorum Laurentii Surii, Severini Binii, & Philippi Labbei; unde ſuperfluum de his pluribus differere, cum in manibus omnium verſentur, fictæque cenſeantur.

100. DIONYSIUS Areopagita Athenienſium Epiſcopus & Pariſienſium, juxta abbatem Hilduinum ejùſque plurimos ſequaces, de quo Baronius in Martyrologio Romano ad diem 9. octobris & in ſuis annalibus anno 95. Num. 7 & anno 109. Num. 38. & ſeqq; Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 5. & lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſæc. 1. & Martinus Delrio in ſuis Vindiciis areopagiticis. De Dionyſio duæ celeberrimæ quæſtiones ſæculo noſtro agitatæ ſunt, inter viros ex utràque aſſertionis parte doctiſſimos, & hæ tam prolixis profundìſque diſputationibus, ut poſt eos iterum excutere illas, opus vanum atque otioſum ſit. Harum prima quæſtionum, *utrum ſanctus Dionyſius Areopagita Athenienſium Epiſcopus, ſæculo Eccleſiæ primo in Gallias venerit, factùſque ſit & Francorum Apoſtolus & primus Pariſienſium Epiſcopus?* Affirmant Hilduinus in ſuis Areopagiticis, Germanus Milletus ſancti Dionyſiii in Franciâ Monachus Benedictinus, qui ea quæ Jacobus Sirmondus Soc. Jeſu Presbyter Antiquitatis eruditiſſimus indagator contra Hilduini aſſertiones de unico Dionyſio ſcripſerat, confutare & Eccleſiæ Pariſienſis multis à

fæculis traditionem probare integro libro ac prolixo aggreſſus eſt, impreſſo Pariſiis anno 1642. Idem Petrus Halloix Leodienſis Soc. Jeſu, *in illuſtrium Eccleſiæ Orientalis Scriptorum, qui primo à Chriſto ſæculo vixerunt, vitis & documentis*, impreſſis 2. in fol. vol. annis 1633. & 1636. Duaci typis Petri Bogardi. Quod opus inde petitum, extat in editione operum ſancti Dionyſii factâ poſtremò per Balthaſarem Corderium ejuſdem Societatis anno 1634. Idem Martinus Delrio Antuerpianus ejuſdem Soc. *in ſuis Vindiciis Areopagitis* adverſus Joſephum Scaligerum, Antuerpiæ anno 1608. in 8. Idem qui editiones operum ſancti Dionyſii Areopagitæ procuraruntPetrus Lanſſelius Gravelinganus Soc. Jeſu Pariſiis anno 1615. & Balthaſar Corderius Antuerpiæ anno 1634. ejuſdem cum altero Societatis. Idem denique Natalis Alexander Dominicanus, qui omnium argumenta congeſſit, *in Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus* ſæculo 2. diſſertatione xv. ſtant è contra doctiſſimi etiam viri, Jacobus Sirmondus Soc. Jeſu expreſſâ *diſſertatione in qua Dionyſii Pariſienſis & Dionyſii Areopagitæ diſcrimen oſtenditur*, Pariſiis anno 1641. apud Sebaſtianum Cramoiſy in 8. Joannes Launoïus Conſtantienſis in Normannia Presbyter; in opere *De duobus Dionyſiis* prolixo, Pariſiis anno 1642. in 8. apud Edmundum Martinum. Eandémque duorum Dionyſiorum diſtinctionem approbant in ſuis Scriptis, Aubertus Miræus in Annalibus Belgicis, Dionyſius Petavius *in ſuis Theologicis Dogmatibus* & alibi, Andræas Ducheſnius in notis ad Bibliothecam Cluniacenſem & in vitis Romanorum Pontificum, Joannes Morinus in opere *De ſacris Ordinationibus*, denique Franciſcus Boſquetus Lodoven-

sis ac posteaMontispessulaniEpiscopusHistoriarum lib.1.cap.26.de hac quæstione fusè agit idémque adstruit;omnesGalli,Miræo excepto,ìque doctissimi.

Altera quæstio, utrum opera quæ vulgò circumferuntur sub nomine sancti Dionysii Areopagitæ Athenienſis Episcopi; nimirum *De divinis Nominibus, de Cœlesti atque Ecclesiastica Hierarchia, de Mystica Theologia* &c. sint verè germanum Dionysii Areopagitæ opus? Affirmant qui procurarunt editionem dictorum operum Petrus Lanssëlius & Balthasar Corderius annis 1615.1634. Martinus Delrio Antuerpianus & Petrus Halloix Leodienſis, omnes ejusdem Soc. Locis supra dictis; quorum hanc in rem argutè argumenta compendiavit Natalis Alexander Dominicanus, supra citatus *in selectis Ecclesiasticæ Historiæ capitibus* sæculo 2. dissertatione xxi. & ita definit sacra Facultas Theologica Parisiensis tum ad calcem eximiæ suæ censuræ contra Lutherum, tum apertiùs in censura altera quam in Erasmum tulit. Sed alii quamvis fateantur opera ista esse Autoris antiqui, qui vixerit sub finem sæculi Ecclesiæ quarti, vel sub initium quinti, negant tamen firmissimis argumentis esse Dionysii Athenienſis vel Parisiensis Episcopi. Ita Dionysius Petavius *in opere Theologicorum Dogmatum*, Joannes Morinus *in opere De sacris Ordinationibus*, Joannes Launoïus *in duobus Dionysiis*, Dallæus minister Calvinista *in opere De scriptis suppositis Dionysii & Ignatii*, anno 1666 Genevæ in 4. omnes Galli cum multis aliis.

Hoc autem nostro sæculo, plures desudarunt evulgandis corrigendisque sancti Dionysii operibus. Primus illorum Petrus Lanssëlius Gravelinganus Theologus Soc. Jesu, ejusmodi opera omnia

græcè & latinè notis illustravit & apologiâ præmissâ vindicavit, edita in fol. Parisiis anno 1615. apud Michaëlem Sonnium, additisque ad calcem variantibus Mss. Codicum lectionibus. Alter Balthasar Corderius addidit huic editioni varia, suas nempe commentationes ad singula capita & periodos Librorum ac Epistolarum, cum vindiciis Areopagiticis Martini Delrionis & operibus Petri Halloxii Dionysium spectantibus cum Scholiis græco-latinis seu commentariis sancti Maximi Monachi & Georgii Pachimeris, cum vitis & Encomiis sancti Dionysii græco-latinis à Methodio Patriarchâ Constantinopolitano, Michaële Syngelo, Suidâ, Simeone Metaphraste & aliis. Omnia græco-latina in fol. tomis 2. Antuerpiæ anno 1634. apud Balthazarem Moretum; quam editionem tertia eodem tenore subsecuta est Parisiis tomis totidem anno 1644. apud magnam Bibliopolarum Societatem. Habentur autem opera ejusmodi MSS. græcè in præcipuis Europæ Bibliothecis, nempe Parisiis in Bibliotheca Regia, in Colbertina bis ex MSS. olim Thuaneis, in sacrario Regalis Abbatiæ sancti Dionysii in Francia. Item Romæ in Sfortiana ter num. 84. 85. & 86. cum Commentariis græcis sancti Maximi, in Vaticana ex MSS. Heidelbergensibus num. 39. & 123. in Messanensi apud Siculos, in Florentina sereniſſimi Etruriæ Ducis, apud sanctum Laurentium, atque etiam apud sanctum Marcum pluteo 3. in Venetiana Sereniſſimæ Reipublicæ, denique in Bibliotheca Romana, sanctæ Mariæ in Vallicella, atque in Anglicis Oxonii & Cantabrigiæ multis Codicibus.

Ignatius quem multi credunt à sancto Paulo Episcopum ordinatum, discipulus sancti Evange- 100.

liſtæ Joannis, ſucceſſit ex Euſebii Chronico ad annum 103. Evodio Antiochenſi Epiſcopo, poſteà damnatus ad beſtias, & in perſecutione Trajani Martyrium ſubiit, anno Chriſti 110. cujus feſtum Calendis Februarii. De eo Baronius in Martyrologio die 1. Februarii, & anno 71. num ij, & anno 110. N. 1. Euſebius Chron. anno 7. & iij, & lib. 3. Hiſtoriæ cap. 3. Hieronymus in Catalogo, & Evagrius lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 16. de ejus ſcriptis abundè Bellarminus & Labbeus, quibus addam verbis paucis, quando & à quibus ad noſtra uſque tempora Epiſtolæ Divi Ignatii impreſſæ ſint, à quibus impugnatæ atque propugnatæ fuerint.

Sub D. Ignatii nomine tres primùm Epiſtolæ in lucem datæ ſunt Pariſiis latinè tantùm anno Domini 1495. una ad Beatam Mariam, ad ſanctum Joannem Evangeliſtam duæ. Anno 1498. aliæ undecim Epiſtolæ latinè pariter ex veteri verſione, nondum comparente Exemplari græco, à Jacobo Fabro Stapulenſi typis ſunt impreſſæ. Hæc autem prima editio fuit teſte Philippo Labbeo, qui has undecim Epiſtolas tunc excuſas, inter primas editiones enumerat, quæ in Regia Bibliotheca Pariſiis aſſervantur. tùm verò Symphorianus Champerius Lugdunenſis, has quindecim à Fabro editas, cum tribus aliis ab eo rejectis & quartâ ad Mariam Caſſobolitem nunquam antè publicatâ edi curavit, atque ita tandem quindecim Ignatii Epiſtolæ latinæ extiterunt. Ita impreſſæ ſunt in omnibus editionibus Bibliothecæ ſanctorum Patrum, Pariſienſi primâ anni 1575. & ſequentibus, Colonienſi anni 1618. atque Lugdunenſi ultimâ anni 1677. apud Fratres Aniſſonios. Quantùm autem ad

Epistolas græcas, *Andreas* Gesnerus, si ipsi credendum sit, Epistolas duodecim græcè, interprete Joanne Brunnero primus omnium edidit anno Domini 1559. ita enim in præfatione loquitur. *Ignatium verò, cùm ille (* Henricus Petri scilicet *) latinè tantùm ediderit, ego græcum exemplar MS. nactus ex Bibliotheca clarissimi viri piæ memoriæ D. Gaspari à Nydprick, existimavi neque Henrico Petri molestum, studiosis autem pleriſque gratum fore, si ea quæ hactenus latinè tantùm circumferebantur, græcè simul & latinè essent edita.* Sed quidquid dixerit Gesnerus, ante eum Ignatii Epistolas græcè ex Augustanæ Bibliothecæ manuscripto exemplari Valentinus Pacæus anno 1557. publicaverat, quem primùm in lucem eas edidisse testatur Morellius, qui easdem Parisiis recudendas curavit anno 1558. Hanc autem à Pacæo procuratam, principem esse Græcarum Epistolarum editionem, adstruunt verba illa Centuriatorum Magdeburgensium ad annum 1558. *Est & hoc annotandum, quòd hoc anno* 1558. *Epistolæ Ignatii græcè sunt impressæ & publicatæ, quæ hactenus per aliquot sæcula latuerunt.* Itaque duodecim Epistolæ ante à Jacobo Fabro & Champerio latinè tantùm, nunc à Pacæo ex Augustano primùm, deinde à Gesnero ex manuscripto Codice Nydprickiano editæ sunt. At Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus, Hyberniæ Primas, homo miræ in antiquis rebus excutiendis perspicaciæ ac diligentiæ, cùm animadverteret tres in Anglia Theologos olim locum quendam ex Epistolâ Ignatii à Theodoreto citatum, nec in editione Græca, nec in vulgata huc usque Epistolarum versione tunc repertum; laudasse eo planè modo, quo à Theodoreto produ-

ctus fuerat: cœpit inquirere num fortaſſe in Anglia Exemplar aliquod Latinum adhuc deliteſcens reperiri poſſet, ex quo tres illi Theologi hauſerant loca, & ubi reliqua à Theodoreto aliiſque Patribus antiquis citata, integra compararent; cùm duos libros manuſcriptos nactus eſt, unum è publica Collegii *Gunvilli & Caii apud Cantabrigienſes* Bibliotheca, alterum à privata D. Richardi Montis-acuti Nortvvicenſis nuper Epiſcopi, qui Divi Ignatii Epiſtolarum interpretationem à vulgata latina diverſam, imò diverſiſſimam continebant. Et ſtatim collatione factâ, teſtimonia Patrum omnium qui intrà quinque (ut ait) poſt Chriſtum ſæcula floruerant, à Græcis Latiniſque Codicibus diſſidentia, cum hac verſione optimè convenire, & multa à Græculis poſterioribus inſerta & intertexta ab eadem pariter abeſſe, attentus conſpexit. Itaque non ex levibus conjecturis, aut ex ſententia ſua; ſed ex veteris verſionis fide Græcas Ignatii Epiſtolas recognovit, aſſumpta ſtellionum notâ à genuinis facilè & apertè ſecrevit, & Epiſtolarum ſyllogen iſtarum ita excudendam curavit: ut Minio in textu Græco laciniæ iſtæ ſignarentur, quas à recentiore Interpolatore aſſutas fuiſſe, iudicio veteris Latini Interpretis tunc primùm ab ipſo editi, deprehenderat. Felix hoc quidem incœptum, quo Uſſerius ſenex, cùm ingenii, judicii & doctrinæ ſingulare ſpecimen exhibuit, tùm Eccleſiæ utiliſſimam & hiſce temporibus maximè ſalutarem operam præſtitit. Hæc Joannes Pearſon ex ſuis Vindiciis Epiſtolarum ſancti Ignatii, in proëmio de ortu, progreſſu & hodierno ſtatu controverſiæ, capp. 23. & 5. Laudat pariter Labbeus opus iſtud *libro de Scriptoribus Eccleſia-*

ficis, verbo *Ignatius*, impressum Oxoniæ in 4. annis 1642. & 1644. demum Londini 1647. denique Isaacus Vossius Gerardi Joannis filius, aliquantò post Usserium, edidit græcè & latinè septem purissimas easdem sancti Ignatii Antiocheni Episcopi Epistolas, ex fide manuscripti Codicis optimæ notæ in Bibliotheca Medicæa Florentina reperti. Editum opus annis 1646, & 1648. Amstelodami in 4. & posteà recusum Londini in 4. anno 1680. quorum diligentiæ vix quicquam addi potest, iis quæ spectant ad Ignatium, ejusque Epistolas. Denique recudit easdem græcè & latinè, simpliciter & absque omnibus commentariis, Joannes Baptista Cotelier, inter *Auctores qui temporibus Apostolicis floruerunt*: quod opus impressum Parisiis anno 1671. 2. in fol. tomis apud Petrum le Petit, viâ Jacobæâ, sub signo Crucis aureæ.

Porrò tot ac tanti labores non impedierunt, quominùs curas Usserii ac Isaaci Vossii fatigaret Dallæus Calvinista Minister, eas etiam sic purgatas accusans suppositionis, in opere suo *de Scriptis suppositis Dionysii & Ignatii*, impresso Genevæ anno 1666. in 4. Sed Dallæum confutavit insigni ac prolixo opere Joannes Pearson Presbyter Anglus, quod inscripsit, *Vindicias Epistolarum sancti Ignatii*, impressas in 4. Cantabrigiæ anno 1672. Opus sanè prolixum est ad tœdium, sed doctissimum, cujus compendium nobis obtulit Natalis Alexander Dominicanus clarum atque apertum, *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus*, sæculo 2. dissertatione xxii. per totam, quam legito. Hæc de scriptis sancti Ignatii omissa à Labbeo, paucis explicui, lectorem qui plura voluerit ad citatos auctores remittens.

120. PHILO cum Agathopode & aliis oculatis testibus scripserunt Martyrium sancti Ignatii Antiochiæ Episcopi: quod Opus ex antiqua latina Interpretatione ad Manuscriptos Codices collata nobis obtulit primus post Epistolas ejusdem sancti viri, Jacobus Usserius Armachanus Archiepiscopus Oxoniæ, annis 1642. & 1644. in 4. & Londini anno 1647. tum postea Bollandus in vitis Sanctorum ad Calendas Februarii, impressi 3. in folio tomis Antuerpiæ anno 1658. apud Michaëlem Knobbarum.

168. ATHENAGORAS Athenienſis, Philoſophus Chriſtianus & Presbyter, vixit ſæculo Chriſti ſecundo, legationémque ſuſcepit pro Chriſtianis inter annum 165. quo Peregrinus Philoſophus in ardentem pyram ſe dedit præcipitem in Ludis Olympicis, & annum 170. quo Lucius Verus Imperator Julio menſe inter Concordiam & Altinum periit. Non deſunt tamen qui anno duntaxat 177. oblatum librum illum Imperatori aſſerant, cujus meminit quidem ſanctus Epiphanius in hæreſi Origenis, licet omiſerint Euſebius atque Hieronymus. *Apologia pro Chriſtianis ad Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum, ejúſque* (non ut plerique ſentiunt) *filium Commodum, ſed fratrem adoptivum Imperiique conſortem Lucium Annium Verum*, Conrado Geſnero & Suffrido Petri Leovardienſi Interpretibus, ſæpe prodiit; non ſecùs ac ejuſdem *Liber de Reſurrectione Mortuorum*, Petro Nannio Alcmariano, & Henrico Stephano interpretibus. occurrent Latinè in Colonienſi atque in prioribus Pariſienſibus veterum Patrum Bibliothecis: Græcè verò atque Latinè in fol. Pariſiis anno 1615. cum Divi Juſtini operibus, item-

que in Auctuario Parisiensi Bibliothecæ SS. Patrum anni 1624. studio Frontonis le Duc Soc. Jesu, qui etiam peculiares eis notas adjecit. *Apologiæ pro Christianis* MS. Exemplar extat in Bibliotheca Sereniſſimi Bavariæ Ducis Monachii, num. 149. Item *libri de resurrectione mortuorum* MS. Exemplar in Bibliotheca Catholici Hiſpaniarum Regis Scoriacenſi, MSS. operis utriuſque in Regia Galliarum, quam conſule.

TERTULLIANUS natione Afer, patriâ, ut credimus, Carthaginenſis, in hæreſim Montani lapſus, atque Eccleſiæ ab anno circiter 208. hoſtis, obiit anno circiter 215. ſcripſit multa, de quibus abundè & pluſquam ſatis agunt ſuis locis Bellarminus & Labbeus, *in tractatu de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Hic unum excutiam ad laudem eorum qui in Tertullianum labores ſuos contulerunt, quâ ratione quibuſque temporum curſibus, opera illius ad perfectum adducta ſint, & ad eam quam videmus formam atque ordinem. 210.

Primus qui in hanc arenam deſcendit, & ſcripta doctiſſimi Tertulliani ex Manuſcriptis Codd. hinc atque inde comparatis in unum collegit, hic Beatus Rhenanus, natione Germanus, patriâ Sleſtadienſis in Alſatia, qui ea quæ conſequi potuit, doctiſſimis ſuis commentariis illuſtrata, in unum volumen congeſta evulgavit in fol. Baſileæ anno 1521. apud Frobenium. Tantùm valuit labor Rhenani in Tertullianum, ut impreſſio ſæpius poſthæc repetita fuerit Baſileæ annis 1525. 1539. 1550. apud officinam eandem Frobenianam, & Pariſiis Joanne Gagneio Doctore Theologo procurante, locíſque aliis quos recenſere ſuperfluum eſt. Alter qui in arenam eandem ingreſſus eſt, is Jacobus Pam-

melius Flandro Belga Brugenſis Canonicus & Archidiaconus, Epiſcopus Audomaropolitanus deſignatus, qui labore incredibili inquirens quidquid ad Tertullianum ſpectabat, opus ſuum impreſſum in fol. Antuerpiæ anno 1579. dedicavit Catholico Hiſpaniarum Regi, Belgarum Principi. Diviſit illud in quinque tomos, ut appellavit, ſcribens commentarium non in Tertulliani locos difficiles, ut aſſolet, ſed continuum ferè in omnia omnium tractatuum verba & ſententias. Iterata impreſſio hujus operis Pariſiis anno 1583. apud Michaëlem Sonnium, & anno 1616. ibidem. Coloniæ 1617. Itémque Pariſiis in fol. anno 1635. & alibi. Opus ſanè magnum ac memoriâ æternâ dignum, ob inſumptos huic efformando labores. Tertius acceſſit Pamelio Brugenſi doctiſſimus vir Joannes Ludovicus de la Cerda Toletanus, Soc. Jeſu, qui omnia Quinti Septimii florentis Tertulliani opera notis & argumentis illuſtravit, impreſſa Pariſiis anno 1624. duobus tomis in fol. apud Michaëlem Sonnium. Quartus demum Nicolaus Rigault, ſeu Rigaltius, ſuas etiam curas huic Scriptori adhibuit. Hic neglectâ omni illâ diviſione operum Tertulliani in plures vel pauciores tomos, uti fecerant Jacobus Pammelius ac Ludovicus Lacerdanus, ſimpliciter in uno volumine in fol. edidit omnia Tertulliani opera Pariſiis anno 1644. quæ poſtea impreſſa anno 1662. ibidem apud Joannem Dupuis, ſub ſigno Coronæ aureæ, ſelectis ab illo variis notis ex Auctoribus qui Tertullianum commentati fuerant, ſed brevibus & extra nauſeam. Hi quidem non omnes, ſed inſigniores, qui in ſcripta Tertullianica laborarunt: poſt quos ſcripſit etiam in Tertullianum annotationes ſelectas,

F. Georgius Ambianenſis Capucinus, *Tertulliani redivivi titulo inſignes*; quas 3. in fol. tomis anno 1646. Pariſiis impreſſit Michaël Soly, viâ Jacobæâ, ſub ſigno Phœnicis. Denique Carolus Moreau Eremita Auguſtinianus anno 1658. ſcripſit 3. in fol. voluminibus, *Omniloquium Tertulliani* impreſſum pariter Pariſiis apud Jacobum Dallin, ſub ſigno ſancti Stephani, & Thomam Jolly, ſub ſigno ſcuti Hollandici. Quiſquis poſt tantos ac tam varios auctores, in Tertullianum commentari tentaverit, ludere, opinor, atque oleum perdere apud prudentes exiſtimabitur.

AMMONIUS Alexandrinus, *Saccas* dictus, Philoſophus Chriſtianus, floruit ſub initium tertii æræ Chriſtianæ ſæculi, circa annum Chriſti 222. cùm fuerit juxta Porphirium in vita Plotini Platonicæ ſectæ Philoſophi, Præceptor Origenis Adamantii in Philoſophia. Scripſit *Concordiam Evangelicam*, ſeu *ex quatuor Evangeliorum libris unum contexuit* ex puris Evangeliorum verbis, quod opus anonymum inventum & malè Tatiano attributum, in latinam linguam tranſtulit Victor Capuanus Epiſcopus circa annum 545. incipit ab exordio ipſo ſancti Lucæ, continétque genealogiam humanam Chriſti, quam Tatianus ex profeſſo reſecuerat, quæ amplioribus apud Labbeum verbis in Tatiano & Ammonio continentur. altera verò quæ in prima impreſſione Bibliothecæ veterum Patrum anni 1575. continetur ſub nomine *Ammonii*, & incipit à primis verbis Evangelii Joannis, *In principio erat Verbum*, &c. & quam vertiſſe in latinum ſermonem dicitur Ottomarus Luſcinius; nec Ammonii eſt nec Tatiani, ſed elegans ac Latina paraphraſis Anonymi cujuſdam in Evangelia. Hoc cautè annotandum. 220.

230. ORIGENES, de quo abundè Labbeus post Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis. Sed plura post eos nostris temporibus Daniel Huet, Presbyter & Præceptor Sereniſſimi Franciæ Delphini, qui ab annis multis inquisivit cum Summa diligentia, quidquid Græcum Origenis invenitur apud celeberrimas Europæ Bibliothecas, quibus præmisit ampliſſimum doctiſſimúmque commentarium *De vita, doctrina, scriptis & versionibus operum illius*, maximè lib. 3. Origenian. sect. 3. ubi de antiquis Latinis operum illius interpretationibus multa nondum cognita detegit, ad perfectiorem operum ejus & interpretationum impreſſionem. Hæc Græco-latina tomis 2. in fol. Parisiis apud Andræam Pralard anno 1679. viâ Jacobæâ, sub signo Occasionis, continéntque *Origenis de Engastrimito, in Hieremiam Hom. xix. commentarios in Matthæum & Joannem*, cum suis annotationibus, pollicetúrque tomo 3. *Libros contra Celsum. Philocaliam*; *Protrepticon ad Martyrium*, *de Oratione Dominica*; quorum ultima duo opuscula nondum in publicum prodierunt. Nam *libri contra Celsum* editi Græcè & Latinè in 4. Cantabrigiæ anno 1658. Item *Dialogus de Orthodoxa fide*, agente Eutropio, defendente Meghetio, qui jam olim Latinè editus fuit, prodiit tandem Basileæ anno 1674. græcè & latinè in 4. inscriptus, *Contra Marcionitas*. Sed opus istud pro certo impositum est Origeni, continétque doctrinam de anima & de resurrectione Mortuorum, Origenianis erroribus maximè adversam. Qui plura expostulat, emat opera citata Danielis Huetii cum suis Origenianis, quæ in compendium redegit Natalis Alexander Dominicanus *in selectis Historiæ Eccle-*

Eccleſiaſticæ capitibus, ſæculo 3. parte 1. pag. 100. art. 12. Et cap. 4. art. 2. pag. 132.

NOVATIANUS Antipapa primus, adverſus S. Cornelium anno 251. electus, & hæreſis Catharorum princeps, ſcripſit librum unum *De Trinitate*, & alterum *De Cibis Judaïcis*, quos ſuis commentariis illuſtravit Jacobus Pammelius Belga, habentque omnes cum Tertulliano editiones Pammelianæ in Belgio, Galliâ, & alibi. 250.

CYPRIANUS ex Rhetore factus Chriſtianus, perſuadente Presbytero Cæcilio, à quo & cognomen Cæcilii ſortitus eſt, Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopus & Africæ Primas, anno 248. conſecratus eſt, ac poſt decem annos die 14. Septembris anni 258. martyrium haud procul Carthagine paſſus eſt ſub Valeriano, ejuſque filio Gallieno, Romanis Imperatoribus. De eo Pontius ejus Diaconus, Acta varia vetera & probatæ fidei, SS. Auguſtinus & Hieronymus pluribus locis, Ruffinus Apologiâ pro Origene, Prudentius in Hymnis, S. Gregorius Nazianzenus, Petrus Chryſologus, Ennodius Ticinenſis, aliique paſſim, de cujus ſcriptis abundè Bellarminus & Labbeus *in opere ſuo De Scriptoribus Eccleſiaſticis*: ſed injucundum non erit lectoribus oſtendere, quibus collaborantibus Scripta ſancti Cypriani pervenerint ad eam formam & perfectionem, ad quam ſucceſſu temporum adducta ſunt. 250.

Una ex primis editionibus operum ſancti Cypriani Martyris, correcta ac pro tempore nobilis, ex collectione & caſtigatione Deſiderii Eraſmi, prodiit in folio Baſileæ anno 1521. Item ex ſudoribus & curis Henrici Gravii Dominicani, Coloniæ in fol. anno 1549. in officina Quenteliana. Addidit

huic Martyri tertius vigilias suas Paulus Manutius editione Romana anni 1563. quam cæteris omnibus multò castigatiorem, & libro quinto Epistolarum integro auctiorem reddidit. Eandem Guillelmus Morellius apud Lutetiam Parisiorum anno 1564. auctiorem præ cæteris & egregiè etiam recognitam obtulit. Post tot denique tantosque circa Cypriani scripta labores, Jacobus Pammelius Brugensis in Flandriâ Canonicus & Archidiaconus, opera ejusdem sancti Patris omnia evulgare aggressus est cum perpetuis & insignibus in ea commentariis, impressa in fol. Antuerpiæ annis 1568. & 1589. Itemque Parisiis 1574. & 1616. Discrepat autem in editione sua Pammelius, quòd Epistolas quas Paulus Manutius & alii antecessores libris quinque confusè positas ediderant, juxta rationem temporum dispoſuerit, servatâ (quantum humano licuit ingenio) Chronologiâ. Alia etiam quàm multa præmiserit facientia ad Cypriani ornamentum, varias nempe veteresque vitas, cum altera prolixa quam marte proprio multis sudoribus composuit. Post Pammelium, suum etiam Cyprianum cum notis propriis edidit Parisiis in fol. anno 1643. Nicolaus Rigaltius, ab altero tantisper diversum.

Quamvis autem à tot temporibus, tanti totque viri sudaverint sancto Cypriano expurgando, nullus tamen sat amicus Martyris (ut ita loquar) inventus est, ad supprimendos plurimos tractatus, qui cùm certò spectent ad alienos auctores, vel certò ad posteriora tempora vel absurdissimi sint, Cyprianum ex collectione sua exhonorant. Sunt ejusmodi *Expositio in Symbolum Apostolorum auctore Ruffino Aquileiensis Ecclesiæ Presbytero.* Opus

de Cardinalibus Christi operibus ab ejus Nativitate usque ad adventum Spiritûs sancti, quod certò est Arnaldi Abbatis Bonæ-Vallis in tractu Carnotensi : *De duplici martyrio ad Fortunatum*, ubi cùm de Turcis agatur, absurdum est ejusmodi opus immiscere Cyprianicis etiam incertis : *De revelatione capitis Beati Joannis Baptistæ*, ubi agitur de Pipino Francorum Rege: quam hæc bene spectant ad Cyprianum? *Cœno Cypriano falsò adscripta* : opus stultum, &c.

Nec ab evulgando Cypriano propter tot Impressiones cessatum est, cui suam etiam operam adjecit Philippus Priorius apud Joannem Dupuis in fol. Parisiis anno 1666. viâ Jacobæâ, sub signo Coronæ aureæ. Hæc Impressio ad calcem operum Cypriani habet ad plenitudinem voluminis : *Marcii Minucii Fœlicis Octavium de Idolorum vanitate, Arnobii Afri adversus gentes libros vii.; Julii Materni Firmici librum De errore prophanarum Religionum; Institutiones Commodiani adversus Gentilium Deos* : cum selectis variorum auctorum commentariis, correctionibus & notis, nec aliam video hujus impressionis discrepantiam ab aliis impressionibus.

Denique omnia sancti Cypriani Opera edita in fol. Oxonii in Anglia anno 1682. è Theatro Sheldoniano, correcta ad manuscriptos Codices potissimùm Anglos, qui summâ curâ allegantur, recognita & illustrata per Joannem Fell Oxoniensem Episcopum. Hic in quibusdam discrepat ab aliis omnibus. 1°. Continet sub initium Annales Cyprianicos, sive tredecim annorum quibus Cyprianus inter Christianos conversatus est, Historiam chronologicè delineatam per Joannem Ces-

trensem Oxonienſis fratrem. 2°. Ad calcem habet *Tractatum De Baptiſmo non iterando*, quem incerti auctoris appellat pag. 21. & quem jam Nicolaus Rigaltius in ſuo Cypriano ediderat è manuſcripto Codice ſancti Remigii Remenſis. At conſtat ex auctoritate Gennadii & manuſcripto Vaticano illum ſpectare ad Urſinum Monachum Africanum, quòd non ignoraſſet doctiſſimus Epiſcopus Anglicanus, ſi bene legiſſet Concilia editionis Labbeanæ, quæ rem hanc definiunt. 3°. Continet opera Arnaldi Abbatis Bonæ-Vallis nempe tractatus, *De verbis Domini in Cruce*, *De operibus Chriſti Cardinalibus* cum vero illius Prologo (qui tamen olim integer & ſanus legebatur in editione Eraſmi Baſileenſi anni 1521.) quod monuiſſe ſufficit. *De operibus ſex dierum*, *De laudibus Beatæ Mariæ Virginis*, *meditationes varias*; omnia collata ad MSS. Codd. Hæc autem nupera editio maximè arguitur, quòd addiderit operibus jam multis D. Cypriano perperam adſcriptis opera duo, nempe *Confeſſionem ſancti Cypriani Martyris atque Pontificis*, *& Cæcilii Cypriani de Paſchate Computum*, quæ prælum omninò non merebantur. Fuiſſet enim longè aptius abſcondiſſe hujuſmodi adulterinas merces, quàm Litterario orbi obtuliſſe, quippe quæ magis ad Divi Cypriani contemptum quàm ad gloriam faciant. mirum, quòd qui etiam certas ſæpiſſimè diſputant, tam probroſas exponant in publicum.

260. AURELIUS Socius & contubernalis ſancti Pontii, qui ſancto Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo Diaconus Altari adfuit, Martyrium ſcripſit Pontii, quod contigit anno 258. die 8. Martii. Habemus illud ex variis manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ Colbertinæ, tom. 2. pag. 124. *Miſcella-*

neorum Domini Stephani Baluzii, ex prælo Franciſci Muguet Pariſiis anno 1679.

GREGORIUS Neocæſarienſis in Ponto Epiſcopus, qui ob ſigna & miracula quæ cum magna Eccleſiæ gloria oſtendit, Thaumaturgus & Ponticus eſt appellatus, cùm & Theodorus diceretur; quemadmodum habet Hieronymus in Catalogo & in Epiſtola 84. ad Magnum. Diſcipulus fuit Origenis, doctrinâ celebris, inde poſtea à Phædimo Amaſenorum Epiſcopo factus Neocæſareæ in Ponto Epiſcopus circa annum 233. vel 240. Obiit anno ci citer æræ Chriſtianæ 265. die 17. Novembris. 260.

Porrò Gregorii Thaumaturgi Epiſcopi Neocæſarienſis opera varia, græcè & latinè ſummâ curâ undique comparata, interprete & ſcholiaſte Doctore Gerardo Voſſio colliguntur Romæ anno 1594. unà cum variis Sanctorum Patrum opuſculis, quæ antea nunquam prodierant è prælis, eodem interprete & ſcholiaſte Gerardo Voſſio. Hæc autem impreſſa in 4. Moguntiæ anno 1604. & & in fol. Pariſiis anno 1622. junctis ſanctorum Macarii Ægyptii, & Baſilii Seleuciæ Epiſcopi operibus, cum Zonaræ expoſitione in aliquot Canonicas Græcorum Epiſtolas. De his operibus plenè Poſſevinus *in ſuo Apparatu ſacro*, Bellarminus & Labbeus *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, qui multis contendunt ut magnam ſaltem earum partem, ſi non omnia, legitimam & putent & probent. Attamen ut ego ingenuè ſenſum meum aperiam, dicam valde mihi ſuſpecta eſſe ea omnia quæ ſub ejus nomine vulgata ſunt, ob auctoritatem ſancti Gregorii Nyſſeni Epiſcopi, qui teſte Leontio Byzantino in libro *de Sectis* cap. 8. ait in vita Divi

Gregorii Thaumaturgi quam conscripsit, eum nihil de scriptis reliquisse posteritati: quis enim hoc melius noscere poterat, quàm sanctus Gregorius Nyssenus, qui vitam ejus scribebat?

260. METHODIUS primùm Olympi Lyciæ, vel, ut alii volunt, Tyri Phœniciæ Episcopus, cognomento Eubulius, vir disertissimus, de quo Bellarminus & Labbeus abundè *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Passus est Martyrium non in persecutione Decii, seu Valeriani, ut quidam cum Suida scripserunt: sed sub Diocletiano & Maximiano in Chalcide civitate Græciæ, ad extremum novissimæ persecutionis die 18. Septembris anni 302. vel 303. Opera sancti Methodii evulgavit anno 1644. Græcè & Latinè Franciscus Combefis in fol. apud Simeonem Piget, viâ Jacobæâ sub signo Prudentiæ, cum operibus Amphilochii & Andreæ Cretensis, de quibus infrà. Inter hæc habet sermonem in festum *Occursus seu Purificationis B. Mariæ Virginis* sub nomine dicti Methodii, quem pro viribus asserit sancto Methodio seniori, seu Olympi in Lycia Episcopo & Martyri, cum aliis communiter post Baronium, &c. Sed quàm meritò Methodio juniori Constantinopolitano Patriarchæ assertus teneat, his ducor argumentis. 1°. Enim hoc opus pronunciatum in Concilio aliquo seu Cœtu Ecclesiastico, ubi plures aderant Episcopi, quos per reverentiam *honorabiles Patres ac Fratres appellat*. Ita sub initium, *Hodie siquidem divinorum oraculorum Concilium palam aperitur, gloriosaque hujus diei symbola, gestaque facta à sacris Prædicatoribus Ecclesiastico Cœtui reseruntur*. Item sub finem: *Tanquam Spiritu præstantes, se unà cum positis illis honorabilibus Patribus ac Fratribus festum diem & con-*

ventum agentes, lætis vocibus salutaverimus. At hæc nullo modo cadunt in tempora persecutionum, sub quibus Methodius senior occubuit : optimè verò cum Methodio Constantinopolitano noni sæculi, sub quo præstantissimus Clerus, & in quam urbem perpetuus ob negotia sua Episcoporum Archiepiscoporumque adventus, ante quorum conspectum hanc habere potuit Orationem. Nullus verò Conventus seu Concilium legitur, sub quo senior sanctus Methodius Orationem istam ex suggestu tam publico habere potuerit. 2°. Author Orationis hujus, sub finem alludit sequentibus verbis ad Symbolum Nycænum vel Constantinopolitanum, dum de Christo : *Tu lumen es verum ex vero lumine, Deus verus ex Deo vero.* At Methodius senior excesserat ante utrumque Concilium, nec alludere eorumdem verbis potuit, sed rectè junior. 3°. Hæc Oratio impetit manifestè Nestorium, ejusque sæpè sæpius hæresim profligat; unde non potest esse Methodii senioris, qui 130. annis mortuus est ante damnatam in Concilio Ephesino Nestorii hæresim. Audiamus auctorem loquentem, non per transennam, sed cum affectatione etiam aliqua, dum de Maria quam Matrem Dei appellat : *Patriis te canticis, filia David, Materque Domini & Dei David, salutabo.* Tum postea appellatur, *Dei Mater, Mater Plasmatoris, porta per quam Deus in carne oritur.* Tum postea, *Euge, euge Dei Mater ancillàque; euge cui ille omnium creditor, debitor sit.* Et postea, *Nam & sola eorum quæ Dei sunt, partem cum Deo habere meruisti, quæ sola Deum ex Deo Patre unigenè ac sempiternè genitum carne genueris. Ita veraciter sentiunt, qui sinceram fidem amplectuntur.* Quid, quæso, clariùs

dici unquam potuit, ut se profiteretur scribere post Concilium Ephesinum ? 4° Tanta affinitas stili inter hanc orationem & alias junioris Methodii, ut patet ex ejus encomiis *in sanctam Agatham & Areopagitam Dionysium*, ut ovum ovo similius non sit. Sanè quod huic authori Græco singulariſſimum est, ut in dicta oratione allocutus auditores, hos appellet *Patres & Fratres* : invenitur expressum modo simili in oratione dicta ad laudem sanctæ Agathæ, quæ absque dubio est Methodii Patriarchæ Constantinopolitani seu junioris, unde ejusdem Scriptoris utrumque opus esse judicandum est. Ita sub finem Orationis in occursum, *tanquam spiritu præsentes ac unà cum positis illic honorabilibus Patribus ac Fratribus festum diem & conventum agentes.* Et sub initium orationis in sanctam Agatham : *Patres Fratréſque quotquot simul hic adestis, ac prope adstatis.* 5°. Denique sic loquitur author primæ orationis: *Ante te non est natus Deus alius ex Deo Patre, nec post te futurus est alius Filius Patri consubstantialis, & ejusdem cum ipso gloriæ :* quæ verba arguunt authorem Concilio Nycæno posteriorem : & consequenter ab oratione hac seniorem Methodium excludunt, cujus temporibus hæc vox nondum inventa vel usitata fuit.

Objicitur Auctorem sub orationis suæ initium, appellare sympoſium virginum à se compoſitum, quod cùm seniori Methodio conveniat, consequens est ejusdem esse orationem istam. Respondeo hoc forsitan additum à Scribis, ut huic orationi satis ornatæ majorem conciliarent authoritatem ; vel hoc etiam ab ipso juniore suam transcribente orationem fieri potuisse, ut gravius ei pondus Anti-

quitatis ac majestatis accederet. Arridet primum magis, nam illa prima periodus admodum insueta est apud Concionatores, ut sub initium orationis opera sua allegaverint. Præterea non cohæret ista periodus prima cum cæteris, nam de virginitate ibi magis agit ac de virgine, quàm de Christo Domino. Et Simeone Justo, & aliis ad hunc occursum spectantibus. Denique quid sibi vult hic Scriptor in prima periodo, dum *Et breviter quantùm licuit, & de castitate in symposiacis abundè explicuerit?* Hæc enim sibi pugnant *abundè & breviter*, arguuntque interpolatorem & assutorem.

Lucius Coelius, Lactantius Firmianus 320.
natione Afer, Arnobii Siccensis in Numidia Rhetoris auditor, Cicero Christianus à pluribus meritò nuncupatus, quas quidam Fluvius Tullianæ eloquentiæ, lacteus ac mellitissimus Orator, ut verbis D. Hieronymi utar, cùm digressus ex Africa & Nicomediæ in Bithynia litteras Oratorias doceret, accitus circa annum Christi 302. Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, vidit Templum Dei everti, ut testis est libro 5. de Justitia Dei cap. 2. Postea Crispum Constantini Magni ex Minervina filium latinis Litteris erudivit, vir omnium suo tempore eruditissimus, sed adeò in hac vita pauper, ut plerùmque etiam necessariis indigeret, inquit S. Hieronymus *in Chronico* ad annum olympiadis cclxxiv. id est Christi 317. Idem Hieronymus in Epistola 13. ad Paulinum & 83. ad Magnum; item de eo in Apologia ad Pammachium & Oceanum, in expositione Epistolæ ad Galatas lib. 2. cap. 4. Et Catalogi cap. 80. atque inde Honorius Augustodunensis post Damasum Papam Epistola quæ est 124. inter Hieronymianas, & Ge-

Iasium Papam in Decreto de libris Apocryphis: ut Cæteros omittam, Trithemium lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Ludovicum Vives in cap. 23. libri 18. de Civitate Dei. Hæc Labbeus, qui nihil speciale habet de scriptis Lactantii.

Fuerunt tamen plures qui curas suas obtulerunt libris Lactantii evulgandis corrigendisque. Antonius Raudensis Italus Ordinis Minorum, circa annum 1440. opera Lactantii emendavit ad MSS. Codd. collatione facta diligenti, & præfixâ locorum notatione, qui minùs quadrare veritati videbantur. Impressa postmodum prodiere Venetiis anno 1497. apud Bevilaquam, & Lugduni apud Gryphium, & Basileæ apud Cratandrum anno 1532. & Coloniæ anno 1544. apud Petrum Quentelium. Alter etiam Xystus Betuleius opera omnia Lactantii Commentariis suis auxit, impressa Parisiis anno 1563. Tertius autem Michaël Thomasius Hispanus Antonii Augustini in Episcopatu Ilerdensi successor, cujus elegantes notæ cum Lactantii operibus prodierunt, expressæ typis Antuerpiæ annis 1579. & 1587. apud Plantinum, & post biennium, hoc est anno 1589. Parisiis quoque insertæ operibus Lactantii in secunda editione elegantissima & accuratissima Bibliothecæ Ss. Patrum, apud Michaëlem Sonnium. Quartus denique Josephus Isæus Cæsenas olim D. Petri de Urbe Canonicus, qui omnia Lactantii opera ad MSs. Codd. emendata, in folio edidit Romæ anno 1650. Cum brevibus ab calcem Commentariis ex Typographia Mascardi. Hujus autem operibus jam sæpius evulgatis sed ultimò Lugduni Batavorum in 8. anno 1660. cum Commentariis variorum auctorum, adde insignem li-

brum *De morte persecutorum*, quem cum eruditissimis notis primus edidit ex Ms. Bibliothecæ Colbertinæ Stephanus Baluzius tom. 2. *Miscellaneorum suorum* pag. 1. & seqq. Parisiis apud Franciscum Muguet anno 1679. in 8. annotationibus ad calcem tomi appositis.

COMMODIANUS, dum inter sæculares Litteras etiam nostras legit, occasionem accepit fidei. Factus itaque Christianus, & volens aliquod studiorum suorum munus offerre Christo suæ salutis auctori, conscripsit mediocri sermone, quasi versu *Librum adversus Paganos*. Et quia parum nostrarum attigerat litterarum, magis illorum destruere potuit dogmata, quam nostra firmare: unde & de divinis repromissionibus adversus illos, vili satis & crasso (ut ita dixerim) sensu differuit, illis stuporem, & nobis desperationem incutiens. Tertullianum & Lactantium & Papiam auctores secutus, moralem sanè doctrinam & maximè voluntariæ paupertatis amorem optimè prosecutus studentibus inculcavit. Hæc Gennadius cap. 15. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Commodianus floruit circa annum 320. temporibus Constantini Magni Imperatoris & Silvestri Romani Pontificis. Hujus *Institutiones* de quibus suprà, primus evulgavit Nicolaus Rigault Parisinus, anno 1664. impressas ad calcem operum Cypriani, post opera Minutii Felicis, Julii Materni Firmii, & Arnobii Afri contra gentes, impressa correctissimè cum commentariis & observationibus variis lectionum discrepantium. 320.

THEODORUS Heracleæ Thraciarum Episcopus, elegantis apertique sermonis, & magis historiæ intelligentiæ edidit sub Constantino principe Com- 320.

mentarios in Matthæum & in Joannem & in Apostolum & in Psalterium. Hæc D. Hieronymus in Catalogo cap. 90. Hunc porro *Commentarium in psalmos Davidis* edidit primus ex MSs. Codd. Bavaricæ Bibliothecæ & aliis, Balthasar Corderius Soc. Jesu, impressum Antuerpiæ in fol. anno 1642. apud Balthasarem Moretum, cui adjunxit duos alios Commentarios anonymos. Ibi plura de Theodoro.

350. EUSEBIUS Emesæ in Syriâ seu Phoenicià Episcopus, Arrianæ signifer factionis, quem phœnicem Eusebium vocat Theodoretus, vixit tempore Constantii Imperatoris, sub quo mortuus & Antiochiæ sepultus est, ideoque saltem ante annum 361. vivere desiit. De eo S. Hieronymus in Chronico ad annum 247. olympiadis 281. tertium, & in Catalogo cap. 91. ubi inter cætera asserit scripsisse *in Evangelia Homilias breves, sed plurimas.* At hujus ad nos scripta non pervenerunt; omnibus quę ei inscribuntur suppositis, de quibus nos aliquando speciali dissertatione agemus. Plura Bellarminus & Labbeus.

360. ANTONIUS Abbas Monachorum Pater, de cujus Epistolis loquuntur Bellarminus & Labbeus, quos utinam aliquis græcas educat. post quas sequantur congruè Regulæ variæ primorum Eremi incolarum Antonii, Isaiæ, Macarii, Serapionis, Paphnutii & alterius Macarii, quas habet Lucas Holstenius in Collectione regularum sancti Benedicti Anianæ Abbatis, impressâ Parisiis in 4. anno 1663. apud Ludovicum Billaine, parte 1. pag. 3. & seqq.: usque ad regulam sancti Pachomii, quam sequantur duodecim Epistolæ ejusdem Pachomii. Obiit Antonius anno æræ Christianæ 356. die 17.

Januarii, ſuæ ætatis 105. Olymp. cclxxxiii. 4. ſub Conſtantio Conſtantini Magni filio.

MACARIUS diſcipulus ſancti Antonii Magni, ſocius Amathæ, diſtinctus ab aliis duobus, altero Ægyptio, Altero Alexandrino, etiam ſancti Antonii diſcipulis. De Ægyptio Eccleſia Latina mentionem habet in Faſtis Eccleſiaſticis ad diem 2. Januarii, de Alexandrino ad diem 15. ejuſdem menſis. De tertio abundè Poſſinus in prolegomenis ad Theſaurum Aſceticum num. v. vi. & ſequentibus, ubi rectè diſtinguit tres Macarios Sancti Patris Antonii diſcipulos, nempe Ægyptium qui in Scythi ſedem habuit, Alexandrinum qui in Celliis quæ in Lybia ſunt, loca longè diſtantia à Thebaide, ubi Antonius degebat. Itaque in Thebaide erat mons interior, ubi ſolus plerumque reſidebat Antonius; & mons exterior in quem ſubinde excurrebat, ut habitantes in eo ſuos Monachos inviſeret. In eo hic tertius Macarius, ſub cujus nomine opuſcula ſeptem nempe *De cuſtodiâ cordis pag.* 19. *de perfectione in ſpiritu* pag. 47. *De oratione* 63. *De patientiâ & diſcretione* 81. *De Elevatione mentis* 115. *De Caritate* 141. *de libertate mentis* 183. edidit Petrus Poſſinus Soc. Jeſu in ſuo Theſauro Aſcetico græcè & latinè impreſſo Tholoſæ in 4. anno 1684. apud Guillelmum Boſch. Ibi in prolegomenis plurima de iſto Macario, cui etiam attribuit Homilias quinquaginta, quæ Ægyptio inſcribuntur. Claruit eodem tempore quo Antonius Abbas, cui morienti adfuit. 360.

EUSEBIUS natione Sardus, & ex Lectore urbis Romanæ Vercellenſis Epiſcopus, ob confeſſionem fidei à Conſtantio Principe anno 355. Scythopolim & inde in Cappadociam relegatus, ſub Juliano 360.

principe ad Ecclesiam suam anno 360. reversus; post multos pro Christo labores passos mortuus est anno 369. Calendis Augusti, Valentiniano seniore & Valente regnantibus. De eo Hieronymus in Chronico ad annum 360. & in Catalogo cap. 96. Epiphanius in Panario Hæresi 30. Honorius Augustodunensis lib. 1. *de Scriptoribus* cap. 97. Baronius *in Martyrologio Romano* ad diem 1. Augusti, & *in Annalibus suis anno* 311. n. 42. & anno 328. n. 22. Onuphrius anno 352. Aubertus Miræus *in Auctario Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 40. scripsit in exilio *Epistolam De statu suo & vitâ ad Presbyteros & quasdam Italiæ plebes*, item *libellum quendam ad Patrophylum*, quæ extant in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Parisiensis annorum 1575. & 1589. itemque in aliis.

370. ATHANASIUS verè Magnus Nicænæ Synodo interfuit anno 325. Diaconus Alexandrinæ Ecclesiæ, & adversus Arrium Hæresiarcham strenuè pro Catholica fide pugnavit. Tum anno 326. elapso duntaxat quinto post Concilium mense, in locum demortui Alexandri creatus Alexandrinus Patriarcha, multas perpessus pro Christi fide Arrianorum Ethnicorumque insidias, variisque est exercitatus exiliis. Vixit tamen inter tot tamque atroces persecutionum procellas imperterritus, usque ad tempora Valentis Imperatoris, obiitque die 2. Maii, anno Pontificatûs sui 46. absoluto, æræ Christianæ 373. ut colligitur ex Epistola Proterii Patriarchæ pariter Alexandrini scriptâ ad sanctum Leonem; licet Socrates lib. 4. historiæ cap. 29. biennio ante defunctum tradat Gratiano 11. & Probo Coss. de eo sanctus Gregorius Nazianzenus Oratio-

ne in laudem ejus habitâ, Basilius Epist. 46. aliisque locis, Ruffinus lib. 1. Hist. cap. 14. S. Hieronymus ejùsque interpres græcus Sophronius cap. 87. Catalogi, & sæpe in Chronico suo. Photius in Bibliotheca Codd. 32. 139. 140. & 258. Gennadius & alii. Opera Divi Athanasii in magna perturbatione sunt, quàm multis ei aliorum Auctorum inscriptis. Hic primus est, cui doctissimi hujus sæculi Critici debuerant apponere medicam manum, ut sancti Patris Scriptiones redderent purissimas ab extraneis omnibus: sed heu stupendam patiuntur confusionem! quam ut ex parte tollam, paucis sequentibus incerta ac suppositia aperiam. Qui plura voluerit, adeat Possevinum, & Bellarminum, & Labbeum, qui plenè loquuntur de variis impressionibus operum sancti Athanasii, notantque suppositionis plura opera sub ejus nomine evulgata, vel saltem incertitudinis.

1. *Disputatio contra Arium in Concilio Nicæno*, de quâ Bellarminus dubitat & meritò, est enim Vigilii Africani Tapsensis Episcopi, qui omnia sua opera sub alienis nominibus conscripsit. Hujus autem Scripta in unum collecta evulgavit Petrus Franciscus Chiffletius Soc. Jesu Divione in 4. anno 1665. apud viduam Philiberti Chavance, ubi de & disputatio quæ nunquam à magno Athanasio composita est, legitur pag. 84. inscripta: *Contra Arium Dialogorum lib.* 2.

2. *Expositio fidei*, de qua dubitat Bellarminus, cujus optimæ rationes,

Liberii Romani Pontificis ad Athanasium Epistola, Athanasii ad Liberium responsum, de quibus dubitat Bellarminus, quem consulas.

4. *De sanctissima Deipara Virgine* opus, de quo

dubitant Baronius & Bellarminus, sed Spinellus & Maraccius fulcire atque Athanasio vindicare conantur. Hoc ordinarium est valde Devotis, ut inter extases suas non habeant gustum: Sed indiscriminatim omnia approbent satisfacientia suis extaticis excessibus, uti hac in parte contigit Spinello & Maraccio Devotis Marianis. At aliter eruditis, de quibus suprà, quorum pietas solida semper fuit.

5. *Symbolum Athanasii.* Quamvis sancti Athanasii fides vel Symbolum vulgò appelletur, non est tamen opus Athanasii, ut rectè censet Dominus Godefridus Hermant Bellovacensis Canonicus in suis Observationibus ad vitam sancti Athanasii gallicè à se compositam. 1°. Enim hujus operis Scriptor aggreditur expressè Nestorii hæresim naturas in Christo confundentem, quod omninò convenire non potest sancto Athanasio, mortuo longè ante ortam Nestorianorum Insaniam: unde hujus Symboli auctor non potest esse Magnus Athanasius. 2. Omnia hujus Symboli MSs. græca exemplaria variant, latina verò concordant sibi invicem, quod indicium est, Auctorem hujus operis non esse græcum sed latinum. Ergo non competit Athanasio, optimè autem convenire potest Vigilio Tapsensi Africano, qui illud edidit sub nomine sancti Athanasii. 3°. Nullus ante Hincmarum Remensem Episcopum qui sæculo IX. floruit, meminit hujus Symboli inter latinos aut græcos. At quis credat tam nobile opus si Magni Athanasii legitimus fuisset partus, tandiu latitasse in utràque Ecclesia? Unde ex tam profundo prolixòque silentio arguimus Auctorem hujus Symboli non extitisse sanctum Athanasium, sed

sub

sub ejus nomine ad majorem applausum fuisse à Vigilio Tapsensi confictum. Qui plura voluerit, adeat dictum Godefridum Hermantjam citatum, Vossium qui insigne opus conscripsit *De tribus Symbolis* impressum Amstelodami anno 1662. in 4. Jacobum Usserium Archiepiscopum Armachanum, qui de eodem Argumento scripsit.

Objiciunt. De hoc Symbolo videtur sumpsisse sanctus Augustinus illud in Psalmum 120. *De hoc sole Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchrè locutus est: non factus, nec creatus, sed genitus*, ut acutè Bellarminus. Hoc sanè Argumentum esset validum, si auctoritas allegata legeretur apud Augustinum, sed olim jam Lovanienses annotarunt hoc nullatenus legi in MSs. omnibus à se visis Divi Augustini operibus, quod ab aliquo otioso intrusum fuit in textum Doctoris sancti, ut huic Symbolo auctoritatem compararet. Idem annotant Doctissimi viri Monachi Benedictini, qui suas in Cœnobio sancti Germani Parisiensis curas impendunt corrigendis ordinandisque sancti Augustini operibus, ut ex editis constat.

6. *Definitiones quædam*, de quibus vide Bellarminum. Cui attexam maximam partem excerptam esse ex Anastasii Sinaitæ ὁδηγῷ, ut annotat Albertinus in opere suo de Eucharistia latino pag. 406. immò *hæ ipsæ Definitiones* inveniuntur in MSs. Codicibus attributæ sancto Maximo Monacho & Martyri, & insertæ sunt ejusdem operibus quæ summâ diligentiâ collegit in unum Franciscus Combefis Dominicanus, de quibus nos postea *in sancto Maximo Monacho.*

7. *Dialogi septem contra Arrianos, Apollinari-*

ſtas & Macedonianos, interprete Abrahamo Sculteto Sileſienſi, non ſunt Athanaſii. Horum ſeptem Dialogorum inter Orthodoxum & hæreticum extat Ms. Exemplar græcum ſub nomine ſancti Athanaſii Alexandrini Epiſcopi, inter libros græcè MSs. quos Franciſcus Turrianus Soc. Jeſu reliquit Patribus Societatis, dum eorum Inſtitutum amplexus Romæ eſt, unde forſitan Athanaſio attributi; ſed contra Macedonianos agere non potuit, defunctus ante natam eorum hæreſim. Hos autem nuperrimè Joannes Garnerius Pariſinus Soc. Jeſu in opere poſthumo cui nomen indidit *Theodoreti Supplementum*, impreſſos iterum, Theodoreto attribuit: At ita levibus (meo quidem ſenſu) conjecturis, deſtitutúſque omni Antiquitatis teſtimonio vel veteris Ms. Codicis fide, ut fidem non mereatur. Hoc *Theodoreti Supplementum* impreſſum Pariſiis hoc anno 1684. in fol. græcè & latinè apud viduam Edmundi Martini, viâ Jacobæâ ſub Sole aureo. Denique Dialogos iſtos novâ à ſe verſione latinâ correctos ſub nomine ſancti Maximi Monachi & Martyris, edidit dictus Franciſcus Combefis in ſua Collectione operum dicti Maximi: Et meritò, cum in celeberrimis totius Europæ Bibliothecis atque iis pluribus, MSs. græca Exemplaria hoc ſancti Maximi nomen habeant, ut probat dictus Combefis.

8. *Ejuſdem Epiſtola cujuſdam præfationis loco ſcripta, in qua motuum Eccleſiaſticorum tragœdia*, cum ſeptemdecim ſequentibus capitibus: ex Photio in Bibliotheca Cod. 46. ſpectant ad Theodoretum, de quibus etiam Labbeus agit in Theodoreto. Sed nuperrimè in Supplemento Theodoreti de quo ſtatim egimus, Joannes Garnerius hunc

librum græcè & latinè reddidit sub nomine Etherii Episcopi Thyanensis, ex autoritate Marii Mercatoris qui fragmentum quoddam allegat sub nomine dicti Etherii, olim Theodoreti discipuli & sequacis. Addit deceptum fuisse in sua Bibliotheca Photium dum opusculum istud Theodoreto attribuerat, ex codice Ms. quem præ manibus habebat. Cum enim & primum opus manuscripti Codicis & ultimum indubiè ad Theodoretum spectarent, hanc pariter Dissertationem de Variis Hæreseum capitibus in dicto MS. Cod. mediam, opinatus est etiam spectare ad eundem Scriptorem. Tanta autem est Antiquitas Marii Mercatoris Augustino æqualis, ut sufficiat ad hanc Dissertationem Etherio adjudicandam, uti à Joanne Garnerio factum est.

9. *Quæstiones ad Antiochum* Joanne Reuclino, Valentino Ampelandro, & Joanne Lampadio interpretibus. Vide Bellarminum hic & in fine Recognitionis librorum de Conciliis, & Theophilum in Erotematis, qui rejiciunt; nec quicquam pro iis stantibus Turriano, Malvendâ, & quibusdam aliis. Nullum sanè opus sub nomine sancti Athanasii, quod tam frequenter inveniatur MS. in celebertimis Europæ Bibliothecis: in Vaticana sæpius, ex Codicibus manuscriptis Heidelbergâ maximè adductis num. 363. & 368. & 69. in Sfortiana num. 32. in Vallicellana ejusdem Urbis, in Bibliotheca sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ. in Florentina sereniſſimi Ducis, in Imperatoria Viennensi semel atque iterum, in Augustana num. 77. in Regia Gallica sæpius. Has Sixtus Senensis l. 4. Bibliothecæ sanctæ rejicit sequentibus verbis: *Quæstionum ex veteri & novo Testamento ad Antiochum Principem liber unus continens quæstiones*

161. *Athanasii non videtur, suspicor hunc ex variis Patrum Scriptis collectum à studioso quopiam, qui in quæstione quarta Theologiam mysticam Dionysii allegat, Athanasii sæculo (ut opinor) incognitam: Et quæstione 33. citat Athanasium ipsum, & ab eo diversam sententiam profert.* Videndi quoque è Jesuitis, Maldonatus, Possevinus, Delrio, Cornelius à lapide, aliique; item quæ Labbeus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in addendis ex Leone Allatio dixit, *de quæstionibus sancti Justini Martyris & Anastasii Sinaitæ*, ab aliquo posterioris ævi Scriptore multarum pariter additionum fermento locupletatis.

10. *Dicta & interpretationes Parabolarum sancti Evangelii, cum aliis viginti Quæstionibus*, interprete Joanne Lampadio, debent eandem sortiri fortunam, & sunt Scriptoris Athanasio longè recentioris. Dicta & Interpretationes parabolarum sancti Evangelii à quæstione prima ad 46. Diversæ Expositiones ex veteri testamento à quæstione 47. ad 75. Dubia in selectos Psalmos à quæstione 76. ad 92. Denique à quæstione 93. ad ultimam 133. explicantur propositæ dubitationes ex Epistolis sancti Pauli. Hic solus ordo farraginem arguit, quales multæ à Græcis anonymis factæ sæculis posterioribus; unde in manuscriptis Codicibus nunc plures, nunc pauciores sunt ejusmodi quæstiones, & hæ omnes sub nominibus sanctorum Justini, Athanasii atque Anastasii, in Manuscriptis variis Bibliothecarum principalium.

11. *De unica Deitate Trinitatis ad Theophilum lib.* 12. non sunt Athanasii, ut jam antea senserant multi; sed sunt lib. 12. de Trinitate sub nomine sancti Athanasii scripti à Vigilio Africano,

Tapsensi postea Episcopo, in cujus operibus censentur pag. 198. à Petro Francisco Chifflet evulgatis. De quibus jam supra.

12. *Disputatio D. Athanasii cum Ario Laodicea habita, coram Probo Judice à Constantino Imperatore delegato*, legitur inter opera ejusdem Vigilii Tapsensis pag. 118. ad quem spectat.

13. *Epistolâ Athanasii & Ægyptiorum Episcoporum ad Marcum Papam Romanum, cum Marci Papæ Responso*; sunt notoriè spuria, ut docent Bellarminus, Antonius Possevinus in Apparatu sacro verbo *Athanasius*, ubi imposita ei opera discutit. Cardinalis Baronius tom. 3. Annalium, sub annum 336. Quonam pacto (inquit dictus Cardinalis) sub dictis Consulibus potuit Athanasius Alexandriâ ad Marcum Papam scripsisse, qui jam exul hoc anno agebat in Galliis? Et quænam sub Constantino grassatio Arrianorum contigit in Ægypto, cùm non Marci tempore, sed multò post, quando Constantinus Georgium in locum Athanasii subrogavit, passa sit Ecclesia Alexandrina violentam Arrianorum vastationem? Sed & quonam pacto potuit decimo Kalendas Decembris scripsisse ad Athanasium, cùm hoc ipso anno Nonis Octobris reperiatur esse defunctus? Cùm enim Pontificem nonnisi octo menses sedisse Hieronymus testetur in Chroniço, has autem Epistolas citet Marianus Scotus, & pariter contendat, nonnisi octo mensibus sedisse Marcum Papam: quonam modo fieri potuit, eam datam esse ab ipso Marco Epistolam, si jam ante ipse ex humana vita desierat?

14. *De Passione Imaginis D. N. Jesu Christi, qualiter crucifixa est in Beryto civitate Syriæ*, li-

bellus ſpurius Latinè editus ſeptem capitibus conſtans, præmiſſis duabus narrationibus Græcis, ex vetuſtiſſimis manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ Palatinæ, quòd illæ nec inter ſe conveniant, multò minùs cum Latina interpretatione veteri. Sed de toto hoc negotio, quod puerile mihi eſt, plura docebit te Cardinalis Bellarminus.

15. *Homiliæ ſeptem* ſtudio Lucæ Holſtenii erutæ ex diverſis Bibliothecis, & Latinè redditæ, ita mihi languidæ, humileſque ſunt, ut magno Athanaſio doctis viris indignæ prorſus videantur. Has ego ſemel atque iterum legi, ſed pueriles valde nihilque veteris ſucci continere adverti.

16. Extat præterea quæ creditur ab eodem ſancto Athanaſio elucubrata *ſanctæ Syncleticæ Vita*, quam ad diem quintam Januarii, vulgarunt Latinè tantùm ex interpretatione Davidis Colvilli Scoti, R R. P P. Joannes Bollandus & Godefridus Henſchenius Soc. Jeſu Theologi. Hanc verò teſte Nicephoro Calliſto lib. 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 40. eadem ratione ſcripſit, quâ vitam ſancti Antonii ſcripſerat: ut ſicut in hoc viri, ita in illa haberent mulieres, quod imitari aſſiduè poſſent. Illam autem Græcè & Latinè ex manuſcripto Codice Regis Chriſtianiſſimi Bibliothecæ, edidit Joannes Baptiſta Cotelier profundæ eruditionis Theologus, & linguæ Græcæ Profeſſor Regius, tom. 1. pag. 201. *Veterum ſuorum Monumentorum Eccleſiæ Græca*, in 4°. Pariſiis anno 1677. apud Franciſcum Muguet, ſub ſigno Adorationis Regum. Habet ille ſanctum Athanaſium Auctorem, ſi credimus Codici manuſcripto Vaticano 825. teſtibus Holſtenio in Animadverſis in Martyrologium Romanum, & Exemplari Bibliothecæ

Scorialensis, cujus mentio fit ab Alexandro Barvoëtio in Catalogo illius Bibliothecæ, ac ex quo manavit Latina interpretatio Davidis Colvilli, quam edidit ad 5. Januarii Joannes Bollandus, de Ecclesia optimè meritus. Quia tamen idem Holstenius eruditissimus vir, addit in alio Codice vetustissimo Bibliot. Vaticanæ Cryptaferratensi 1589. eam vitam assignari Polycarpo Ascetæ, & Codex Regiæ Bibliothecæ non præfert nomen Scriptoris, res in dubio relinquitur. Fatendum quidem est, non indignum esse opus doctrinâ & pietate sancti Athanasii, licet in Scriptore tanta sit affectatio ad comparationes in quemque operis sui paragraphum inducendas; cujus nullum extat in aliis genuinis Divi Athanasii Operibus exemplum, ut ob solam hanc infantilem affectationem Athanasio abnegem, tribuamque Polycarpo Ascetæ.

17. Denique sub nomine sancti Athanasii in Codice Regularum Lucæ Holstenii qui Parisiis in 4°. anno 1663. apud Ludovicum Billaine, appendice ad dictum Codicem fol. 2. habetur Latinè tantùm *Athanasii liber de Observationibus Monachorum*, & fol. 8. *ejusdem exhortatio ad Sponsam Christi*, ex vetustissimis manuscriptis Codicibus: Opuscula non indigna Magno Athanasio, colendaque ob veterem eorum Latinam versionem.

CÆSARIUS frater sancti Gregorii Nazianzeni, 369.
quem ipse defunctum oratione celebri laudavit, quæ est inter editas num. x. cujusque meminerunt Photius in Bibliotheca Cod. 210. Nicephorus Callistus lib. 12. cap. 24. & Suidas. Obiit 369. die 25. Februarii. Extant sub ejus nomine editæ anno 1626. in 4°. ab Helia Ehingero Augustanæ Bibliothecæ Præfecto *Quæstiones Theologicæ &*

Philosophicæ num 78. Græcè & Latinè ex interpretatione Joannis Leunclavii, quem emendavit atque supplevit. Item in magna Bibliotheca Parisiensi veterum Patrum anni 1644. tom. XI. pag. 545. habentur *ejusdem Quæstiones Græco-latinæ* num. 195. in Dialogos quatuor transformatæ, ex Auctario anni 1624. R.P. Frontonis Ducæi Societatis Jesu, qui primus omnium Græcum textum edidit ex manuscripto Codice nobilissimi viri Franciscì Olivarii Abbatis. Sanè harum quæstionum sub nomine Cæsarii fratris sancti Gregorii Nazianzeni extant manuscripta Græca Exemplaria in multis Bibliothecis, ut in Regia Gallica, in Bavarica sereniſſimi Ducis num. 102. hoc titulo: *Cæsarii fratris sancti Gregorii Theologi Solutiones Quæstionum* 195. *Theologicarum, quas illi proposuerunt Constantius, Theocharistus, Andreas, Gregorius, Domnus, Isidorus, Leontius.* Item in Augustana num. 74. cum eodem titulo, quamvis pauciores inveniantur, forsitan est tantùm *lxxviii.* quas Elias Ehingerus Augustanæ Præfectus Bibliothecæ anno 1626. in 4°. edidit; at in Catalogo Bibliothecæ Monasterii quod Insula Pathmos in mari Ægæo habet, quem refert Antonius Possevinus ad calcem Apparatus sacri pag. 42. *Interrogationes propositæ à diversis Cæsario Gregorii Theologi fratri, cum responsionibus sunt ccxxi.*

Circa has quæstiones, duo aut tria maximè vellem observari. 1. Est ex Photio, earum auctorem videri potiùs esse sanctum Gregorium Nazianzenum, qui hac ratione voluerit nomen fratris sui posteritati commendari. 2. Dialogos illos eandem cum similibus Eclogarum libris aleam subiisse, hoc est, infarta esse ab Interpolatoribus quæ-

dam Gregorii Nysseni, Maximi Abbatis, aliorúmque Patrum posteriorís ævi segmenta : quò factum est, ut illorum auctor Cæsarius à quibusdam rejectus fuerit post annum 700. à Christi Natalibus, quod adnotasse juvat. 3. Manuscriptos Codices maximè varios esse in numero quæstionum & responsionum, ut constat ex prædictis, éstque inditium incerti Scriptoris.

BASILIUS re & cognomento Magnus, decursis in urbe Athenienſi ſtudiorum ſpatiis, ad philoſophandum ſolitudinem aptiorem ratus, in Eremum cum *Gregorio Nazianzeno* ſeſe contulit, quo nemo illi conjunctior ob ſtudiorum animorúmque ſimilitudinem, ac nec fratrum quidem ſuorum ullus carior. Habuit fratres duos ob morum probitatem & doctrinam inclitos, *Gregorium* & *Petrum*, illum Nyſſæ, hunc Sebaſtæ Epiſcopum; alioſque duos anonymos Monaſticen profeſſos, cum ſororibus quæ ſæculum & ipſæ nuntio remiſſo abjecerunt. Cæterùm ſanctus Baſilius Euſebio defuncto anno 370. Cæſarienſis creatus Epiſcopus, cùm annis octo & menſibus aliquot præfuiſſet, anno ineunte 379. Kalendis Januarii in Domino obdormivit, Martyrologio Romano, & Menologio Græcorum, ad eundem diem adſcriptus. Ex veteribus plerique omnes doctrinam & eloquentiam *Divi* Baſilii extollunt, ejuſque honorificam mentionem habent, ſanctus Hieronymus in Chronico & in Catalogo cap. 16. ſanctus Gregorius Nazianzenus epiſtolâ 8. 38. & in Oratione quam de laudibus ejus habuit, & alibi. Theodoretus libro 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 19. & præfatione in Cantica Canticorum, ſancti Auguſtinus & Gaudentius, Photius in ſua Bibliotheca Codd. 128. 379.

141. 142. 143. 144. 191. Philostorgius in sua Historia Ecclesiastica, Suidas, & alii. Bellarminus Latinam Basilii operum editionem anni 1540. exhibuit, & Labbeus Græco-latinam Parisiensem anni 1618. duobus tomis in fol. Nos ultimam Parisiensem Græcè & Latinè 3. in fol. tomis anno 1638. apud Claudium Sonnium, viâ Jacobæâ, sub scuto Basileensi.

Tomo 1. continentur,

Hom. IX. in Hexaemeron pag. 1.
Hom. XVIJ. in quosdam Psalmos, pag. 107.
Hom. XXXJ. de Diversis, 276.
De Baptismo lib. 2. 548.
De vera Virginitate liber 1. 609.
Adversus Eunomium Hæreticum lib. V. 695.

Tomo 2.

Commentarius in Isaiam Prophetam, pag. 1
De Spiritu sancto ad Amphilochium liber, 297.
Ascetica & Ethica, pag. 366. cum Proëmiis de vera ac pia Fide, pag. 384. & de Judicio Dei, pag. 392. post quæ ipsa capitula Ethica sequuntur, pag. 405.
De Institutionibus Monachorum sermones duo, 508.
Regulæ fusiùs disputatæ, 525.
Regulæ compendiosè expositæ, 608.
Animadversiones adversus Canonicos, 740.
Constitutiones Monasticæ, 745.
Pœnæ incerti Auctoris in Monachos delinquentes, 804.

Tomo 3.

Epistola ad Chilonem discipulum. 1. Ad Monachum lapsum, 9. ad Virginem lapsam, 13. Epistola Canonica ad Amphilochium, 19.

Epistolæ sancti Basilii Magni, & Gregorii Theologi CCXIV. pag. 41. & seqq.

Aliæ Epistolæ sancti Basilii CCXIV. interprete Richardo Montacucio, 230. & seqq.

Conciones Morales XXIV. de Vita & Moribus Christianis, à Simeone Magistro & Logotheta ex libris sancti Basilii Magni excerptæ, pag. 445.

Sancti Basilii libellus de Grammaticæ exercitatione, 592.

Epistola consolatoria in adversis, 613.

De laudibus Eremi, 621.

Admonitio ad filium spiritualem, 624.

Notæ & variantes Lectiones, quibus varia loca emendantur, 633.

Commodiùs autem, meo quidem judicio, in proxima editione, sic omnia sancti Basilii Cæsariensis Archiepiscopi opera distribuerentur in tres tomos, quorum primus esset *Homiliarum*; secundus *aliorum ejusdem librorum & tractatuum*; tertius *Epistolarum*, additis ad singulos tomos quæ noviſſimè sub nomine sancti Basilii edita sunt, opusculis, hoc ordine.

Tomus I. Homiliarum.

Hom. IX. in Hexaemeron ex interpretatione Joannis Argiropyli, & recognitione Godefridi Tilmanni Carthusiæ Parisiensis Monachi.

Eædem Hom. IX. in Hexaemeron, quæ Græcè & Latinè Eustathio interpreti ad Syncleticam Diaconissam leguntur in magna Bibliotheca Veterum Patrum Editionis Parisiensis anni 644. tomo I. pag. seu fol. 1467. ex interpretatione Vetustissima, de qua Cassiodorus.

Hom. XVII. in quosdam Psalmos, 107.

Hom. xxxi. de diversis argumentis, 276. quibus addere potes Homilias Morales tomi secundi. Homiliam seu sermonem de abdicatione rerum, tomo 2. pag. 370.

De Cultu sive Exercitatione Monastica, pag. 382.

Ascetica, seu de Institutionibus Monachorum sermones duos, pag. 508. & 515,

Denique post sermones duos *de Jejunio*, p. 276. & 286. Homiliam seu sermonem de eodem, quem cum altero *in Proverbiorum caput 6.* ex manuscriptis Codd. Regio & Colbertino, edidit Joannes Baptista Cotelier Societatis Sorbonicæ Theologus, & linguæ Græcæ Professor Regius, tom. 1, pag. 28. & seqq. veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, apud Franciscum Muguet anno 1677. Parisiis in 4°.

Tomus II. Librorum ac Tractatuum.

Adversus Eunomium hæreticum lib. v. tom. 1. pag. 695.

De Baptismo libri duo, ibidem pag. 548.

De vera & illibata Virginitate Liber, pag. 609.

Commentarius in Isaiam Prophetam, pag. 1. tomi secundi.

De Spiritu sancto ad Amphilochium Liber, pag. 297.

Prologus Asceticorum & Ethicorum, pag. 366. cum opusculis de vera ac pia Fide, pag. 384. & de judicio Dei, pag. 392. ad proëmium Ethicorum spectantibus, inde ipsa Ethica, pag. 405. cum indiculo præcedente.

Regulæ fusius disputatæ, pag. 525.

Regulæ brevius seu compendiosè expositæ, p. 608. Has porrò Regulas ex veteri translatione

Latina Ruffini Aquileiensis Presbyteri, cum prologo ad Ursèium Abbatem, habes in Collectione Regularum Holstenii parte prima, fol. 95. & seqq.,

Constitutiones Monasticæ, pag. 745.

Animadversiones in Canonicos peccantes, pag. 740. cum pœnis in Monachos delinquentes, pag. 804. incerti Authoris, quæ inscriptione carentes inter Basilii Scripta repertæ sunt, sed quas alii opinantur esse ipsius sancti Basilii.

Tomus III. Epistolarum & aliorum adjunctorum.

Epistolæ sub nomine sancti Basilii cccxxxij. de quibus supra egimus, quibus addantur *Epistolæ xij. mutuæ Basilii, Apollinaris & Libanii.* quas ex variis manuscriptis Codicibus Bibliothecæ Regis Christ. edidit Joannes Bap. Cotelier, de quo jam supra, T. 2. p. 84. & seqq. veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ apud Franciscum Muguet, anno 1681. Parisiis in 4°. Item Amphilochii Basilio pag. 99. quæ xij. est Basilium respectans.

Liturgia sancti Basilii Græcè & Latinè ex Interpretatione Gentiani Herveti Aurelianensis, Canonici Remensis tom. xij. pag. 382. Magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Parisiensis anni 1644. & in Auctario Græco-latino Frontonis Ducæi anni 1624. tom. 2. ex editionibus Græca Parisiensi Guillelmi Morellii ann. 1560. & Veneta, apud Alexandrum Bruciolum an. 1548. *ejusdem Liturgia* Latinè tantùm, tom. 6. ejusdem Bibliothecæ, pag. 1.

Alia Liturgia, ex Arabico conversa à Victorio Scialagh Accurensi Maronita, è Monte Libano, ibidem col. 75.

Anaphora ejusdem, ex Syriaca lingua traducta per Andræam Masium Bruxellensem, ibidem columnâ 13.

Precatio quâ idem sanctus Basilius solebat uti apud Deum, antequam sacra operaretur, ibidem col. 22.

Admonitio sancti Basilii ad filium spiritualem, latinè tantùm, pag. 624. Habetur autem eadem Admonitio ex veteri Manuscripto latino, antiqui Interpretis Anonymi, sed ordine aliquantulum meliori, in appendice ad Codicem Regularum Lucæ Holstenii, pag. 20. Impressus Codex in 4°. Parisiis anno 1663. apud Ludovicum Billaine in Aula Palatii.

Conciones Morales XXIV. de Vita & Moribus Christianis, à Simeone Magistro & Logotheta, excerptæ ex libris sancti Basilii Magni. Hic meo quidem sensu rectus ordo operum sancti Basilii, qui meliorem inveniet, hic sanctum Doctorem honorabit.

393. QUINTUS JULIUS HILARION scripsit Latinè *Chronicon* seu *libellum de Duratione mundi*, in quo libello dicit se scripsisse librum de die Paschatis, qui interiisse videtur. Libellus *de Duratione mundi* editus primùm à Petro Pithæo Trecensi, unde postea in Supplementum primæ editionis Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1575. immissum est, quod anno 1579. impressum Parisiis; denique in secundam ejusdem editionem, quæ anno 1589. prodiit ibidem apud Michaëlem Sonnium, viâ Jacobæâ, sub Scuto Basileensi. Putatur scripsisse Cæsario & Attico Consulibus, hoc est, anno Christi 397. sed cujus nullus Antiquorum mentionem facit, quod mirum est.

EVAGRIUS ſancti Hieronymi comes, tum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus poſt mortem Paulini Epiſcopi anno 389. creatus, vixiſſe creditur uſque ad annum 392. De eo Socrates Hiſtoriæ libro 5. cap. 15. Hiſt. & Caſſiodorus Tripartitæ l. 9. cap. 26. ſanctus Hieronymus in Catalogo cap. 125. his verbis: *Evagrius Antiochiæ Epiſcopus, acris ac ferventis ingenii, cùm adhuc eſſet Preſbyter, diverſarum hypotheſeon tractatus mihi legit, quos necdum edidit: vitam quoque Beati Antonii, de Græco Athanaſii in ſermonem noſtrum tranſtulit.* Errant Sixtus Senenſis, & Trithemius, dum Evagrium Epiſcopum Antiochenum & Evagrium Monachum ſancti Macarii Ægyptii diſcipulum Origeniſtam, conflant in unum. Extat vita ſancti Antonii Abbatis ab Evagrio Antiocheno Epiſcopo latinè reddita, in Vitis Patrum à Balthazare Moreto Typis Plantinianis anno 1628. Antuerpiæ in fol. editis, cum Notis Heriberti Roſvveidi, 393.

EVAGRIUS Ponticus ſancti Macarii Ægyptii, & alterius Alexandrini dicti diſcipulus. Juxta Caſſiodorum Hiſtoriæ Tripartitæ lib. 8. cap. 1. è civitate Iberorum quæ circa Euxinum ſita eſt in Ponto Amaſiæ vel Helenopoli, quem ſanctus Hieronymus Hyperboritam appellat, Preſbyteri filius erat, Lector ordinatus à ſancto Baſilio Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo ad Argæum, tum à ſancto Gregorio Nazianzeno ad Diaconatum promotus, ejuſque factus Archidiaconus. Lapſus eſt in Origenis Sectam ab anno 379. Dydimo docente, ſed cùm Conſtantinopoli fungeretur munere Diaconi, ibi pertentatus ab uxore cujuſdam ex Præfectis & viſu territus, cogitur excedere divino impulſu. Inviſit itaque Melaniam ſe- 395.

niorem Hierosolymis versantem, eique adhæsit; cùmque in morbum incidisset, Melania induit eum habitu, ut Palladius asserit, monastico, & dimisit ad montem Nitriæ, ubi per biennium commoratus est: tum abiit in solitudinem, ibique annos quatuordecim in celliis vixit, insistens jejuniis & orationibus, longâmque complevit ætatem. Scripsit plures libros, de quibus ejusque virtutibus loquuntur Socrates lib. 4. Historiæ capite 18. Cassiodorus libro 8. Historiæ Tripartitæ cap. 1. ferè per totum, Gennadius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 11. ubi asserit plerasque lucubrationes Evagrii Monachi è Græco in Latinum esse à se conversas, quem appellat *continentissimum & eruditissimum virum*. De eodem Evagrio habet multa Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos. Et in vitis Patrum libr. 2. cap. 27. extat vita Evagrii Pontici, qui ibidem *à Spiritualium rerum scientiâ & incredibili abstinentiâ* supra modum commendatur; quas quidem laudes Evagrium ipsum de se texuisse non est vero simile. Dicti porrò libri in editione Moretiana secundi & tertii Auctor sive Interpres, fuit Ruffinus Aquileiensis Presbyter, ut Prologomeno x. ad vitas Patrum Heribertus Rosyweidus docet.

Scripsit Evagrius *librum unum de octo Vitiositatibus*, quem cum antiquâ translatione Gennadii nostri vel Ruffini edidit Græcè & Latinè Parisiis in 4°. post vitam sancti Joannis Chrysostomi, Emericus Bigot Doctus Rotomagensis, anno 1680. apud Viduam Edmundi Martini, viâ Jacobæâ, sub Sole aureo, de quo, verbo *Palladius*. Item *sermonem dogmaticum de sancta Trinitate ad eos qui Monasticam vitam degunt in patria; dum esset*

esset Constantinopoli cum sancto Gregorio Nazianzi Episcopo : quem Græcè & Latinè edidit pag. 358. Niliacorum opusculorum, de quibus infra, Josephus Maria Suarez, Episcopus olim Lucionensis, Romæ ex typographio Barberino anno 1673. Item sententias, *quæ ad Monachos & Anachoretas pertinent*, quas Gennadius interpretatus est, uti *libellum ad Virgines Deo devotas seu doctrinam aptam vitæ communis Cœnobitis*, ex ejusdem interpretatione, ut ipse testatur. Hæc opera vocat Suidas in Lexico historico *Commentarium in Proverbia Salomonis*, eo maximè quòd in iis imitetur librum Proverbiorum Salomonis, ut constat legenti utrumque, Latinè tantùm ex veteri hac interpretatione positum in appendice Regularum Holstenii, pag. 34. ex Codice manuscripto Floriacensi, de qua supra in *Antonio* & aliis veterum Regularum Auctoribus. Item *Capitula gnostica* 61. quæ forsitan Commentarium gnosticum vocat Socrates Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 18. & quæ Evagrio tribuuntur in Cod. Barberino & in Vaticano 653. quamvis in Vaticano alio 1434. anepigrapha existant, ut appictum est ad oram Codicis Barberini, unde ea exscripsit dictus Suarez, transtulitque. Hæc nos ex Josepho Suare in Indice Operum sancti Nili, absque præjudicio eorum qui plura cognoverint de Scriptis Evagrii Ponticis. 595

GREGORIUS NYSSENUS Episcopus, frater fuit sancti Basilii Magni, quem perperam Emesenum Honorius Augustodunensis, & Joannes Trithemius in Catalogis appellant, quem veneranda Ecclesiæ antiquitas eximiè coluit laudibúsque extulit, quem sequentibus sæculis Theologi, tam

Græci quàm Latini ad confirmanda orthodoxæ fidei dogmata teſtem certiſſimum adhibuerunt: quippe qui in iis quæ ad fidem pertinent, nulla in re à Baſilio, ut inquit etiam Cardinalis Bellarminus, diſſenſerit. Vitam ejus, ſtudia, res geſtas præſertim pro fide Catholica, nemo quidem unus per Hiſtoriæ ſeriem (quemadmodum fit in aliorum vitis) pertexuit, quod ſciam. At quæ ſanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione ad eum habita commemorat, tot & tanta ſunt, ut inſtar hiſtoriæ eſſe queant. Theodoretus autem lib. 4. cap. 28. & in Polymorpho Dialogis 1. & 2. ſanctus Hieronymus cap. 129. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Socrates lib. 3. cap. 8. lib. 4. capite 21. & lib. 5. cap. 9. Sozomenus lib. 7. c. 10. Photius Bibliothecæ Codd. 6. & 7. Leo Sapiens Orientis Imperator Conſtitutione 88. ubi eum vocat dulcem & illuſtrem Eccleſiæ fontem, Suidas in Lexico, Nicephorus Callixtus lib. 11. cap. 29. & lib. 12. cap. 13. Honorius Auguſtodunenſis libelli 1. cap. 129. & Martyrologium Eccleſiæ Romanæ præter recentiores; ut Raphaël Volaterranus, Joannes Trithemius & alii, honorificentiſſimè de ejus vita, doctrina, eloquentia, tanquam patre aliorum ſanctorum Patrum loquuntur. Atque cùm idem Nazianzenus varias ad eum Epiſtolas ſcripſerit, nimirum 34. 35. 36. 37. 42. 43. 95. & 142. ex his elici poteſt, quid de eo vel dicere, vel ſentire poſſimus. Sanè quod is ipſe Nyſſenus ſub Valente Imperatore actus ſit in exilium, quodque hoc demortuo deſtinatus ſit ab Antiochena Synodo ad inſtaurandas Orientales Eccleſias, & ab Synodo Oecumenica Conſtantinopolitana, ſub Theodoſio habita, ad viſitandas Arabiæ Eccleſias:

dignus autem fuerit, ut inter præcipuos fidei Catholicæ propugnatores sanctione etiam imperiali laudaretur, maxima sunt, quæ nos provocent & ad ejus Scripta legenda, & ad imitandam in fide fortitudinem. Vixit dudum in Episcopatu, obiitque die 9. Martii anni 395. vel sequentis, cujus diem mortis anniversarium Latini 9. die Martii, Græci in Menologio quarto Idus Martii cultu unanimi concelebrant. Agunt ad plenum de Scriptis ejus, variisque eorum editionibus Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Gregorius Nyssenus*; Bellarminus & Labbeus, uterque in opere suo, *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Omisit tamen hic ultimus perfectissimam atque ultimam omnium Divi Gregorii Nysseni Operum editionem Græco-latinam 3. in fol. tomis factam Parisiis anno 1638. apud Ægidium Morellium, quem hic repræsentabo, aliis alibi allegatis.

Tomus I.

Hexaëmeron sive Historia de opere sex dierum, pag. 1.

De hominis Opificio, pag. 44.

In ea Scripturæ verba, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, Oratio I. 139.

In hominis creationem Oratio II. 153. Porrò Dionysius Abbas Romanus, cognomento Exiguus, qui circa annum 533. floruit, transtulit è Græco in Latinum, *librum sancti Gregorii Nysseni de Opificio hominis*. quem dicavit Eugippio Abbati, quæ versio primùm typis vulgata est Basileæ anno 1562. tum Coloniæ anno 1573. sed utrubique absque epistola translatoris Eugippio Presbytero inscripta, immò etiam absque versione præfationis Gregorii Nysseni, quas exhibet Joannes Mabil-

lon tom. 2. Analectorum ſuorum, pag. 1. ex manuſcripto Codice Abbatiæ Corbeienſis. Hæc autem antiqua Dionyſii Abbatis tranſlatio convenit optimè primæ editioni futuræ Operum ſancti Gregorii Nyſſeni, facta nimirum à docto viro atque antiquo.

De vita Moſis, ſive de vita perfecta liber, 167.

Tractatus prior in Pſalmorum inſcriptiones, 177.

Tractatus poſterior, qui eſt de inſcriptionibus Pſalmorum, 291.

In ſextum Pſalmum de Octava, 367.

In Eccleſiaſtem Conciones octo, 373.

In Cantica Canticorum explanatio perfecta, 468.

De Oratione Dominica Homil. quinque, 712.

De vita Beata comparanda, ſive de Beatudinibus Orationes octo, 762.

Eſt autem advertendum Petrum Poſſinum Soc. Jeſu Tholoſanum, Theologum doctiſſimum, de ſanctis Patribus evulgatis optimè meritum, in prologo ad *Theſaurum Aſceticum*, quem in 4°. evulgavit Tholoſæ hoc anno 1684. apud Guillelmum Boſcli, aſſerere haberi apud ſe proximum editioni integrum Commentarium D. Gregorii in Eccleſiaſtem, quem tantùm mutilum & imperfectum hæc editio nobis exhibet, illúmque tranſcriptum ex manuſcripto Codice Romano.

Tomus II.

In illud Apoſtoli 1. Corinth. 15. *Quando ſibi ſubjecerit omnia, tunc etiam ipſe Filius ſubjicietur ei, qui ipſi ſubjecit omnia.* 6.

Ex quæſtionibus de eo, quid ſit ad imaginem

& similitudinem Dei, 22.

Epistola de Ventriloqua seu Pythonyssa, 35.

Oratio in suam Ordinationem, 40.

Contra Apollinarem, 47.

Contra Fatum, 62.

Tractatus adversus Græcos ex communibus Notionibus, 82.

De Anima, 90.

Epistola Canonica ad sanctum Letoïum Metilenes Episcopum, 114.

Oratio in eos qui differunt Baptisma, 124.

De fugienda fornicatione in dictum Apostoli 1. Corinth. 6. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo*, &c. 129.

In Mulierem Peccatricem, vel in eos qui duriùs & acerbiùs alios judicant atque condemnant, quique conversione indigent & pœnitentiâ, 132. Hæc Homilia non spectat ad sanctum Gregorium Nyssenum, sed ad Asterium Amaseæ Episcopum, cujus excerpta dat Photius in sua Bibliotheca Codice 271. unde Auctori restituenda est.

De Pauperibus amandis & benignitate complectendis, 138.

Contra Usurarios, 144.

De Trinitate adversus Judæos, ex veteri Testamento selecta testimonia, cum explicatione, Laurentio Sifano interprete, 153.

Oratio de pœnitentia, 165.

Vita sanctæ Macrinæ Virginis, sororis sancti Gregorii Nysseni, 177.

Oratio tertia in quadraginta Martyres, 205.

Oratio adversùs eos qui differunt Baptismum, 225.

Oratio de Pauperibus & beneficentia, 235.

Oratio in principium jejuniorum, 247. quæ etiam non est sancti Gregorii Nyssæni, sed Asterii Amaseæ Episcopi, cujus excerpta refert Photius in Bibliotheca Cod. 271. unde reddenda est Asterio vero illius parenti.

Oratio contra Fornicarios, 260.

Contra Eunomium Orationes seu libri duodecim, 265. usque ad finem tomi.

Tomus III.

De sancta Trinitate, & quòd Spiritus sanctus sit Deus, 6.

Tres Deos dici non oportere, 15.

De differentia substantiæ & hypostaseos 28.

De Fide ad Simplicium Tribunum, 38.

Catechetica magna Oratio, 43.

De Virginitate vera & incorrupta, 111.

Contra Manichæos Syllogismi decem, 180.

De Anima & Resurrectione Dialogus, 181.

Adversùs Apollinarem ad Theophylum, 216.

Quid nomen vel professio Christiani sibi velit? 267.

De perfectione Christiani ad Olympium, 275.

De proposito secundùm Deum, 298.

In eos qui ægrè ferunt reprehensiones, 311.

De Infantibus qui præmaturè abripiuntur, 317.

In diem Natalem Domini nostri Jesu Christi, 339.

De sancto Stephano Protomartyre, 354. Homilia quæ non est sancti Gregorii Nyssæni, sed Asterii Amaseæ in Ponto Episcopi, cujus excerpta dat Photius in Bibliotheca, cod. 271.

De sancto Christi Baptismate, 366.

De ſancto Paſchæ Feſto & Reſurrectione, 382.
De ſancta Reſurrectione Domini Oratio II. 400.
De ſancto Paſcha & Reſurrectione Oratio III. 416.
De ſancto Paſchæ Feſto Oratio IV. 435.
De ſancta Domini Reſurrectione Oratio V. 437.
De Aſcenſione Domini, 441.
De Occurſu Domini & Simeone, 444.
De Deitate Filii & Spiritûs ſancti, & de Abraham, 464.
In laudem Baſilii Magni fratris ſui Oratio, 479.
In laudem ſanctorum quadraginta Martyrum Oratio, 499.
In laudem eorumdem Sanctorum Oratio ſecunda, 504.
In funere Pulcheriæ Oratio conſolatoria, 514.
De Placilla Oratio funebris, 527.
De Vita ſancti Gregorii Thaumaturgi, 534.
De laudibus ſancti viri ac Martyris Theodori, 570.
De Magno Meletio Oratio funebris, 580.
Vita atque Encomium ſancti Patris Ephraim, 595.
Oratio quâ docet non eſſe dolendum ob eorum obitum, qui in fide dormierunt, 617.
Epiſtola ad Flavianum, 645.
Oratio de iis qui adeunt Jeroſolymam, 652.
Epiſtola ad Euſtachiam, Ambroſiam & Baſiliſſam, 655.
Poſſent autem commodiùs omnia ſancti Gre-

gorii Nyſſeni Opera diſtribui in duos tomos, quorum primus eſſet Tractatuum majorum & Commentariorum, ſecundus verò Orationum quas habet multas & Epiſtolarum, aliorumque minorum Operum.

395. MARCUS Eremita, qui & Exercitator dictus eſt, ſub Imperatore Theodoſio ſeniore vixit, ex Palladio in Hiſtoria Lauſiaca, qui eum jam Centenarium inviſit. Sozomenus autem & Nicephorus Callixtus de eo ejuſque Scriptis honorandam mentionem faciunt. Sozomenus lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 29. *Marcum* (inquit) *ferunt etiam in ætate juvenili admodum fuiſſe placidum, prudentem, & ſanctarum Scripturarum memorem; denique uſque adeò Deo carum, ut Macarius affirmaverit. quòd cùm Preſbyter Cellinorum eſſet, abs ſe nunquam acceperit, quæ Sacerdotes initiatis ad menſam ſacram dare decet: ſed Angelus ei dederit, cujus ſe manum ad junctūram uſque tantùm vidiſſe dixit.* Nicephorus verò, *ipſe quoque* (inquit) *Marcus in Monaſtica vita priùs verſatus, multa poſt ſe reliquit Scripta. Eorum qui ad nos pervenerunt, libri octo ſunt, univerſalium affectionum numerum æquantes; & alii triginta & duo, in quibus vias totius Aſcetica vitæ omnes perſequitur: ad quæ loca ſecedendum, & quomodo ad voluntatem Dei greſſus dirigendi ſint: quomodo etiam homo Dæmonum tentationes ſuperet, mentémque repurget, atque ad veterem dignitatem progrediatur, ut cum Deo cœleſte inſtitutum ſectatus, vivat.* Eorumdem Operum mentionem habet Photius in ſua Bibliotheca Cod. 200. quorum plurima Latinè reddita ex MS. Cod. Bibliothecæ Regiæ, qui ibidem extat, à Joanne Pico Pariſienſi Claſſium Inquiſitoriarum Præſide, de

cujus verſionis cenſura vide Bellarminum & Joannem Mariam Braſichellanum, qui in Romano Indice anni 1607. tom. 1. pag. 173. & ſeqq. obſervat hæc opera cautè eſſe legenda, & non pauca arguit in iſto Auctore, quiſquis tandem ille fuerit. Poſſet facilè conferri Latina tranſlatio cum manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ Regiæ, & edi cum textu Græco, cujus adhuc manuſcripta exemplaria in aliis Bibliothecis, ut in manuſcriptis Codicibus Beſſarionis Cardinalis, quos habet Reſpublica Veneta; & in Bibliotheca ſereniſſimi Bavariæ Ducis num. 88. ubi *Marci Monachi Sermones decem*, cum Dorothei Abbatis Sermonibus ſeu Inſtitutionibus, cum Iſaïæ Abbatis Presbyteri & Anachoretæ Sermonibus xxviij. cum capitibus centum de perfectione Diadoci Photices in veteri Epiro Epiſcopi. Marcus porro noſter eſt diſtinguendus ab alio, qui floruit tempore Leonis Philoſophi Imperatoris, hoc eſt, cica annum 900. qui Imperatorem illum ſaucium curavit, eique decem adhuc vitæ annos prædixit, ut Joannes Curopalata, Cedrenus, Zonaras, aliique Græci Scriptores narrant.

TICONIUS natione Afer, quem ſanctus 395.
Auguſtinus Donatiſtam fuiſſe affirmat, ſcripſit multa, de quibus Gennadius lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 18. & poſt eum Honorius Auguſtodunenſis lib. 2. cap. 18. Habemus ejus opuſculum *De ſeptem Regulis ad inveſtigandam & inveniendam intelligentiam Scripturarum*, in Bibliotheca veterum Patrum, Pariſienſis primæ editionis anni 1575. de qua jam ſæpius, & in ſequentibus omnibus. Agunt de Ticonio ſanctus Auguſtinus lib. 3. De doctrina Chriſtiana cap. 30. & lib. 2. Re-

tract. cap. 18. Cassiodorus præfatione in Psalmos & lib. divinarum Institutionum cap. 9. & Isidorus lib. 1. de summo Bono, itemque Molanus in manuscripta Bibliotheca sacra. Hujus septem Regularum librum ad MSS. Codices collatum Andræas Schottus Antuerpiensis, Soc. Jesu, tom. v. Bibliothecæ Patrum anno 1618. publicavit. Floruit Ticonius, Theodosio & filio ejus regnantibus.

396. PHILO Carpathi Insulæ, quæ Asiatico tractui adjacet, Episcopus circa annum 396. floruit, de quo sufficienter agunt Bellarminus & Labbeus, occasione cujusdam Commentarii falsò ei adscripti. Huic igitur *Commentarium in Cantica Canticorum* ad Eustratium Presbyterum & Eusebium Diaconum Stephanus Salvatus Piscienſis Interpres attribuit, sed perperam. Verus enim Philonis hujus Commentarius, cum illa interpretatione veteri, cujus meminit Cassiodorus libro de divinis Institutionibus cap. 5. habetur MS. in Bibliotheca clarissimi viri Domini Emerici Bigotii Rotomagensis quem dare optat in lucem publicam.

400. ASTERIUS claræ Amasenorum Metropolis Episcopus, vir sanctitate, doctrinâ & eloquentiâ conspicuus, floruit ad finem quarti sæculi, sancto Chrysostomo æqualis. Prædecessorem habuit Eulalium, cujus mentio apud Sozomenum libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. successorem verò Palladium unum è Patribus Ephesinæ Synodi. Scripsit multa, nota etiam antiquis, Concilio Generali septimo, Adriano Papæ, Nicephoro Constantinopolitano, Photio, auctoribus Catenarum & aliis. Non pauca edita fuerunt, tum separatim, tum in Bibliothecis sanctorum Patrum, tum alieno nomine alibi. Consule inter recentiores præser-

tim Antonium Possevinum in Apparatu sacro, Bellarminum & Labbeum de Scriptoribus Ecclesiasticis, utrumque *in Asterio*; hunc *in Gregorio* quoque *Nysseno*, cujus Homiliæ seu Orationes quinque ex Interpretatione Philippi Rubenii J. C. Antuerpiensis Græcè & Latinè editæ tum seorsim in 4. Antuerpiæ anno 1608. tum tom. 2. Auctarii ad Bibliothecam veterum Patrum anni 1624. Collectore Frontone le Duc Soc. Jesu, & tom. 13. pag. 591, magnæ ejusdem Bibliothecæ Parisiensis anni 1644. Item Orationes septem aliæ, in Auctario Græco-latino ad postremam Bibliothecæ veterum Patrum editionem Parisiensem, edito duobus tomis in fol. anno 1648. curâ & studio Franciſci Combefis Burdegalensis Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Auctario altero ejusdem Auctoris Combefii, edito in fol. anno 1672. Parisiis, pag. 538.

Addo autem aliquas haberi Homilias ad Asterium pertinentes inter opera sancti Gregorii Nyssæni, de quo supra: nempe tomo 2. pag. 132. *in Mulierem peccatricem, vel in alios qui duriùs & acerbiùs alios judicant atque condemnant, quique conversione indigent & pœnitentiâ*: hunc enim tanquam Asterii refert atque delibat Photius in sua Bibliotheca, Cod. 271. *in principium jejuniorum* Ibidem pag. 247. quam etiam velut ejusdem Asterii refert ac delibat Photius loco citato. Denique *in sanctum Protomartyrem Stephanum*. Ibidem tom. 3. pag. 354. de qua pariter Photius citatus. Item *Homilia in Psalmum quintum*, sub nomine Asterii legitur in Codice manuscripto Bibliothecæ Regiæ, num. 2402. quæ etiam extat Græcè impressa apud Chrysostomum Henrici Savillii tom. 7.

num, 65. pag. 431. Denique ex eodem manuscripto Regio, Joannes Baptista Cotelier profundæ eruditionis Theologus & Regius linguæ Græcæ Parisiis Professor, edidit *septem Orationes sive Homilias sancti Asterii in Psalmos* V. VI. & VII. tom. 2. pag. 1. & seqq. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ*. quæ in 4°. duobus tomis edita Parisiis anno 1681. apud Franciscum Muguet. Plura autem habet de his Homiliis in suis Notis pag. 516. ubi eas asserit & rectè probat esse Asterii, tam ex auctoritate Ms. Cod. quam Catenarum veterum eas sub nomine Asterii allegantium.

Vixit Asterius Amaseæ in Ponto Episcopus anno circiter 400. à Christi Domini Natalibus, ut colligitur ex Orationibus de Calendis & adversùs avaritiam, ubi meminit eorum quos Julianus Apostata Imperator ad fidem negandam induxerat: *etiamnum recentia & nostræ ætatis, cum enim Imperator ille &c.* Citatur in Nicæna II. Synodo Actionibus 4. & 6. ab Hadriano I. Papa libro de Imaginibus, à S. Nicephoro Constantinopoliano, in 1. & 2. Antirrheticis, à Photio Cod. 271. Myriobibli, aliisque. Diversus porro fuit tum ab Asterio Arrianæ factionis Philosopho, quem constat ex sancto Hieronymo cap. 94. libri de Script. Ecclesiasticis sub Constantio Imperatore, scripsisse in Psalmos, Evangelia & Epistolam ad Romanos, quique notus Socrati, Sozomeno cæterisque Historiæ sacræ Scriptoribus, imò & sancto Athanasio in libro de Synodis. Item alius ab Asterio Petræ in Arabia Episcopo, qui unà cum Acacio legatione functus est ad sanctum Julianum cognomento Sabam, teste Theodoreto in Philoteo seu Religiosa Historia cap. 2. & ex Arriano factus

Catholicus, sanctorumque Athanasii atque Eusebii Versellensis æqualis, in Africam à Constantio Imperatore relegatus, ibidem occubuit; cujus in Martyrologio Romano memoria ad diem x. Junii.

MARCUS Gazæ in Palestina Diaconus, vixit sub annum quadringentesimum-tertium, & fidelissimè scripsit *Acta sancti Porphyrii Gazensis Episcopi & Martyris*, relati in fastos Romanos ad diem 26. Februarii. Acta illa græcè apud Metaphrastem, latinè apud Laurentium Surium extant. 403

PAULINUS sancti Ambrosii olim Diaconus, de quo sic Isidorus libro *De Viris illustribus cap.* 4. *Paulinus Presbyter explicuit in benedictionibus Patriarcharum triplici intelligentiæ genere libellum satis succincta brevitate compositum. Idem etiam petente Augustino conscripsit Ambrosii vitam, signis florentem atque doctrinis, & meritis Apostolorum non imparem. Si quidem & Constantius Episcopus Germani vitam contexuit, obitumque Paulini Uranius edidit.* Hæc sanctus Isidorus. Opusculum *De Benedictionibus Patriarcharum* est illud ipsum quod habetur sub nomine & inter opera Ruffini Presbyteri, sed illud Paulini hujus non est, neque alterius Paulini Nolani Episcopi, imò Rufinum habet Aquileiensem auctorem, inter cujus opera est impressum. Deceptus itaque est Isidorus, ex eo quod dictum Rufini opus instante Paulino Nolano compositum atque eidem transmissum, Paulini esse crediderit. Vita autem *sancti Ambrosii à Paulino ejus olim Diacono scripta* solet præmitti omnibus editionibus Ambrosianorum operum. Idem Paulinus obtulit *libellum Zozimo Papæ in gratiarum actionem, ob Pelagium & Celestium condemnatos*, quem habet ultima Collec- 410

tio Conciliorum Parisiensis anni 1671. tom. 2. pag 1578. Claruit anno 400. ad 420. & ultra ; distinguendus cautè à duobus aliis Paulinis eodem tempore adhuc viventibus. Horum unus Paulinus Biterrensis,in Gallia Episcopus ; de quo Aubertus Miræus in Auctario suo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 63. qui sub annum 410. vixit, sub cujus nomine apud Cardinalem Baronium in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 418. extat *Epistola* enarrans signa terrifica Biterris effecta. Rosvveidus in notis ad Paulinum Nolanum, dubitat an huic Paulino Biterrensi non sit attribuenda elegans *Homilia in sanctum Genesium Martyrem Arelatensem*, quam Surius ad diem 25. Augusti edidit, & quæ inter Paulini Nolani opera legitur. Alter Paulinus Ausonii ex filio, vel (ut alii volunt) ex Fratre Hesperio Nepos, hoc etiam tempore extitit, qui ad annum usque vitæ suæ 83. pervenit; cujus *Eucharisticum Carmen* de vita sua legitur post Poëmata sancti Paulini Nolani, in Bibliotheca veterum Patrum editionis Parisiensis annorum 1575. & 1589. quas consule.

420. MARCELLUS Memorialis scripsit Severiano & Juliano *Acta Collationis Cartaginensis lib.* 3. quæ circa annum 411. habita fuit. Hanc è Ms. Cod. erutam primus edidit Papirius Massonus Gallus, quam correxit Petrus Pithœus Trecensis, habétque Collectio noviſſima Conciliorum Parisina anni 1671. tom. 2. pag. 1337. floruisse creditur circa annum 420.

420. SEVERUS SULPITIUS de cujus laudibus & Scriptis,Bellarminus & Labbeus in opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Possevinus *in Apparatu sacro*. Hujus Operibus sæpiùs impressis cum no-

tis etiam & Commentariis, addo duas insignes Epistolas ad sororem suam quas primus evulgavit Stephanus Baluzius tom. 1. Miscellaneorum suorum pag. 329. Itémque alias quinque in Spicilegio Lucæ Dacherii evulgatas ex Ms. Cod. tom. 5. pag. 532. magnum veteris ac venerandi Scriptoris Supplementum.

Pelagius natione Scotus, è Britannia oriundus, ex Oroſio in Apolog. & ſancto Auguſtino 420.
Epiſt. 106. ad Paulinum, ubi eum Britonem cognominatum eſſe ait, ut à Pelagio Tarenti diſtingueretur. Idem conſtat ex ſancto Proſpero, initio Carminis De ingratis, ubi eum Britannum Colubrum vocat: qui à ſancto Hieronymo præfatione lib. 1. in Jeremiam Scotus dicitur, *& Scotorum pultibus prægravatus*: eo quòd ob gentis utriuſque viciniam, Britanni etiam Scoti dicerentur. Profeſſione Monachus fuit, ex ſancto Auguſtino lib. De geſtis Pelagii cap. 25. & lib. De Hæreſibus cap. 88. non ex eorum genere Monachorum qui Cœnobiticam in Monaſterio vel Eremiticam in deſertis locis; ſed qui Religioſam in ſuis ædibus vitam agebant, & ſæculi contemptum modeſtiore corporis habitu, moribùſque profitebantur. Unde ſanctus Auguſtinus ipſum *veluti Monachum* appellat. Nunquam ſacris Ordinibus initiatus eſt, unde ipſum Zozimus Pontifex *virum Laïcum* vocat Epiſtola ad Aurelium, & ſanctus Auguſtinus lib. de geſtis Pelagii cap. citato Presbyterum vel Clericum fuiſſe negat. Neutiquam confundendus, (ut Baronius Voſſius & Vſſerius fecerunt) cum alio ejuſdem nominis Monacho, cujus defectionem à fide luget, moréſque pravos arguit ſanctus Chryſoſtomus Epiſt. 4. ad Olympiadem. Ut enim ob-

ſervat doctiſſimus Petavius lib. De Pelagianorum & Semipelagianorum Dogmatum Hiſtoriâ, hæc Epiſtola ſcripta eſt àS. Chryſoſtomo exule circa annum Chriſti 403. quo tempore etſi concepta eſſet à Pelagio hæreſis, nondum tamen palam innotuerat, maximè apud Orientem. Imo tunc Pelagius magnum ſanctimoniæ nomen ſuſtinebat, ut teſtatur ſanctus Auguſtinus eum vocans ſanctum lib. De peccatorum meritis & remiſſione cap. 1. quod opus contra ipſius doctrinam edidit anno 413. poſt damnatum ſcilicet in Concilio Carthaginenſi Celeſtium, anno 412. Credibile eſt eum poſtea in Paleſtina Monachum habitu factum, ubi cùm eſſet, adverſus gratiam Chriſti peſtilentiſſimum Dogma cum Diſcipulo ſuo Celeſtio concepit animo. Celeſtius qui prior in Africa palam hæreſim publicavit, anno 412. Carthagine damnatus fuit. Pelagius ſtilo primum à ſancto Hieronymo, poſt ab Auguſtino perſtrictus fuit, demum ab Innocentio I. Papa anno 417. menſe Januario, unà cum Celeſtio Eccleſiaſtica Communione privatus eſt. Eoſdem anno 418. Zozimus Innocentii in Pontificatu ſucceſſor, damnavit, & ſuo Edicto Honorius Imperator perculſit. Africani porrò Epiſcopi accepto Zozimi Decreto (in plenaria Synodo ut ſcribit Proſper) Epiſcoporum ccxiij. Carthagine Congregatâ contra Pelagianam hæreſim canones octo condiderunt, qui Milevitanæ in Numidia Synodo per errorem attribuuntur. Hæc Compendio dicta ſint, qui plura voluerit, legat Dionyſium Petavium in libro De Hiſtoria Pelagianorum & Semipelagianorum ex Theologicis Dogmatibus, Pariſiis in fol. tomis 5. anno 1644. apud Sebaſtianum Cramoiſy, Voſſium in hiſtoria Pelagiana Amſte-

lodami

lodami in 4. anno 1655. Usserium Archiepiscopum Armachanum, Henricum de Noris Ordinis Eremitarum sancti Augustini, qui amplis doctisque voluminibus de ea re scripserunt. Plurima etiam de Pelagii & Celestii doctrina, moribus, condemnatione, discipulis & impugnatoribus, Natalis Alexander Dominicanus *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, tom 1. sæculi quinti articulis decem capitis 3. à pag. 57. ad 271. quem consulas.

Scripsit Pelagius *Commentarium in Epistolas sancti Pauli*, quem habes tomo 8. operum Divi Hieronymi impressum, & quem nonnulli sancto Doctori perperam adscripserant. Constat autem esse Pelagii tam ex Augustino qui eum Pelagio attribuit variis locis, quam ex Commonitorio Marii Mercatoris auctoris contemporanei, quod legitur tom. 2. Conciliorum pag. 1512. Item *Epistolam* dedit *ad Demetriadem* Virginem tom. 9. eorumdem operum D. Hieronimi, ac post Epistolas D. Augustini, sæpius impressam: denique *Libellum suæ fidei*, ad Innocentium Romanum Pontificem tom. 2. eorumdem Conciliorum pag. 1563. Hæc de Pelagii Scriptis, qui defunctus circa annum 418.

PALLADIUS natione Galata, Helenopoleos in Cappadocia Episcopus, Evagrii Pontici Discipulus, & Ruffini Aquileiensis Presbyteri æqualis atque amicus fuit, propensior in Origenis ac Pelagianorum errores, obiit sæculo Christi quinto post annum 410. aut etiam 418. Mentio illius apud S. Epiphanium Epist. ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum, quæ est 60. inter Hieronymi Epistolas, apud sanctum Hieronymum in 420.

proëmio libri ad Cteſiphontem adverſùs Pelagianos, Gelaſium I. Papam præfatione in librum adverſùs Pelagianos, Socratem lib. 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 18. Caſſiodorum Hiſtoriæ tripartitæ lib. 8. cap. 1. Joannem Damaſcenum ſeu quemvis alium Auctorem libri, de iis qui in fide dormierunt; Nicephorum libro ij cap. 44. Poſſevinum, Voſſium &c.

Hic anno ætatis 53. Epiſcopatûs 20. vitæ ſolitariæ 33. poſt luſtratam & pedibus obitam Eremum, ſcripſit græcè *Hiſtoriam Lauſiacam* (dicta autem eſt *Lauſiaca*, quia ad Lauſum virum illuſtrem & ſacro Cubiculo Præfectum ſcripta fuit) quam habes latinè ex veteri interpretatione editam cum notis Heriberti Roſyveidi in Vitis Patrum Antuerpiæ in fol. annis 1615. & 1628. Item græcè cum Notis Joannis Meurſii anno 1619. Lugduni Batavorum in 4. denique græcè & latinè cum notis Frontonis LeDuc in Supplemento græco-latino Bibliothecæ veterum Patrum editionis Pariſienſis 1624. pag. 893. Sed quia multa in græco textu deſunt ex defectu MSs. Codd. in illa Meurſii ac Ducæi editione græca; Joannes Baptiſta Cotelier *in ſuis veteribus Monumentis Eccleſiæ Græcæ* anno 1681. Pariſiis in 4. editis apud Franciſcum Muguet tom. 2. pag. 341. addidit ſupplementum ejuſdem textûs græci Hiſtoriæ Lauſiacæ, collatum ad Ms. Cod. græcum 1466. Bibliothecæ Regiæ: & ad 3. MSs. Codd. Bibliothecæ Colbertinæ, unde integer prodire poteſt. Item ſcripſit tractatum *De gentibus Indiæ & Bragmanibus* græco-latinè ex Ms. Cod. Anglico per Eduardum Biſſæum Londini 1665. in 4. *Item vitam ſancti Joannis Chryſoſtomi* quam habes latinè tantùm inter ejus opera

græco-latina in fine 2. voluminis, scriptam per modum Dialogi inter Episcopum & Theodorum, unde quidam illam Theodoro adscripserant. Sed eandem græcè & latinè ex Ms. Cod. Bibliothecæ Florentinæ, quo olim usus fuerat Ambrosius Camaldulensis in interpretatione sua, edidit Emericus Bigotius Doctissimus Rotomagensis in 4. anno 1680. Parisiis apud Viduam Edmundi Martini viâ Jacobæâ sub Sole Aureo. Omisit præfationem huic operi à Palladio præfixam Emericus Bigot ob rationes quas Critici idoneas non censent, ideóque malæ fidei apud multos accusatur, quod ingenuo homine litteratóque est indignum. Opus autem Palladii inscriptum *Historia Lausiaca* olim Romæ Ms. in Bibliotheca Sfortiana in classe Historicorum num. 93. tractatus *De gentibus Indiæ & Bragmanibus* Ibidem in classe Theologorum num. 106. *Vita sancti Joannis Chrysostomi* Ms. in bibliotheca Imperatoria Vindobonensi.

Polycronius Apameæ Episcopus, Theodori Mopsuestiæ Episcopi frater, Diodori Tarsensis Episcopi auditor, scripsit teste Sixto Senensi in Bibliotheca sancta *Commentaria in Job & Ezechielem*, ex quibus multa Theodoretus Cyrensis desumpsit. Vixit sub annum 420. de quo Baronius in Gestis anni 433. Habetur sub nomine Diaconi Polychronii *Commentarius in Ecclesiastem & in Cantica Canticorum* in Bibliotheca Bavarica num. 49. & 50. Itémque *Commentarii in Cantica* MSs. in Bibliotheca Galliarum Regia. Viderint curiosi Antiquitatum, an habeant sæculum & mores Polychronii Apameæ Episcopi.

Severus minoris insulæ Balearis Episcopus, Asclepiodoro & Mariniano Consulibus, hoc est an-

no Christi 423. Circularem ad omnes Ecclesias Epistolam misit *de Judæorum in ea Insula conversione déque miraculis ibidem factis ad Reliquias S. Stephani*, quas Paulus Orosius, quia in Hispaniam à Gothis obsessam transmittere non poterat, illic reliquerat. Ex Vaticana eam bibliotheca Baronius in Gestis anni 418. inter Annales edidit.

PHILOSTORGIUS Arrianus scripsit Historiam Ecclesiasticam lib. 12. incipientibus per duodecim litteras sui nominis usque ad annum 425. in quibus maximè favet Arrianis, multísque in casibus S. Athanasium culpat. Incœpit Historiam Ecclesiasticam ab Arrii in hæresim studio, & desiit in Gestis anni, quo post mortem Honorii, Theodosius junior Valentinianum Juniorem patruelem suum imperii consortem fecit, ut Photius in Bibliotheca Cod. 40. tradit, ubi plura de eo scriptisque narrantur. Nicephorus Callixtus initio operis sui *Deo invisum* vocat, nempe ob hæresim, eundémque ut ineptum Eunomii laudatorem lib. 12. cap. 29. taxat. Suidas ex Philostorgio non pauca recitat variis in locis. Hoc opus eruit ex Ms. Cod. Genevensi Jacobus Godefroy doctissimus Jurisconsultus impressum in 4. Genevæ anno 1652. sed & illud procuravit imprimi iterum anno 1673. Henricus Valesius Regius Historicus, cum Historiis Theodoriti & Evagrii Scholastici in fol Parisiis apud Petrum le Petit viâ Jacobæa sub signo Crucis Aureæ.

EVODIUS Uzalensis in Africa Episcopus, ad quem frequentes sancti Augusti Epistolæ extant, unus fuit ex quinque illis Africæ Episcopis, quorum litteras ad Innocentium I. Papam habemus. Hic

scripto confirmavit miracula facta ad Reliquias sancti Stephani, quas ex Palestina primus in Occidentem Orosius adtulerat. Ita de eo Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 8 & de miraculis quæ fiebant apud Uzalim. Ita etiam scribit Sermone de Diversis xxxiii. *apud Uzalim: Ubi est frater meus Episcopus Evodius quanta ibi miracula fiant, quærite & invenietis.* Recitat ibidem de matre rogante Protomartyrem pro filio absque Baptismo defuncto, ad gratiam Baptismi suscipiendam resuscitato. leguntur *D. Augustini ad Evodium Epistolæ* 99. 100. 101. *&* 102. totidémque *Evodii ad Augustinum Epistolæ inter Augustinianas positæ* 98. 246. 247. 259. Estque unus ex illis quinque Episcopis, quorum apud Augustinum extat *Epistola* 95. *ad Innocentium Papam.* Scripsit etiam *Librum de fide seu de unitate Trinitatis contra Manichæos*, quem habes tom. 6. operum Divi Augustini, ut evincit Jacobus Sirmondus lib. de Historia Prædestinatiana cap. 1. ex fide trium MSs. Codd. & præcipuè Corbeiensis Abbatiæ. De Evodio Sigebertus Gemblacensis libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 15. Aubertus Miræus in Auctario cap. 73. Possevinus in Apparatu sacro cum aliis. Floruit circa annum 420. &ultrà.

LEPORIUS vitam primùm professus Monasticam in Galliis, deinde in Africa promotus ad Sacerdotium, Pelagianorum erroribus imbutus est, ac Nestorianam etiam hæresim prædocuit. A Cassiano admonitus cum adhuc in Galliis versaretur, ab sancto Augustino in Africa ad fidem Catholicam conversus, *libellum suæ emendationis seu fidei professionem edidit*; quam Aurelius Carthaginensis, sanctus Augustinus, Florentius & Secundus Afri-

cani Episcopi probaverunt, & cum litteris de ejusdem Leporii conversione ad Proculum Massilienſem & Cilinium Aquenſem in Galliis Episcopos miserunt. Quo præcisè anno, incertum, quamvis circa 425. hoc contingere potuerit juxta Labbeum in Chronologia Ecclesiasticorum Scriptorum. Circa 420. juxta Aubertum Miræum in Scholio ad caput 59. Gennadii Massilienſis De scriptoribus Ecclesiasticis. Hunc libellum integrum Jacobus Sirmondus cum Victorii Afri, Isaaci & Capreoli Cartaginenſis Episcopi & alterius Opusculis Dogmaticis, Parisiis anno 1630. primus in lucem edidit apud Sebastianum Cramoisy viâ Jacobæâ sub Ciconiis. Immissus postea in Collectionem Conciliorum Editionis ultimæ Parisienſis anno 1671. tomo 2. pag. 1678. post primam Sirmondi Editionem. Ubi & quam ob causam scriptus sit præter Gennadium citatum cap. 59. de Scriptoribus, commemorant Cassianus libro de Incarnatione Christi cap. 4. Facundus Hermianenſis lib. 1. cap. 4. quorum testimonia ex parte cum testimonio Joannis Papæ 11. Epistola 3. ad Avienum & Cœteros Senatores, ad libelli finem adtexta sunt. Sed hunc illi variis nominibus designant; Joannes Papa *Epistolam* vocat, Cassianus *flebiles confessionis & planctûs litteras*, Gennadius *libellum emendationis*, Facundus *libellum satisfactionis*. Ad calcem Sirmondus adjecit sancti Augustini (ab hoc enim dictatum stilus indicat) Collegarúmque Africæ Præsulum Epistolam, quam unà cum Leporii libello, ut facti fidem facerent, miserant ad Episcopos Galliæ. Hujus etiam meminit Vigilius Tapsenſis lib. 2. de Trinitate, & ante hos omnes sanctus Leo Papa in Collectione

testimoniorum SS. Patrum pro asserenda veritate duarum naturarum in Christo, subnexa ipsius Epistolæ ad Leonem Imperatorem. Laudat sanctus Leo verba istius Leporianæ Confessionis, sed sub nomine sancti Augustini, cui etiam attribuitur in illo testimoniorum delectu, quem habet Actio 2a. Concilii Calcedonensis. Quare hunc libellum à sancto Augustino conscriptum asserit & probare contendit vir eruditus Paschasius Quesnel Presbyter Congregationis Oratorii, in notis ad Epistolam 134. sancti Leonis Papæ.

ISAAC claruit circa annum 430. de quo sic 430.
Gennadius cap. 26. Isaac scripsit de sancta Trinitate & de Incarnatione Domini librum obscurissimæ Disputationis & involuti sermonis, confirmans ita in una Deitate tres esse Personas, ut tamen sit in singulis proprium aliquid, quod non habeat alia. Patrem scilicet hoc habere proprium quod ipse sine origine origo sit aliorum: filium hoc habere proprium, quod genitus Genitore non sit posterior: Spiritum Sanctum hoc habere proprium, quod nec factus sit, nec genitus, & tamen sit ex altero. De Incarnatione verò ita scribit, ut manentibus in eo duabus naturis, una credatur filii Dei Persona. Isaaci ex Judæo ad Christum Conversi Librum fidei *de sancta Trinitate & de Incarnatione Domini* tractantem, Jacobus Sirmondus Soc. Jesu Theologus cum Leporii Presbyteri, Capreoli Episcopi Carthaginensis & Victorini Afri Libellis, primus anno 1630. Parisiis edidit.

URSINUS Monachus scripsit adversus eos qui rebaptizandos Hæreticos decernunt, docens nec legitimum esse nec Deo dignum rebaptizari illos

„ qui in nomine vel simpliciter Christi, vel in no-
„ mine Patris & Filii & Spiritûs sancti, quamvis
„ pravo sensu baptizentur: sed post sanctæ Trini-
„ tatis & Christi simplicem Confessionem, sufficere
„ ad salutem manûs impositionem Catholici Sa-
„ cerdotis. Hæc Gennadius cap. 27. Hoc opusculum anonymum descripsit primùm Jacobus Sirmondus ex Ms. Cod. sancti Remigii Remensis, evulgavit Nicolaus Rigault tacito nomine Auctoris inter notas suas ad Cyprianum, designavit Auctorem Philippus Labbeus in tabula præfixa Conciliis à se collectis ultimæ editionis Parisiensis anni 1671. ex fide Ms. Codicis Vaticani, ibidémque recudit tom. 1. Conciliorum pag. 770. Ignoravit Joannes Fell doctissimus Episcopus Oxonienſis in ultima editione operum sancti Cypriani anno 1682. Oxonii procurata, ubi dictum opus anonymum reliquit. Floruit anno 430. de quo post Gennadium Honorius Augustodunensis libello 2. cap. 27.

„ VIGILIUS Diaconus composuit ex Traditione
„ Patrum *Monachorum Regulam* quæ in Cœnobio
„ ad profectum Fratrum in Conventu legitur brevia-
„ to & aperto sermone, totius Monasticæ profes-
„ sionis in se continentem Disciplinam. Hæc Gennadius cap 51. quam nos habemus Regulam in Collectione Regularum Lucæ Holstenii, editâ Parisiis in 4. anno 1663. apud Ludovicum Billaine, 1. parte pag. 89.

PAULINUS qui & Pontius Meropius, ex Senatoribus tum paterno tum materno genere Romanis, Patre Paulino Burdigalæ in Aquitania natus anno Christi exeunte 353. vel ineunte 354. ab Ausonio Rhetoricis & Poëticis artibus institutus Con-

sul suffectus est, non ordinarius. Dives valde, Therasiam piam & locupletem duxit uxorem, cujus hortationibus, sanctorúmque Episcoporum & Presbyterorum suffragiis anno exeunte 389. ad Christum conversus est ætatis anno 36. à Delphino Burdegalensi Episcopo baptizatus, in Hispaniam cum piissima conjuge Therasia secessit ante annum 390. seu exeunte 389. ubi quatuor completos annos commoratus, ex ea suscepit filium qui sub octavum ab ortu diem defunctus Compluti sepultus est. Inde Paulinus se Deo dicat & consecrat: ac Monasticam vitam amplectitur; vendit prædia & pecuniam pauperibus erogat anno 392. Tum exeunte 393. Barcinone facto multitudinis impetu à Lampio Presbyter ordinatur invitus die Dominicâ Nativitatis Christi, ætatis anno 40. Ex Hispania in Italiam venit anno 394. & Florentiæ peramanter exceptus est ab Ambrosio, qui illum Clero adscribere suo voluit: ut etsi diversis in locis degeret, tamen Mediolanensis Ecclesiæ Presbyter censeretur. Hinc Romam se contulit, ubi dum honorificè admissus est à Populo & Proceribus Urbis, sensit Siricii Papæ & quorumdam Romanæ Ecclesiæ Clericorum invidiam: quamobrem paucis post diebus Nolam se recipit, & ibi consistit unà cum conjuge. In morbum incidit anno 395. & ab Africæ & Campaniæ Episcopis, Clericis & Monachis invisitur. Sanctissimo Capuanæ Ecclesiæ Presbytero Basilio, magnâ vi ereptam domum restitui impetrat. In Paulini gratiam scribit Anastasius Papa anno 399. ad Episcopos Campaniæ, eodémque tempore gravi & diutino morbo laborat Paulinus. Anno 402. à Niceta Dacorum Episcopo & à Melania Seniore

invisitur, Basilicas anno 403. Nolæ ædificat, itémque Fundis Ecclesiam constrúi jubet. Ipsius fratre mortuo, Paulinus exeunte anno 409. Nolæ creatur Episcopus, ætatis anno 56. Nolâ à Gothis captâ anno 410. nihil mali Paulino illatum est, imò apud eum se recipiunt Paulini duo, unus Presbyter, alter Laïcus. Ad Synodum Ravennam anno 419. ab Imperatore invitatur, ut Romanæ Ecclesiæ Schisma componat. Anno 431. mense Junio gravissimo laterum dolore correptus, à duobus Episcopis invisitur triduo ante obitum, cum quibus ante lectulum suum offert Deo sacrificium. Ad Ecclesiæ communionem revocat à sacris Mysteriis extorres, postridie cum suis matutinum persolvit Officium; & datâ pace omnibus Ecclesiæ suæ Clericis, circa horam decimam in nocte cubiculum in quo jacebat, motu terræ concutitur, ac paulo post animam Deo reddidit anno Christi 431. die 22. Junii, ætatis anno 78. Vultus ejus niveo candore & totum corpus resplenduit, Pagani & Judæi ingenti fletu & sciffis vestibus ad ejus exequias unà cum Christianis convenerunt, Nolæque in Basilica sancti Felicis sepultus est, qui anno 432. evocavit ad cœlos sanctum Joannem Neopolitanum Episcopum. Hanc vitæ Epitomen ex nupera editione operum sancti Paulini verbo tenus, huc transtulimus.

De Scriptis sancti Paulini ad plenum agunt Bellarminus & Labbeus *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*: nos tantum attingemus breviter varias illorum editiones. Prima eorum editio prodiit Lutetiæ Parisiorum anno 1516. typis Jodoci Badii Ascensii, in multis lacera, in nonnullis mutila, ac etiam à

censore ipso Badio depravata. Secunda est editio Henrici Gravii Dominicani, qui anno 1560. Coloniæ sub prælo Choliniano Paulini opera multis mendis repurgavit ex veteribus MSs. Exemplaribus. Inde tertia prodiit Basileæ anno 1569. inter Orthodoxographos à Joanne Jacobo Grinæo collectos, quæ videtur ex Manuscriptis post priores editiones expressa. Quartam cum Ms. Codice collatam immisit Andræas Schottus Jesuita in Colonienſem Bibliothecæ Patrum editionem anni 1618. addito Epithalamio Juliani & Ibæ nondum excuso. Quintam & postremam editionem anno 1622. Antuerpiæ curavit & typis Plantinianis commisit Heribertus Rosvveidus Soc. Jesu, vir pius & eruditus; sed tot occupationibus implicatus, ut cum tempus non sufficeret, aliorum sæpe studiis uti cogeretur, & succedaneam duntaxat imponeret manum. Illam profecto editionem accuratam non existimavit ejusdem Societatis Petrus Franciscus Chiffletius, qui ad novam sancti Paulini operum editionem procurandam multa in medium protulit in suo *Paulino illustrato*, quem edidit in 4. Divione anno 1662. apud Viduam Philiberti Chavancii. Tandem jam sub prælo novo sunt sancti Paulini opera, in 4. duobus tomis evulgata anno 1684. Parisiis apud Edmundum Couterot viâ Jacobæâ sub signo sancti Petri, collata ad plurimos MSs. Codices, illustrata notis ac lectionibus variantibus curâ ac studio Domini Joannis Baptistæ le Brun doctissimi Presbyteri, cujus laboribus accedere nihil potest.

URANIUS sancti Paulini Nolani Discipulus, magistro suo morienti anno 431. adfuit, & narrationem de ejus obitu ad posteros transmisit,

quam Surius primus ad diem 22. Junii publicavit, ac post eum Franciscus Chiffletius Soc. Jesu in suo *Paulino illustrato* anno 1662. Denique ultimus editor & illustrator Operum sancti Paulini de quo statim tom. 2. pag. 143. editionis Parisiensis 1684. Uranii Paulinus ipse epistolâ 17. & Isidorus in Catalogo cap. 4. meminerunt.

CAPREOLUS Carthaginiensis in Africa post Aurelium Episcopus, scripsit Epistolam *De una Christi veri Dei & hominis Persona*, contra hæresim Nestorii recens damnatam. Eam Jacobus Sirmondus Soc. Jesu Theologus, cum opusculis Dogmaticis aliorum quatuor Scriptorum veterum, qui ante annos amplius mille ducentos claruerunt, Parisiis 1630. edendam curavit. Atque hujus quidem Epistolæ ad Vitalem & Tonantium Hispanos scriptæ, (cùm ibi Nestoriani Dogmatis semina spargerentur) fragmentum ex Pithæanis Schedis, jam antea Baronius in Gestis anni 432. ediderat. Vincentius porro Lerinensis in posteriore Commonitorio, insuper cum laude meminit *Epistolæ ab eodem Capreolo scriptæ ad Synodum Ephesinam*, quæ extat in Actione 1. ejusdem Synodi: sed & legationis Ephesum à se missæ Capreolus ipse meminit in Epistola à Sirmondo edita.

MARIUS Mercator Laïcus, vir eruditus, sancto Augustino familiaris, ipsum consuluit de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, ad quem sanctus Doctor Epistolam unam conscripsit, cujus ipse meminit lib. *De octo Dulcitii quæstionibus*, quæst. 3. Hujus incerta patria est; Campanum fuisse vel Appulum, vel ex parte Italiæ quæ vergit ad Siciliam, conjicit eruditus operum ipsius editor, & interpres Joannes Garnerius Soc. Jesu

Theologus; ex eo quod res Celestii Campani Julianique Appuli domesticas privatasque ita noverit, quemadmodum vix alteri licet, quàm qui fuerit ejusdem aut Civitatis aut saltem Provinciæ. Laïcum fuisse, ex sancto Augustino *filium* eum vocante certum est, libro *De octo Quæst. ad Dulcitium quæst.* 3. ubi meminit Epistolæ ad ipsum datæ, quæ nunc primùm extat in nupera editione operum D. Augustini Parisiis hoc anno 1684. procuratâ, studiis Benedictinorum Gallicanorum Congregationis sancti Mauri. Palmas autem suas in sacro Ecclesiæ adversùs Pelagianos bello retulit Marius Mercator, qui contra ipsos *Commonitorium* Theodosio Imperatori obtulit, Florentio & Dionysio Coss. quorum Consulatus incidit in annum 429. Item librum *Subnotationum adversùs Julianum Pelagianum* scripsit post obitum sancti Augustini, tempore Ephesini Concilii. *Adversùs Nestorii impios Anathematismos Contradictiones* scripsit anno 451. ante inchoatum Concilium Ephesinum. *Nestorii Sermones & Epistolas nonnullas, Theodori Mopsuesteni fragmenta, sancti Cyrilli Apologetica adversùs Orientales, & Theodoretum, nec non varia ex libris ejusdem Theodori excerpta*, ex græco in latinum transtulit. Lege eruditi viri Joannis Garnerii Soc. Jesu præfationem in omnia Marii Mercatoris opera, quæ ipse edidit & notis doctissimis ac Dissertationibus prolixissimis ampliavit, in fol. Parisiis anno 1673. apud Sebastianum Cramoisy viâ Jacobæâ sub Ciconiis, ex Ms. Cod. Bibliothecæ Cathedralis Bellovacensis. Hæc porro Marii Mercatoris opera iterum edidit Stephanus Baluzius in 8. anno 1684. apud Franciscum Muguet, simpliciter

& absque omni illo ornatu, & immenso apparatu dissertationum ad nauseam prolixarum, rejectis græcis omnibus hinc atque illinc ad majorem operis molem à Garnerio appellatis. Unde longè sinceriór ad fidem 3. MSs. Codd. hæc ultima editio est. Agit de Mario Mercatore Natalis Alexander Dominicanus in *selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* sæculo v. tom. 1. pag. 219. & 579. unde ista desumpsimus: qui plura voluerit, legat magnum volumen Joannis Garnerii, de quo supra egimus.

PHILIPPUS Presbyter, sancti Hieronymi discipulus & fidelis Auditor, scripsit *Commentarium in librum Job*. Lib. 3. sermone aperto ac simplici, dedicatum Nectario Episcopo, quem malè habent opera impressa tam sub nomine venerabilis Bedæ, quam sancti Hieronymi, in quorum operibus legitur. Vidi illos MSs. in antiquissimo Codice Bibliothecæ Igniacensis in tractu Rhemensi, cum auctoritate Gennadii operi præfixâ. Nulli dubium esse debet, quin opus istud Philippi sit, cujus & Gennadius meminit cap. 62. & cui Philippo affirmat ipse Beda in libello *De ratione unciarum*. Claruit circa Annum 430. cujus sub proprio nomine opus impressum in 4. Basileæ anno 1527. apud Adamum Petrum, & ibidem in fol. eodem anno, apud eundem Adamum Petrum, atque utriusque impressionis exemplum vidimus & tenuimus. Vide Sixtum Senensem in Bibliotheca Sancta pag. 164. qui ejus opera dicit fuisse edita antea sub nomine Bedæ, cum quibus adhuc perperam leguntur.

440. THEODOTUS Episcopus Ancyranus in Galatia, quem malè Gennadius in libro de Scrip-

toribus Ecclesiasticis cap. 55. & Honorius Augustodunensis Libello 2. cap. etiam 55. Theodorum appellat, strenuus sancto Cyrillo in Concilio Ephesino adversùs Nestorium socius fuit. Homilias plures scripsit, è quibus alias oravit in eodem ipso Concilio, in cujus etiam acta relatæ sunt, alias etiam allegat Epiphanius Diaconus & quidem plures. Extant *orationes* Theodoti *duæ* in dicta Synodo recitatæ, quas olim alibi dixerat: & *tertia* adversùs Nestorium, quam habuit in ipsa Synodo. Photius in Bibliotheca Cod. 231. recensens Patrum nomina, quorum testimoniis Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus duplicem in Christo operationem confirmaverat, inter eos nominat sanctum Theodotum qui Ancyræ præfuit. Ipsum *tres libros de Spiritu Sancto* scripsisse, constat ex Nicænæ fidei Expositione contra Nestorium, ad cujus finem hæc habet: *Hæc quidem velut obiter nunc dicta sunto de Spiritu sancto, de cujus divina majestate ac dominatione pleniùs in tribus aliis libris disputavimus; quos si legeris, Spiritum Sanctum pari cum Patre & filio laude celebrari ac conglorificari ex divinis Litteris doceberis.* Sanctus Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus unam omnium certissimè Theodoti Homiliam constare dicit, quâ ejus indubiè mens agnosci possit, dissuasis quæ tot illi falsò adscribunt Hæretici; nempe *in sanctam Deiparam & Symeonem* quam primùm vulgavit Franciscus Combefis. Dominicanus in Auctario suo ad Bibliothecam SS. Patrum editionis Parisiensis anni 1648. ex authographo Jacobi Sirmondi, subjectam Orationi Amphilochii ut ejusdem, quàmque Ms. habet sub nomine S. Theodoti Ancyrani Biblio-

theca Cardinalis Mazarini. Hanc idem Combefis inſeruerat Amphilochianis operibus anno 1644. Pariſiis in fol. procuratis, velut partum Amphilochii, quam Philippus Labbeus Amphilochii Siudæ eſſe exiſtimavit, ſed ſolâ conjecturâ, cui ejuſdem Sirmondi conjectura præiverat. Idem ſanctus Nicephorus in Antirrheticis non omnino agnoſcit Theodotum laudatæ atque inculpatæ fidei, quem tamen nihil favere Iconomachis tum ipſe contendit, tum qui partes Catholicorum in vii. Synodo Epiphanius Diaconus agit. Ait ſe ejus *tomos ſex ad Lauſum contra Neſtorium* legiſſe, itémque *fidei Expoſitionem ſanctorum* 318. *Patrum qui Nicæam convenerant ſeu Symboli Nicæni Expoſitionem & Neſtorii confutationem*, ex Scripturis & fide Niceæ expoſita; quam idem Franciſcus Combefis latinè & græcè didit, notis illuſtravit atque in lucem emiſit, cum *ſancti Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani Oratione hiſtorica in Dormitionem & Tranſlationem ſanctæ Mariæ Virginis Deiparæ*, in 8. Pariſiis anno 1675. apud Antonium Bertier viâ Jacobæâ ſub ſigno Fortunæ.

BACHIARIUS Natione Hybernus, ſancti Patricii, ut volunt, diſcipulus, ſancto Auguſtino coævus, de quo hæc habet Gennadius lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 24. *Bachiarius vir Chriſtianæ Philoſophiæ, nudus & expeditus vacare Deo diſponens, etiam peregrinationem pro conſervanda vitæ integritate elegit. Edidiſſe dicitur grata opuſcula; ſed ego ex illis unum tantùm de fide librum legi, in quo ſatisfacit Pontifici vrbis adverſus querulos & infamatores peregrinationis ſuæ; & indicat ſe non timore hominum, ſed Dei, eam peregrinationem ſuſcepiſſe, ut exiens de terra ſua & de cognatione ſua, cohares*

cohær fieret *Abrahæ Patriarchæ*. Scripsit *Epistolam ad Januarium De recipiendis lapsis*, quæ extat in Bibliotheca veterum Patrum tom. 1. editionis primæ Parisiensis anno 1575. & secundæ, anno 1589. atque in aliis. De eo Joannes Pitseus lib. De Scriptoribus Britanniæ, Aubertus Miræus in Auctario cap. 77. Ut liceat conjecturis agere, videtur Bachiarius subduxisse se ex Britannia, ob variarum nationum incursiones, tunc afflictissima. Nam sub annum 441. *Angli*, *Saxones*, *Jutiæ & Frizii* Germaniæ populi, à Procopio, Bedâ, aliisque vetustis Scriptoribus commemorati, in Britanniam transierunt. Tiro Prosper à Petro Pithœo & Henrico Canisio, atque demum ab Andræa Ducheſnio editus, ad annum xviii. Theodosii, sic scribit: *Britannia usque ad hoc tempus variis cladibus eventibusque lacerata, in ditionem Saxonum rediguntur.* Nec multò ante fortasse ex Hybernia sua venerant *Scoti*, quorum nomen æquè ac *Pictorum*; ævo Julii Cæsaris incognitum fuit.

Fastidius Britannorum Episcopus scripsit ad viduam quandam *De vita Christiana* librum unum, & alium *De viduitate servanda*, sana & Deo digna doctrina. Hæc breviter Gennadius libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 56. Hoc autem opusculum de vita Christiana legitur inter opera sancto Augustino supposita tom. 9. operum pag. 416. ad cujus tomi censuram Philippus Labbeus in opere suo De Scriptoribus Ecclesiasticis tom. 1. pag. 148. adjudicat hoc opus Fastidio Britannorum Episcopo: unde & ex fide Ms. Codicis, impressum est etiam Romæ anno 1663. sub nomine hujus Fastidii, correctumque in multis locis.

PROBA Falconia (ut inquit Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ fol. 293.) illustris fœmina, Adelphi Proconsulis uxor, rari & elegantis ingenii Matrona, græcè & latinè ad summum erudita, divinarum Litterarum amantissima, & quasi altera Christianorum Latina Sapho; prima omnium excogitavit ex verbis Virgilii quem totum memoriâ tenebat, varios utriusque Testamenti locos metricè describere. Excerptis ergo hinc inde ex Virgilii Poëmatibus nunc integris versibus, nunc hemistichiis & hemistichiorum particulis, opus propositum veluti centonem ex multis pretiosis pannis insutum, servatâ Hexametri lege collegit, ipsumque *Virgilio-Centones* inscripsit. Ita Sixtus Senensis, sed Gelazius Papa in Decreto De libris Apocryphis anno 494. edito *hunc Virgilio-Centonem* inseruit, quod ejus antiquitatem valdè commendat. Hos autem Centones primùm olim Lugduni in Gallia anno 1516. impressos vidimus, unà cum Poëmatibus Baptistæ Mantuani. Inde hoc Poëma inductum in Bibliothecam veterum Patrum tom. 8. editionis primæ & secundæ Parisiensium annorum 1575. & 1589. tum in sequentes. Idcirco autem inter Ecclesiasticos viros positam ait Isidorus lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 5. *quod in laudibus Christi versata sit*: Sigebertus verò lib. De viris illustribus cap. 52. inquit *Centonem de mundi Fabrica & Evangeliis plenissimè expressisse*. Claruit sub Valentiniano III. & Honorio Juniore circa annum Domini 430. & ultrà, de qua etiam Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Proba Falconia*. Et in Selecta Bibliotheca lib. 16. editionum Venetæ & Coloniensis, Venetæ apud Societatem Vene-

tam 1602. & alterius auctæ per Auctorem, anno 1608. apud Joannem Gymnicum.

EUDOCIA vel Eudoxia clarissima fœmina, Leonis Athenienſis Philoſophi filia, Theodoſii Junioris Imperatoris uxor, eximiis corporis & animi doribus inſignis, chriſtianæ Religionis perpetua cultrix, ſanctorum Voluminum ſtudioſa, & Poëticæ artis gloriâ inter omnes ſui temporis Poëtas præcipua, collegit breviter ac ſummatim ad imitationem Probæ illuſtris fœminæ, ex græcis Homeri carminibus admirabili induſtriâ plurimas veteris ac novi Teſtamenti hiſtorias, ſervatâ pedum menſurâ & Homerici carminis majeſtate, quod opus in compendium redactum *Homero-Centones* attitulavit. Aſſerit tamen Joannes Zonaras græcus Auctor, Patricium quemdam doctum virum hoc opus primùm collegiſſe, & poſteà imperfectum & indigeſtum reliquiſſe: ſed Eudociam demum abſolviſſe & in ordinem redegiſſe, ut declarat græca inſcriptio heroïcis verſibus operi præfixa. D. Hieronymus in Epiſtola quadam ad Paulinum, ſcribit ſe *Homero-centonas & Virgilio-centonas* legiſſe, ſed cujuſnam ſint, ipſe non indicat. Idem quoque auctor narrat eam cum primùm ob ſingularem pudicitiam & egregiam formam eſſet marito chariſſima, in ejus acerbum odium ob ſequentem cauſam innocenter incidiſſe. Pomum inuſitata magnitudine ſibi oblatum Imperator admiratus, uxori ſuæ miſit. Id illa Paulino dedit viro erudito & hanc ob cauſam ſibi familiari, qui rei ignarus illud Imperatori offert, ut rem miram. Quo ille agnito & occultato, uxorem interrogat, ubi ſit Pomum ipſum miſſum? Illa verita, ne quid ſuſpicaretur maritus quod jam

ſuſpicabatur, ſe comediſſe reſpondit: verùm illo acriùs urgente jurejurando affirmat ſe jam comediſſe: tum Imperator ira percitus, pomum profert. Sic illâ in manifeſto mendacio deprehenſâ, ſuſpicio mariti confirmatur. Paulinus verò innocens occiditur. Eudocia cum ſe inviſam eſſe cerneret, facultatem abeundi Hieroſolymam poſcit: quò cum magnis opibus profecta, & Templa ædificavit, & pauperibus hujus loci Monaſteriis multa dedit. Inde reverſa, poſt mariti obitum, eò rediit, ibique mortua eſt, non ſine magna opinione ſanctitatis, regnante Marciano Auguſto, anno ſalutis noſtræ 460. Hæc Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta lib. 4. pag. 227. editionis Pariſienſis in fol. anni 1610. apud Rolinum Thierry viâ Jacobæâ ſub Sole Aureo. Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro, verbo *Eudoxia* Editionis Colonienſis in fol. 2. tomis anni 1608. apud Joannem Gymnicum. Hoc autem opus inſcriptum Homero-centones extat verſum latinè tom. 8. Bibliothecæ veterum Patrum editionis primæ & ſecundæ Pariſienſis anno 1575. & 1589. atque etiam in aliis editionibus: ſed græcè & latinè ſimul in editione nupera Pariſienſi anni 1644. tom. xi. pag. 572. Meminit etiam hujus Eudociæ Photius in Bibliotheca ſua Codd. 183, & 184. narrans eam ſcripſiſſe *Metaphrazim in Octateuchum* metricè, *& in Zachariam & in Danielem & libros tres in Cyprianum Martyrem:* ubi etiam judicium de ipſius Scriptis profert, commendans ejus laborem, quod à muliere & à Reginâ profectum ſit, quòdque *perſpicuus quidem ſit labor ut Heroiro ſcriptus carmine, ſi quis alius.* Addit legibus artis ipſam eſſe profundam, niſi quòd

quæ poëtica consuevit licentia, fabulis delectans eos qui legunt, ipsas non intermiscuit. Sed hoc certè majori laudi donandum est nobilissimæ fœminæ, quin etiam subdit hæc verba *Sententias quidem non protendens, neque contrahens, servat semper proprias.* Addit ipse Photius hac occasione historiam conversionis atque martyrii SS. Cypriani & Justinæ, ut hic non sit Cyprianus ille, qui in Africa fuit ob Christum interemptus, ac cujus insignia scripta extant.

EUSTATHIUS vir disertissimus, à Cassiodoro, Bedâ & Sigeberto hoc loco laudatus, *novem Sermones sancti Basilii Magni in principium Geneseos ex græco latinos fecit*, & Syncleticæ sorori Diaconissæ inscripsit. De eo sic Cassiodorus cap. 1. De divinis lectionibus: *Geneseos principia Basilius attico sermone elucidavit, quem Eustachius vir disertissimus ita transtulit in latinum, ut ingenium doctissimi viri facundiæ suæ viribus æquiparasse videatur; qui usque ad hominis conditionem novem libros tetendit.* De eodem ita Junilius Episcopus Africanus, seu potiùs venerabilis Beda in præfatione Commentarii in Genesim. *De principio Libri Geneseos multi multa dixere, sed præcipuè Basilius Cæsariensis, quem Eustathius interpres de græco fecit esse latinum.* Syncleticæ porro sororis Diaconissæ ad quam Eustathius scripsit, meminit in præfatione Operis sui Paschalis Sedulius, his verbis: *Quis non optet & ambiat eximio syncleticæ sacræ Virginis & Ministræ Christi placere judicio, quæ superbi sanguinis nobilitatem sic humilitate provexit ad gloriam, ut in Cœlestis patriæ senatu fieri mereatur athleta? Scripturas Ecclesiastici dogmatis ita sitiens epotavit, ut nisi sexus licentia defuisset, po-*

tuisset docere quàm membris fœminei corporis animus sit virilis. Extat hoc opus cum Scriptis sancti Basilii Impressis Antuerpiæ in fol. typis Plantinianis anno 1616. Parisiis & alibi, floruitque Eustathius circa annum 440. & ultrà.

450. NILUS ex Præfecto urbis Constantinopolitanæ, Monachus & Abbas, sancti Joannis Chrysostomi ut ferunt, discipulus, floruit sub Theodosio Juniore Augusto circa annum 440. obiitque die 12. Novembris anni 452. quousque perveniisse creditur, imperante Marciano. De eo Martyrologium Latinorum ac Græcorum Menologium ad diem Nov. 12. Synodus vii. Generalis in cujus Actione 4. citantur duæ sancti Nili Epistolæ, altera ad Heliodorum Silentiarium, altera ad Olympiodorum Præfectum. Photius in Bibliotheca Codd. 201. & 216. in quibus allegantur *Nili de oratione capita* 153. & fragmenta exhibentur *ex ejusdem Nili Sermonibus duobus de Paschate; & tribus de Ascensu Domini*, hactenus ineditis. sanctus Joannes Damascenus *in Eclogis seu parallelis MSs.* Nicephorus Callixtus lib. 14. *Hist. Ecclesiastica* cap. 14. & 53. Sixtus Senensis lib 4. *Bibliothecæ sanctæ*, Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Nilus Monachus*, Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Allatius in sua dissertatione *De Nilis*, Josephus Maria Suares in libro Chronologico *de Vita sancti Nili* pag. 692. ubi omnes vitæ ipsius Epochas strictim computat, quos consulas.

Scripsit sanctus Nilus plurimas Epistolas quas labore immenso post Petrum Possinum Soc. Jesu Presbyterum doctissimum, græcè & latinè evulgavit in fol. doctissimus Leo Allatius Romæ

anno 1668. ex Typographio Barberino, quibus ad abundantiam sollicitudinis adjecit variantes plurium MSs. Codd. Lectiones, & dissertationem *De Nilis & eorum Scriptis.*

Item varia sancti Nili Opuscula quæ post mortem Leonis Allatii græcè & Latinè evulgavit in fol. Romæ Josephus Maria Suares olim Lucionensis Episcopus anno 1673. ex Typographio etiam Barberino, sunt que ejusmodi opera inscripta.

Tractatus De vita ascetica pag. 1. & seqq.

Ad Agathium Monasticam vitam agentem de virtutibus excolendis & vitiis fugiendis. 85.

Ad Magnam Ancyræ Diaconissam de voluntaria paupertate, seu de nihil possidendo 233.

Tractatus Moralium seu spiritualium Admonitionum 321.

Epicteti Enchiridion seu Manuale à sancto Nilo concisum & interpolatum 327.

De Monachorum præstantia in Urbibus aut in solitudinibus 377.

Ad Eulogium Monachum Tractatus Asceticus 408

Ad eundem De vitiis quæ sunt opposita virtutibus. 451.

Tractatus De Octo Spiritibus malitiæ 456. quem etiam edidit cum veteri latina interpretatione Dominus Emericus Bigot Rotomagensis vir doctus Parisiis in 4. anno 1680. de quo diximus anteà in *Palladio Galata*, qui scripsit vitam sancti Joannis Chrysostomi.

De oratione capita 153. cum prologo nondum edito 475.

Liber de diversis malignis cogitationibus 512.

Ejusdem capita 33. per gradus quosdam disposita 543.

Spirituales Sententiæ per Alphabetum dispositæ 548. cum aliis 552.

Ejusdem Institutio Ascetica ad Monachos 553.

Sententiæ abducentes hominem à corruptibilibus 557.

Sermo in illud Evangelii: *Qui nunc habet saccum, tollat*, 577. inde sequitur magnus index operum sancti Nili, cum libro Chronologico vitæ ipsius; ubi multa satis vana, nec ad rem spectantia. Adde his *Sententiarum Centurias duas* & ampliùs, quæ leguntur editæ græcè & latinè in magnæ SS. Patrum Bibliothecæ Supplemento Parisiis edito 1624. in fol. tom. 2. pag. 1168. ex tomo Orthodoxographorum Basileæ in Germania anno 1569. in fol. His Josephus Maria Suares paucas addit periodos ex Cod. Ms. Barberino, in indice operum sancti Nili pag. 626. Easdem *duas Centurias Sententiarum sancti Nili græco-latinas* edidit Franciscus Turrianus Soc. Jesu, collatas cum tribus MSs. Exemplaribus & Scholiis appositis, cum capitibus centum græcis duntaxat, *De perfectione spirituali sancti Diadoci Photices in vetere Epiro Episcopi* Florentiæ apud Bartholomæum Sermaterellium anno 1578. in 8.

Item Narratio Nili quâ cædes Monachorum montis Sinæ & captivitas Theoduli filii à sancto Nilo tunc Eremita describitur, quàm græcè & latinè Parisiis in 4. edidit Petrus Possinus Soc. Jesu apud Sebastianum Cramoisy anno 1639. ex Typographio Regio, cujus ad calcem addidit *Orationem in Albianum Hegumenum.* Porro hujus narrationis & Albianæ laudis variantes MSs. Co-

dicum lectiones edidit Leo Allatius ad calcem Epistolarum sancti Nili, quas vide cum doctissima dissertatione *De Nilis & eorum Scriptis*. Hæc sunt, amice lector, quæ vir doctus Labbeus nescivit, dum in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* de Nilo scriberet, apud quem tamen alia sunt non contemnenda.

Petrus Chrysologus Ravennæ Episcopus, de quo abundanter ejusque Scriptis Possevinus in *Apparatu sacro* & Labbeus in opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quos legas, Hæc opera sæpius impressa in Galliis cum operibus sanctorum Leonis Papæ primi, Maximi Taurinensis Episcopi, Fulgentii Ruspensis, & aliorum: sed separatim in 8. Lugduni anno 1636. licet optima eorum impressio sit ea quam procuravit Dominicus Mita Bononiensis Presbyter, factam Bononiæ in 4. apud Carolum Zenerum anno 1643. cum notis atque ad antiqua MSs. exemplaria Collationibus, quam legito. Hujus autem sancti Antistitis Homilias seu Sermones, olim ab Annis ad minus Nongentis collegit in unum alius Pontifex nomine Fœlix, quibus addidit parvulum Prologum ad indubiam eorum veritatem, à me erutum ex MSs. tribus Codicibus operum sancti Chrysologi, in Bibliothecis Fusniaci, Signiaci ac Longipontis Cisterciensis Ordinis, quem hic exprimere juvat ut pote valde brevem.

Prologus ad sermones Sancti Petri Ravennatensis Ecclesiæ Episcopi.

Beatus Pontifex Petrus Ravennatensis Ecclesiæ « præfulgidum decus, & Catholicæ veritatis præ- « cipuus Doctor, calore superni amoris accensus & « rigatione perennis gratiæ irroratus, digno eloquii «

» sui ornamento vernantium lectionum opuscula de
» singulis Evangeliorum parabolis polito sermone
» conficiens, delectabili dulcedine aures omnes re-
» plevit & corda. Proinde dilectissimi, tanti Pasto-
» ris intentum & anxia mente legamus, & ardenti
» desiderio ulnisque spiritalibus amplectamur; qua-
» tenus fructum laboris in vestræ mentis cellaria re-
» condentes, simul cum eo magnificæ laudis gloriâ
» perfruamur, & præmia æterni muneris capia-
» mus. Hæc humilis Præsul Fœlix de pauperculi
» cordis cellario, sermonis exiguum legentibus ob-
» tulit munus.

Porro Fœlix iste eundem in MSs. Codd. ordinem instituit, quàm qui in vulgaribus operum sancti Petri Chrysologi impressionibus hucusque legitur. Fœlix ipse Episcopus Ravennatensis suum hunc Prologum Sermonibus illis præfixit, qui in 3. aut 4 MSs. Codd. à me inspectis sunt numero clxxvi. Claruit Episcopus Ravennæ xl. circa annum 702. ad 708. circa quem hanc collectionem aggressus est.

HONORATUS Antoninus Constantinæ in Africa civitatis Episcopus, scripsit ad Arcadium quendam, qui pro *Confessione fidei Catholicæ* in partibus Africæ à Genserico Rege missus exulabat, *Epistolam ad labores pro Christo ferendos exhortatoriam*, & exemplis præsentibus & Scripturarum relationibus roboratam, & quòd Confessionis fidei perseverantia non solùm præterita purget peccata, sed & meritum procuret martyrii. Hæc Gennadius cap. 95. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, legitúrque Honorati Epistola in Bibliotheca veterum Patrum primæ & secundæ editionis Parisiensis annorum 1575. & 1579. quam etiam repe-

ries tom. 5. editionis à Colonienſibus anno 1618. procuratæ. Floruit circa annum 450. ejuſque memoriam faciunt Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, verbo *Antoninus*; Aubertus Miræus in *Auctario De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 114. pag. mihi 203. Labbeus in *Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum Chronologica* ad annum 450.

Diadocus Photices in veteri Epiro ſeu Illyrico Epiſcopus, à Bellarmino & Auberto Miræo in *Auctario De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 30 Paginâ mihi 182. floruiſſe dicitur exeunte ſæculo quarto, circa annum Chriſti 390. Sed perperam, cum circa 460. floruerit, ut conſtat ex præfatione Victoris Vitenſis ad Libros quinque *De perſecutione Africana*, quos evulgavit Petrus Franciſcus Chifflet Presbyter Soc. Jeſu. De illo hoc unum certò profitetur Labbeus, antiquiorem fuiſſe illum ſancto Maximo Abbate & Martyre; qui capita aliquot illius citaſſe reperitur; Itémque Photio Patriarchâ Conſtantinopolitano, qui ejus meminit in Myriobiblo capp. 201. & 231. ſcripſit *centum Capita De perfectione Spirituali*, quæ latinè paſſim impreſſa ſunt ex interpretatione Franciſci Turriani Soc. Jeſu, græcè verò tantùm cum duabus centuriis *Sententiarum ſpiritualium ſancti Nili* collatis cum tribus MSs. Exemplaribus & Scholiis appoſitis, Florentiæ apud Bartholomæum Sermatercllium anno 1578. in 8. Itaque de eo Victor Vitenſis in prologo ad libros *De perſecutione Africana* Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, cum aliis de quibus ſupra. Habentur ejuſmodi Capita ſancti Diadoci MSs. in Bibliotheca Societatis Jeſu Romana, inter Codices quos attulit ad Societatem Franciſcus Tur- 460.

rianus; in Veneta sereniſſimæ Reipublicæ inter libros quos ei reliquit Beſſarion Cardinalis; in Bavarica sereniſſimi Ducis Monachii num. 88. cum Sermonibus Aſceticis Dorothei, Iſaiæ & aliorum.

SANCTUS LEO MAGNUS cognomine, vitæ ſanctimoniâ, rebuſque geſtis ac ſcriptis maximus, Romanus Pontifex, vir apoſtolicus, Orthodoxæ fidei columna, vocis Apoſtoli Petri interpres, Apoſtolicorum Dogmatum defenſor, Apoſtolis comparandus, ſcripſit Sermones varios & in Eccleſia pronuntiavit, Chriſtiana pietate, eruditione, facundiâ admirandos. Scripſit etiam plures Epiſtolas, quibus Catholicam veritatem aſſeruit, Eccleſiaſticam Diſciplinam reſtauravit ac propagavit, Canonum tranſgreſſores & contemptores coërcuit: de cujus Scriptis abundè Bellarminus & Labbeus in opere *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, Natalis Alexander in *ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus* ſæculo v. tom. 1. Cap. 2. parag. 6. pag. 33. cap. 4. art. 24. pag. 620. dum agit de Proſpero & Juliano Pomerio, unde hic ſequentia deſumam. Inter omnes operum ipſius editiones excellit illa quam accuravit clariſſimus & doctiſſimus vir Paſchaſius Queſnel Presbyter Congregationis Oratorii D. N. Jeſu Chriſti, ex collatis MSs. Codicum Exemplaribus cum doctiſſimis Commentariis variiſque diſſertationum & operum acceſſionibus, duobus in 4. tomis anno 1675. Pariſiis, apud Joannem Coignard viâ Jacobæâ ſub Bibliis aureis.

Meritò Paſchaſius in appendicem rejecit *Sermonem in Natali ſancti Vincentii* Martyris, cujus Auctor Hiſpanum ſe prodit: & *Sermonem* qui in aliis editionibus ſecundus erat, in *Natali SS.*

Apostolorum Petri & Pauli, cujus initium est: *Exultemus in Domino*: quia præter exordium, quod procul dubio non est sancti Leonis; & quinque circiter lineas quæ desumptæ sunt ex Sermone 2. in Anniversario ipsius Assumptionis ad Pontificatum, reliqua ex Sermone 3, in Anniversario ejusdem transcripta sunt. *Sermonem 96. in Cathedra sancti Petri* quòd cæteris accensuisset, pœnituit virum doctissimum, stylo maturiùs expenso, illúmque tandem sanctissimo Pontifici abjudicavit.

Epistolam *de Chorepiscoporum privilegio* quæ in prioribus editionibus erat 88. rectè abjudicavit sancti Leoni idem Paschasius Quesnel; cui hoc in judicio præiverant Joannes Morinus & Sirmondus; Ex Heterodoxis verò Blondellus in suo Pseudo-Isidoro & Turriano vapulantibus. Primum suppositionis argumentum est, quòd in antiquis codicibus MSs. non compareat, sed tantùm in recentioribus quibusdam post Isidorianæ Collectionis tempora exaratis. 2. Quòd apud Antiquos Scriptores mentio hujus Epistolæ nulla extet, eamque nullus seu Canonum seu Pontificiorum Decretorum Collector ante Isidorum Mercatorem, seu ante 9. sæculum suis Collectionibus inseruerit. 3. Quòd stylus à Leonino prorsus abhorreat. 4. Quòd titulus sancto Leoni sit insolitus, & quòd nexus Episcoporum Germaniæ cum Gallicanis non sapiat ætatem sancti Leonis, sed Caroli Magni, aut posteriorem. 5. Cùm Synodum Romæ habitam describit, *Synodum* appellat *Episcoporum, sive Cæterorum Consacerdotum, Christique Fidelium coadunatam*: quasi laïca plebs in Concilium admitteretur; quæ verba sancto Pontifice indigna sunt. Adde nomen sacerdotis ævo

sancti Leonis, nunquam tribui solitum Presbyteris absque additamento hujusmodi, *secundi Ordinis*, *secundi Gradûs* &c. Taceo de fœdo soleciſmo. 6. In hac Epiſtola citantur Canones Neocæſarienſes, cùm nec à S. Leone, nec ab ejus Deceſſoribus, Synodorum particularium Canones citatos legamus: & Innocentius I. alios à Nicænis recipiendos non eſſe profeſſus ſit. 7. Canon 13. Neocæſarienſis ea in Epiſtola ex Dionyſii Exigui verſione citatur, quam Leone Magno longè poſteriorem eſſe nemo neſcit. 8. Rhabanus Maurus in libro quem *De Chorepiſcopis* ad Drogonem Metenſem Epiſcopum ſcripſit, ejus Epiſtolæ non meminit, quod argumento eſt eam eſſe ſuppoſititiam: nunquam enim ille Chorepiſcoporum cauſſam defendendam ſuſcepiſſet, ſi ſanctus Leo eos damnaſſet; neque hæc Epiſtola virum tam eruditum & in Germania quò miſſa dicitur, ſcribentem fugiſſet. 9. Epiſtola illa nihil aliud eſt quam Canon ſeptimus Hiſpalenſis Concilii, cui exordium inſulſum præfixit impoſtor, ut Epiſtolæ imaginem indueret. 10. Adulterinam eſſe Epiſtolam clamat ſilentium Synodorum Pariſienſis 6. & Meldenſis, Nicolai 1. in Epiſtola ad Rodulphum Bituricenſem Archiepiſcopum, Capitularium Caroli Magni & Ludovici Pii Impp. in quibus frequens Chorepiſcoporum mentio occurrit, nulla Epiſtolæ iſtius ſancti Leonis, quam certè non omiſiſſent. Denique ſunt aliqua in ea Epiſtola, quæ cum Eccleſiæ Romanæ conſuetudine conciliari non poſſunt. *Sed neque*, inquit, *coram Epiſcopo licet Preſbyteris in Baptiſterium introire*. An non potiùs coram Epiſcopo, & cum Epiſcopo in Baptiſterium introire, & ex of-

fitio baptizanti Epiſcopo adeſſe jubebantur? Ad has non attenderunt rationes viri eruditi, qui hanc Epiſtolam ut genuinam ſancti Leonis admittendam eſſe cenſuerunt Hallerius & Ludovicus Cellotius, in ſuo uterque opere *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Petrus Aurelius adverſus Sirmondum ſcribens. Dionyſius Petavius *in notis ad ſanctum Epiphanium*, & Petrus de Marca lib. 2. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* cap. 13. cum aliis.

Idem operum ſancti Leonis editor atque illuſtrator Paſchaſius Queſnel duos illos *De vocatione omnium gentium libros*, nec non *Epiſtolam ad Demetriadem* edidit ſub nomine ſancti illius Pontificis, eáſque lucubrationes ipſi vindicare conatus eſt duabus diſſertationibus elegantiſſimis. Id autem probat ex ſtilo, dicendique caractere planè ſimili: ex identitate doctrinæ circa gratiam Chriſti, & circa alia etiam capita; ex vocibus Auctori librorum De vocatione gentium & ſancto Leoni communibus, ex convenientia denique utriuſque in citanda Scriptura ſancta. Sed nondum viris omnibus eruditis perſuadere potuit, hos libros & hanc Epiſtolam eſſe ſancti Leonis fœtus, ejuſque nomine in nova operum ipſius editione, meritò inſcriptos fuiſſe. 1. Quia tanta non eſt ſimilitudo doctrinæ iſtorum librorum cum doctrina Leonis, quin æqualis & fortè major reperiatur cum doctrina ſancti Proſperi, ut in Proſpero dicit Natalis Alexander, nec tamen ſancto Proſpero indubiè attribuuntur. Stylus verò non eſt Leonino penitus ſimilis: nam periodi ſancti Leonis ſunt magis commenſuratæ, nec tantæ ſunt in ejus Sermonibus aut Epiſtolis figuræ, tot Rithmi, tanta

modulatæ ac tinnulæ orationis affectatio; quanta in libris *De vocatione omnium gentium* aut in Epistola *ad Demetriadem* : uno verbo, facundior est sancti Leonis citra ullam affectationem oratio. Præterea sanctum Leonem contra Manichæos, contra Priscillianistas, contra Pelagianos, contra Nestorianos & Eutychianos pugnasse, ejus Vita & Epistolæ testantur : sed contra Semipelagianos ipsum certasse non legimus. Amicus Cassiani erat, qui libros *De Incarnatione Christi* scripsit ab eo rogatus, eosque ipsi nuncupavit : qui aliunde Prosperum magni faciebat, quem ubi creatus est Pontifex, sibi ad Epistolis esse voluit. Controversiis igitur illis non se videtur immiscuisse sanctus Leo. Tertio Gelasius Papa Libros *De vocatione gentium* laudat sub nomine *cujusdam Ecclesiarum Magistri*. At sanctum Leonem Decessorum suorum unum, tot meritis illustrem, tantâ nominis celebritate conspicuum, qui ab annis duntaxat triginta obierat, suo nomine designasset; non eo modo quo ignoti quique notari solent. Nemo enim facilè credet ex hominum memoria deletum fuisse hujus Auctoris nomen, præsertim Romæ, si is fuisset sanctus Leo Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, ac paulo post Pontifex, qui ab annis triginta è vita migraverat. Plura enim Romæ fuissent illorum librorum & Epistolæ Exemplaria, quorum aliquod adscriptum habuisset sancti Leonis nomen; & vivebant adhuc plurimi, quibus notum fuisset sanctum Leonem hæc scripsisse, & id in omnium eruditorum ore versatum esset, nec illud ignorasset Gelasius doctissimus Pontifex. Denique nullus Codex Ms. hæc opera sancto Leoni adscribit, ut fatetur ipse

Paschasius

Paſchaſius Queſnel, nec in tota retro Antiquitate genuinus illorum Auctor cognitus eſt. Unde non moleſtè ferat vir doctiſſimus, ſi libros *De vocatione gentium* & Epiſtolam *Ad Demetriadem* ſub ſancti Leonis nomine (ſub quo illa paulò confidentiùs vulgavit) nec laudemus, nec laudanda eſſe putemus: eo quod ejuſmodi auſus in Scriptis ſanctorum Patrum inſcribendis vel abradendis, *abſque demonſtratione, vel quaſi*, fieri non debeant.

Quantum etiam *ad capitula ſeu Auctoritates de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio*; quæ Cœleſtino Papæ tribuuntur, pro quibus ſancto Leoni aſſerendis diſſertationem ſuam tertiam Paſchaſius Queſnel inſtituit: vix video, quânam ei ratione ſuccedat. Hæc enim ſolas conjecturas, eaſque non ſatis validas, ad Antiquitatem deſtruendam & mille annorum, ut ita loquar, Cœleſtini poſſeſſionem. Unde Paſchaſius ſub initium ſuæ diſſertationis adſtringitur fateri eas eſſe Cœleſtino attributas à Petro Diacono, aliiſque qui in cauſa fidei ex Oriente Romam miſſi ſunt, lib. *De Incarnatione & gratiâ D. N. Jeſu Chriſti ad Fulgentium* cap. ultimo. deinde à Creſconio Epiſcopo Africano, in fine ſuæ Collectionis Canonum circa annum Chriſti 690. emiſſæ, eidem adſcriptum Pontifici legitur. Tum denique poſterioribus ſæculis, à Floro Magiſtro ſcribente Eccleſiæ Lugdunenſis nomine, adverſùs Joannem Scotum Erigenam; à Lupo Ferrarienſi Abbate in *Collectaneis* quæſtione 2. ab Hincmaro Remenſi libro *De prædeſtinatione* cap. 22. pag. 128. 130. 133. & Epilogi cap. 5. pag. 379. Nihil itaque conjecturæ valent ad tam mucidam Antiquitatem everten-

dam, immo ſpernuntur dum nimiùm affectatæ ſunt.

Denique inter Epiſtolas ſancti Leonis Papæ invenientur inſertæ aliorum Epiſcoporum Epiſtolæ: ut *Proterii Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarchæ Epiſtola ad Leonem Romanæ Sedis Epiſcopum De Feſtivitate Paſchali* anno 554. ſcripta, quam ex Ms. Cod. correctam deſcripſit atque inſeruit ſuo in Canonem Victorii Aquitani Paſchalem Commentario cap. 2. Ægidius Bucherius Atrebatenſis Theologus Soc. Jeſu, de qua Gennadius libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 10. mentionem facit. Item *Epiſtola Paſchaſini Lilybæi in Sicilia Epiſcopi ad Leonem prefatum Papam directa de eodem argumento*, de qua Gennadius citatus cap. ſequenti; quàmque refert idem Ægidius Bucherius citato libro, ſub finem capitis primi. Item *Epiſtola ſancti Leonis Bituricenſis in Gallia Epiſcopi* ſub annum Chriſti 454. unà cum Victurio Cenomanenſi & Euſtochio Turonenſi, ad Presbyteros & Epiſcopos Provinciæ *non Thaciæ*, (ut inter Leonis primi Papæ Epiſtolas vulgatum eſt) *ſed Tertiæ*, quo nomine Turonica Provincia Deſignatur, quæ eſt Tertia Lugdunenſis: ut Sirmondus in notis ad Concilia Galliæ obſervavit. Item *Epiſtolæ duæ Flaviani Patriarchæ Conſtantinopolitani*, & una *Ravennii Arelatenſis Archiepiſcopi*, *Ruſtici Narbonenſis Archiepiſcopi* aliorúmque Galliæ Epiſcoporum &c.

» VICTORIUS Natione Aquitanus, ſcru-
» poloſus temporum calculator, invitatus à ſan-
» cto Hilaro urbis Romæ tunc Archidiacono,
» & poſtea poſt mortem ſancti Leonis Epiſco-
» po, compoſuit *Paſchalem curſum* indagatione

cautissimâ ; post quatuor priores qui eum in hac « parte prævenerant , id est , Hippolytum , Eu- « sebium , Theophylum & Prosperum : protendens « temporum seriem usque ad annum 532. ita ut « quingentesimo trigesimo-tertio anno Paschalis « reincipiat solemnitas , eodem mense & die , ea- « demque lunâ , quâ primùm Passio & Resurrec- « tio Domini facta est. Hæc Gennadius *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 88. Hunc Victorii Aquitani Canonem Paschalem primus edidit doctissimisque commentariis ornavit Ægidius Bucherius Atrebatensis Soc. Jesu, impressum Antuerpiæ in fol. in officina Plantiniana anno 1633. cum aliis aliorum Patrum operibus ad eandem materiam spectantibus. Scripsit Victorius *Canonem Paschalem* Constantino & Rufo Consulibus , ut ipse in Prologo tradit , hoc est , Christi anno vulgari 457. quo claruit.

Victor Cartennæ in Africa Episcopus , de quo 460.
sic Gennadius cap. 77. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Victor Cartennæ Mauritaniæ civitatis Episcopus , scripsit adversùs Arrianos librum unum « & longum , quem Geiserico Regi Vandalorum « per suos audiendum obtulit , sicut ex proœmio « Libri ipsius didici. Scripsit & de pœnitentia publica librum , in quo & regulam vivendi pœnitentibus juxta Scripturarum autoritatem statuit. « Et ad Basilium quendam super mortem filii consolatorium libellum , spe resurrectionis perfectâ « instructione munitum. Homilias etiam composuit « multas , quas à fratribus propriæ salutis sollicitis , in libris digestas servari cognovi. Habetur « liber *De pœnitentia* tom. 2. ad calcem operum D. Ambrosii , in multis editionibus. Item liber

De consolatione in adversis ad Basilium, inter opera Sancti Basilii Magni tom. 3. pag. 613. ultimæ Editionis Parisiensis anni 1638. quod nullus adnotavit. Sanè istud opus editum primò Parisiis circa annum 1520. apud Claudium Chevallon in 12. cum operibus *Sancti Eucherii Lugdunensis Episcopi*, ex Ms. Codice antiquo, ut narrat editor nullâ factâ mentione ullius interpretis: unde liquet esse Auctoris latini, non græci; ad Basilium Victoris Africani, non Basilii Græci & Cappadocis ad aliquem alium. Claruit anno 460. de quo Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Scholiis ad Gennadium*.

ARNOBIUS JUNIOR quantum conjicere fas est, Gallus fuit, offerens *Commentarios suos in Psalterium* duobus Episcopis Gallis, Leontio nempe Arelatensi Episcopo & Rustico Narbonensi anno Christi 460. vel 461. quo Cathedræ Arelatensi recens sedebat Leontius, & senex Narbonensi Rusticus. Nullum sanè inditium quòd Afer fuerit hujus Commentarii Auctor, hæ conjecturæ eum fuisse Gallum, quamvis inde Gallia nostra magnum non habeat splendorem, ob hujus operis latinitatem barbaram & insulsam, peccantemque grammaticarum legum despectum. Legitur hoc opus in Bibliotheca SS. Patrum, omnium editionum. Quantum verò ad *altercationem inter Arnobium & Serapionem*, seu *conflictum Catholici de Deo trino & uno, de duabus in Christo substantiis in unitatem personæ, & de gratiæ ac liberi Arbitrii concordia*; allego infrà opusculum istud, verbo *Vigilius Tapsensis*, ad quem spectat, ut dicemus ad annum DLXX. Agunt de Arnobio

Juniore Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ ſanctæ, Poſſevinus in Apparatu ſacro Bellarminus & Labbeus De Scriptoribus Eccleſiaſticis, Natalis Alexander Dominicanus in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus*, ſæculo v. tom. 1. cap. 4. pag. 639. ubi Arnobium Gallum facit contra Sixtum Senenſem qui eum Africanum credidit. Hæc ad correctionem Nomenclatorum recentium.

PAULINUS Petricordius vel potiùs Petracorice- 470.
ſis floruit circa annum 460. & ulteriùs cujus habemus *libros ſex carmine heroïco ſcriptos ad Perpetuum Turonenſem Antiſtitem, De vita ſancti Martini ejuſdem Urbis Epiſcopi*, qui tom. 8. Bibliothecæ veterum Patrum editionis Colonienſis anni 1618. & editionum veterum Pariſienſium annorum 1575. & 1589. ac pluribus aliis Poëtarum Collectionibus Paulino Nolano Epiſcopo adjudicantur : cum *verſibus De viſitatione Nepotuli ſui & brevi opuſculo De orantibus*, quæ primùm carmina Franciſcus Juretus ex Codice V. C. Petri Pithæi cum notis ediderat. Sex tamen illi libri *de vita ſancti Martini* pertinent ad Paulinum patriâ Petricordium ſeu Petracorienſem, qui 30. aut 40. circiter annis ab obitu ſancti Paulini Nolani Epiſcopi, opus illud ſuum dicavit Perpetuo Turonenſi Archiepiſcopo, Præſidi Concilii Turonenſis anni 480. Ita etiam volunt MSs. Exemplaria Vaticanum & Corbeienſe, de quibus Sirmondus in eruditis ſuis ad Sidonium Apollinarem notis. Plura apud Philippum Labbeum in diſſertatione hiſtorica de Scriptoribus Eccleſiaſticis verbo *Paulinus Nolanus* tom. 2. pag. 165. Aubertus Miræus in Bibliotheca ſua Eccleſiaſtica Scholio ad caput

48. Gennadii de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 57. Bellarminus observatione secundâ ad operâ sancti Paulini Nolani, in editione omnium amplissima & castigatissima libri de Scriptoribus Ecclesiasticis anno 1617. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy. Novissimus editor operum sancti Paulini Nolani Parisiis in 4. anno 1684. apud Edmundum Couterot.

ANTONIUS sancti Simeonis Stylitæ discipulus, qui Martyrologio Romano 5. Januarii adscriptus est, Magistri sui vitam scripsit, quæ in Vitis Patrum Eremitarum tom. 1. editionis Plantinianæ legitur, quam procuravit Heribertus Rosvveidus Soc. Jesu annis 1615. & 1628. Vixit ipse cum Simeone, & vermes de corpore ejus fluentes collegit, & in ulcerum cavernis repositi, ut ipse de se in hæc verba narrat: *Quidam juvenis adstitit ei nomine Antonius, qui vidit hæc & scripsit. Juxta præceptum illius colligebat vermes de corpore ejus, qui cadebant in terram, & porrigebat illi rursum. At ille ponebat eos sibi in ipso vulnere, ad similitudinem Justi Job dicens, manducate quod vobis Dominus dedit.* Et infra ad finem: *Ego humilis peccator Antonius, in quantum potui, lectionem brevem hanc exposui.* Claruit Antonius circa annum 470. de quo Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 94.

480. CONSTANTIUS Presbyter Lugdunensis, (non autem Episcopus, ut sanctus Isidorus in Catalogo cap. 4. scripsit) à Sidonio Apollinari Arvernorum Episcopo sæpe laudatus, scripsit librum unum *De vita sancti Germani Antissiodorensis Episcopi*, qui in collectione sanctorum Laurentii Surii extat ad diem xxxi. Julii. Hoc opusculum ob-

tulit sancto Patienti Lugdunensi Episcopo, qui obiit die ij Septembris anno circiter 480. Unde Constantium eodem tempore clarum fuisse liquet. De eo Sammarthani in Gallia Christiana, Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 103. fol. Mihi 200., auctores omnes qui scripserunt de Episcopis Altissiodorensibus.

GENNADIUS Episcopus sive Patriarcha Constantinopolitanus, vir (ut inquit Gennadius Massilienſis in libro De scriptoribus Ecclesiasticis cap. 90. *linguâ nitidus & ingenio acer, tam dives ex lectione Antiquorum fuit, ut Danielem Prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret. Homilias etiam multas composuit; moritur Leone seniore imperante.* Hæc Massilienſis Sinonymus Ejus autem miracula & virtutes persequitur Nicephorus Callixtus Ecclesiasticæ Historiæ lib. 15. cap. 22. & 23. Extat ejus Epistola *Ad Metropolitanos & ad Romanum Pontificem contra Simoniacos* in Orthodoxographis pag. 658. & inde in Bibliotheca sanctorum Patrum Margarini Bigni, editionum Parisiensium 1575. & 1589. Vixit juxta Trithemium anno 460. sed errore (opinor) Amanuensium, cum 490. scribendum esset. Quomodo autem Gennadius dudum Pelagianis faverit; qui tamen postea redditus omnino Catholicus; Vide Cardinalem Baronium tom. 2. sub annum Domini 490. Fœlicis autem Papæ nonum. Ita Possevinus in Apparatu sacro, quem amplexus sum. 490.

EUGENIUS Carthaginis Africæ civitatis Episcopus & Confessor publicus, admonitus ab Hunnerico Rege Vandalorum, Catholicæ fidei Expositionem & maximè verbi Homousii proprieta-

„ tem differere, cum consensu omnium Africæ,
„ Mauritaniæ, & Sardiniæ atque Corsicæ Episco-
„ porum & Confessorum, qui in Catholicâ perman-
„ serant fide; librum fidei non solùm sanctarum scri-
„ pturarum sententiis, sed & Patrum testimoniis
„ communitum, per Collegas suæ Confessionis por-
„ rexit. Jam verò asportandus pro fidelis linguæ
„ remuneratione in exilium, Epistolas velut con-
„ servandi Baptismatis ovibus suis quasi pastor sol-
„ licitus dereliquit. Altercationes quoque quas cum
„ Arrianorum Præsulibus per internuntios habuit,
„ conscripsit, & relegendas per majorem Domûs
„ Hunnerico transmisit. Similiter & preces pro quie-
„ te Christianorum, eidem velut Apologias obtulit.
„ Vivere adhuc ad confirmationem Ecclesiæ dicitur.

Hæc Gennadius lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 96. quæ breviùs Honorius Augustodunensis ex eodem habet libello 2. cap. 99 Ejus quoque cohortatoriam Epistolam ad Ecclesiam suam Carthaginensem, ut eam in recta fide confirmaret, & adversùs Arrianorum persecutionem muniret, describit sanctus Gregorius Turonensis lib. 2. historiæ Francorum cap. 3. Quantùm autem ad *Orationem quam Hunnerico Vandalorum Regi obtulit*, hanc habes insertam lib. 3. De persecutione Africana Victoris Vitensis Episcopi, de quo statim agemus. Claruit Eugenius anno 490. & ultra, de quo mentionem faciunt Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Scholiis ad Gennadium, Natalis Alexander Dominicanus in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo v. tom. 1. pag. 689.

VICTOR VITENSIS in Africa Episcopus, in Vvandalica persecutione pro fide Orthodoxa gra-

vissima incommoda passus, ejusdem persecutioni historiam libris quinque scripsit circa annum 490. quos *De Persecutione Africana* inscriptos & ad suam puritatem ex collatione MSs. Codicum reductos, cum operibus Vigilii Tapsensis Episcopi evulgavit in 4. anno 1665. Petrus Franciscus Chifflet Societatis Jesu Presbyter, Divione apud Viduam Philiberti Chavance, & Parisiis apud Simeonem Piget viâ Jacobæâ sub signo Prudentiæ, quibus subjunxit varias ad calcem lectiones cum notis & vindiciis. Ejus memoria sacris Ecclesiæ fastis inter Confessores inserta est ad diem 23. Augusti. Victorem Vitensem dico cum viris doctissimis, Holstenio & Chiffletio, qui ita dicendum ex MSs. Codicum fide ostendunt, quibus suffragatur vir etiam doctissimus Henricus de Noris Eremita Augustinianus lib. 2. Historiæ Pelagianæ cap. 21. id probans ex notitia Episcoporum Africæ, qui sub Hunnerico Genserici successore persecutionem sustinuerunt. In ea namque inter Episcopos Provinciæ Proconsularis legitur *Florentius Uticensis*: in catalogo autem Episcoporum Provinciæ Byzacænæ hæc verba leguntur. Victor Vitensis non *occurrit*. Uticensis igitur Ecclesia spectabat ad Provinciam Carthaginensem, Vitensis verò ad Byzacænam: illi Florentius, huic verò Victor præerat, tempore Vandalicæ persecutionis. Qui plura voluerit, legat notas Petri Franciscí Chiffletii ad dicti Victoris libros.

Honoratus Massilienſis Ecclesiæ in Gallia Episcopus floruit circa annum 490. & scripsit teste Gennadio lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 99. (si tamen hoc caput ad eum spectat, cùm in multis MSs. Codd. non reperiatur) *De vita*

ſancti Honorati Arelatenſis Epiſcopi tractatum, quem Bollandiſtæ ad diem 5. Maii, Surius ibidem, & Paſchaſius Queſnel ſub finem tomi primi operum ſancti Leonis Magni correctiſſimè edidit. Vide opera ſancti Leonis ultimæ editionis Pariſienſis impreſſa 2. tomis in 4. 1675. apud Joannem Baptiſtam Coignard viâ Jacobæâ ſub Bibliis aureis.

500. ADRIANUS auctor Græcus ſcripſit græcè circa annum 500. *Iſagogen ſacræ Scripturæ* utilem, & hæc anno 1602. græcè prodiit Auguſtæ Vindelicorum ex Bavarico & altero Codice, Manuſcriptis. Antiquior eſt hic Scriptor quam vulgò credatur, cujus mentio apud Caſſiodorum invenitur cap. 10. Divinarum lectionum, ubi agit de Introductoribus Divinæ ſapientiæ, Ticonio, ſancto Auguſtino, Eucherio, & Junilio. Ejus quoque meminit Photius in ſua Bibliotheca Cod. 2.

LAURENTIUS Novarienſis Epiſcopus cognomento Mellifluus, de quo hæc Sigebertus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 120. pauca habet: *Laurentius Mellifluus ſcripſit librum De duobus temporibus, id eſt, uno ab Adam uſque ad Chriſtum; altero à Chriſto uſque ad finem ſæculi. Declamavit etiam Homilias ore quaſi mellito, unde agnominatur Mellifluus.* Sunt qui conjiciunt, ipſum ex Novarienſi Epiſcopo ſub annum Chriſti 507. creatum eſſe Mediolanenſem Archiepiſcopum, ipſumque laudari ab Ennodio Ticinenſi, in Dictione miſſa Honorato Novarienſi Epiſcopo, cum Baſilica Apoſtolorum dedicaretur. Hoc autem certum non eſt, ſoliſque & infirmis nititur conjecturis. Floruit circa annum 510. & ultrà, forſitan ad annum 520. Scripſitque *librum de duobus temporibus, ſeu de Pœnitentia &*

Eleemosina Homilias duas, quas habet Bibliotheca SS. Patrum edit. Parisiensis, anni 1579. tomo 9. seu Supplementi pag. 1542. apud Michaëlem Sonnium, aliæque editiones hujus Collectanei omnes, tam Parisienses quàm Colonienſis anni 1618. & Lugdunensis ultima anni 1677. Item *Homiliam de muliere Chananæa* quam è Ms. Corbeiensi eduxit Joannes Mabillon tom. 2. Analectorum pag. 18. cum paucis obſervationibus. De illo præter Sigebertum, Poſſevinus in Apparatu ſacro, Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 119.

PASCHASIUS de quo Bellarminus & Labbeus in libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis, Poſſevinus in Apparatu ſacro, Aubertus Miræus in Auctario cap. 121. pag. Mihi 204. cui omnes attribuunt *Libros duos De Spiritu ſancto contra Macedonium*, & qui inveniuntur in omnibus editionibus Bibliothecæ veterum Patrum, præſertim in ultima Lugdunenſi anni 1677. apud Aniſſonios Fratres tom. 8. pag. 806. ſub nomine dicti Paſchaſii Diaconi. Innituntur auctoritate D. Gregorii Magni qui in libris Dialogorum attribuit dicto Diacono Paſchaſio libros De Spiritu ſancto, quam Auctoritatem eſſe maximam non diffiteor. At ſive Paſchaſius hos tantùm libros olim à Fauſto Regienſi Epiſcopo compoſitos tranſcripſerit, ſive opus ipſum Paſchaſii, de quo loquitur ſanctus Gregorius, lapſu temporum interciderit: Libri qui ſub nomine dicti Paſchaſii evulgantur, non ſunt ipſius, ſed ſpectant ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum. Eſſe autem ipſum opus Fauſti, convincitur 1°. Ex Ms. Cod. Vaticano unde primùm impreſſi ſunt, quem Jacobus Sirmondus vidit & tenuit,

ſub nomine Fauſti inſcriptum. 2°. Quia ſcripti ſunt hi libri occaſione accepta Symboli, ut notat Gennadius libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 85. dum loquitur de Fauſto ejuſque ſcriptis; unde opus Fauſti proprium eſſe arguuntur. 3°. Continent proprias Fauſti opiniones, nempe nihil eſſe incorporeum præter Deum, unde lib. 2. cap. 1. appellat *animam corpoream*. 4. Joannes Trithemius qui viderat hos libros MSs. antequam imprimerentur, allegat eorum prima verba, ſub nomine Fauſti à ſe inſpecta, quæ cum primis operis hujus verbis eadem ſunt. Itaque nihil omnino habemus Diaconi Paſchaſii, cùm opus ei attributum, debeatur Fauſto Regienſi in Gallia Epiſcopo.

530. COGITOSUS Scotus Monachus & Abbas ſcripſit *Acta ſancta Brigittæ Laginenſis Scoto-Hybernæ*, quæ ſub annum 521. vixit, eſtque Martyrologio Romano inſcripta, ad diem 1. Februarii. Actorum iſtorum Baronius in notis ad Martyrologium meminit, eaque primus ex Ms. Cod. Henricus Caniſius tom. 5. Antiquarum lectionum evulgavit. Hujus Brigittæ nonnulli revelationes celebrant, quas eſſe Brigittæ junioris apud me conſtat, quaſque nullius aut minimi ponderis eſſe cenſeo. Multa habet ex Cogitoſo in Typographia Hyberniæ Silveſter Giraldus Cambrenſis, qui anno 1188. floruit. De eodem habet mentionem Poſſevinus in Apparatu ſacro, Miræus in Auctario cap. 127. pag. 205.

NONNUS *Panopolita Ægyptius eloquentiſſimus, Virginem Theologum, hoc, eſt Joannem Evangeliſtam verſibus heroïcis eſt interpretatus.* Hæc Suidas in Lexico. Vixit ante tempora Imperatoris Juſtiniani, nam Agathias qui ſub Juſtiniano floruit,

lib. 4. de bello Gothico, authoritate ejus utitur. Sixtus autem Senensis cum inter græcos Poëtas Christianos præcipuum numerat, cujus &(inquit) feruntur Dionysiacon lib. 48. heroïcè conscripti, sed ij ad rem Ecclesiasticam nihil conferunt. Antonius Possevinus in libro 17. Bibliothecæ selectæ cap. 12. juxta editionem Venetam & Colonienſem anni 1608. opponens veram hujus Poëtæ Theogoniam falsæ Theogoniæ Hesiodi, inseruit ejusdem Nonni Carmina quædam græca græcæ paraphraseos cum versione latina: ut quàm altè Deo aspirante, idem græcus Christianorum Cothurnus possit incedere, habeatur ad manum. incipit autem Ἄχρονος ἦν, ἀκίχητος, ἐν ἀῤῥήτῳ λόγος ἀρχῇ hoc est; ut verbum è verbo reddamus: *Sine tempore erat, incomprehensibilis ineffabili verbum principio.* Et quidem ex Aldi Manutii officina Romæ, id est, circa annum 1508. ex Possevino, qui hoc asserit in Apparatu (centum prope modum abhinc annis) prodiit *hæc paraphrasis græca*, cujus postea latinam versionem Joannes Bordatus & Frardus Hedenecк ediderunt: sed quæ demùm emendatior utroque idiomate emissa est Lugduni Batavorum anno 1598. in 8. operâ Franciſci Nansii cum ejusdem notis ad ipsam. *Hæc Paraphrasis Poëtica in Evangelium sancti Joannis*, græcè etiam cum textu Evangelii & Hensii exercitationibus, prodiit Lugduni Batavorum anno 1627. in 8. & græco-latinè Parisiis anno 1578. in 8. & in Bibliotheca veterum Patrum editionis Parisiensis anni 1624. p. 302. & seqq. Idem Nonnus collegit & explicavit *Historias, quarum meminit sanctus Gregorius Nazianzenus in duobus Steletenticis* adversùs Julianum: cujus collectio

& explicatio græcè edita p. 127. Etonæ 1610. in 4. eadémque latinè per Jacobum Billium inter opera ſancti Gregorii Nazianzeni Pariſiis in fol. 1583. & 1609. Denique *Libri* 48. *Dionyſiacorum* ſunt editi græcè per Joannem Sambucum cum lectionibus ac conjecturis Gerardi Falkemburgii & emendationibus Guillelmi Canteri Antuerpiæ 1569. in 4. & græco-latinè per Lubinum cum lectionibus ac conjecturis Gerardi Falkemburgii Hanoviæ 1605. in 8. Itemque græco-latinè cum variis Lectionibus & notis marginalibus per Jacobum Lectium Aureliæ Allobrogum anno 1606. in 8. De Nonno Poſſevinus in Apparatu ſacro verbo *Nonnus*. & in Bibliotheca Selecta lib. 17. cap. 12. Aubertus Miræus in Auctario cap. 128. pag. Mihi 205.

MONTANUS Epiſcopus Toletanus, virtute Sancti Spiritûs & eloquio pollens, ſcripſit *Epiſtolas duas, alteram Palentinæ Urbis Incolis De Eccleſiaſtica Diſciplina & contra Priſcillianos; alteram ad Turribium Religioſum Monachum.* Præfuit Concilio Toletano II. anno 527. & ultra; de quo ſanctus Hildephonſus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 3, Poſſevinus in Apparatu ſacro, Aubertus Miræus in Scholiis ad caput 3. Hildephonſi. Extant ejuſmodi duæ Montani Epiſtolæ in Martyrologio Hiſpanico ad diem 23. Februarii, pag. 225. & in noviſſima Editione Conciliorum Pariſienſi tom. 4. pag. 1736. Claruit uſque ad 530. & ultra, de quo ſanctus Hildephonſus loco citato, pauca quidem, ſed præclara narrat.

REMIGIUS Remorum Archiepiſcopus, Francorum meritò ob Clodovæum ad Chriſtianam Fidem converſum appellatus Apoſtolus. Hoc con-

tigit anno Regni Clodovæi xv. post victoriam Alamannicam, id est, juxta æram nostram anno Christi desinente 496. In Natali enim Domini, exeunte anno baptizatum fuisse, Alcimus Avitus Viennensis Episcopus testatur, in Epistola ad ipsum Clodovæum data, quam Sirmondus tom. 1. Conciliorum Galliæ publici Juris fecit. Sigebertus Gemblacensis, triennio seriùs, id est, anno 499. Clodovæi Baptismum statuit: sed more suo, (omnia enim triennii ferè spatio posteriùs narrare solet, quàm gesta sunt) ut in Chronico Belgico annotavit Miræus. Cæterùm anno 471. Remensem Sedem Remigius adiit, duos & viginti annos tunc natus; ut præter Hincmarum in Vita sancti Remigii, Flodoardus in Historia Remensi libro 1. cap. 11. & 18. asserit. Nam in Epistola quam ad tres Episcopos anno 523 scripsit, & quæ extat tom. 2. Conciliorum Galliæ, testatur se jam annis quadraginta-tribus Episcopatum gessisse. Idem porrò ad Superos transivit ante annum 535 siquidem hoc ipso anno Flavius Remorum Episcopus Concilio Arvernensi subscripsit. Falsò itaque Hincmarus & Flodoardus referunt, illum annis septuaginta-quatuor sedisse, & vixisse annis nonaginta-sex. Habemus paucas & breves Sancti Remigii Epistolas *ad Hormisdam Papam, ad Clodovæum Regem & alios scriptas*, quæ extant tom. 2. Conciliorum Galliæ, editionis Jacobi Sirmondi in fol. Parisiis anno 1629. Apud Sebastianum Cramoisy viâ Jacobæâ sub Ciconiis. Item in Collectione ultimâ Conciliorum editionis Parisiensis anni 1671. quam doctissimi viri Philippus Labbeus & Gabriel Cossartius, Ambo Soc. Jesu, XVII. vol. in fol. procurarunt. Item apud Marquar-

dum Frehærum in Corpore Hiſtoriæ Francicæ. Sidonius Apollinaris lib. 9. Epiſtolâ 7. ad Remigium datâ, *Declamationes* ſeu *Orationes ejus* à doctrina atque eloquentia mirificè commendat; ſed quod dolendum, nullæ ad nos pervenerunt. Nec recens hæc jactura eſt, cum Hincmarus & Flodoardus eas penitus ignoraſſe videantur. Joannes Baptiſta Villalpandus Soc. Jeſu Theologus, Romæ primùm anno 1598. atque etiam poſtea Moguntiæ anno 1634. edendas curavit Remigii Remenſis nomine *Explanationes Epiſtolarum ſancti Pauli*, ex Ms. Codice Bibliothecæ ſanctæ Cæciliæ in Urbe: quas naſutiores Critici tam heterodoxi quam Catholici Remigio Lugdunenſi vel Antiſſiodorenſi tribuendas cenſent. Plurima de his Labbeus tom. 2. De Scriptoribus Eccleſiaſticis, verbo *Remigius Antiſſiodorenſis* pag. 285. & ſeqq. ubi demonſtrativè probat eas non poſſe ſpectare ad Remigium Remenſem. Sanè in multis Bibliothecarum Mss. Codd. antiquis ſexcentorum & ultra annorum, habentur ſub nomine Haymonis Halberſtatenſis Epiſcopi, ſub quo etiam impreſſæ ſunt Pariſiis anno 1556. in 8. longè antequam ederentur Romæ ſub nomine Remigii. Adde ſtilum ſimillimum aliis Haymonis Halberſtatenſis Epiſcopi Commentariis, ut guttæ gutta ſimilior non ſit, quod Critici etiam rigidiſſimi agnoſcunt. 3. Tempore jam Fulberti Carnotenſis Epiſcopi, vix elapſis centum ab obitu Remigii Antiſſiodorenſis annis, jam Haymoni tribuebantur, ut patet ex pagina 169. editionis Pariſienſis à Carolo Villierio anno 1608. procuratæ. 4. Denique modus agendi in ejuſmodi Commentariis conſarcinatus ex variis auctoribus antiquioribus, ſpectat

ſpectat ad ſæculum 9. quòd optimè quadrat in Haymonem Halberſtatenſem, non in Remigium Antiſſiodorenſem.

Teſtamentum ſancti Remigii Remenſis ediderunt Philippus Labbeus Soc. Jeſu, ac poſt eum Carolus le Cointe in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum, extabátque priùs in Hiſtoria Flodoardi lib. 1. cap. 18. ſed tot auctum interpolationibus, quæ nec tempora nec genium Remigii ſapiunt, ut pleriſque ſuſpectum videretur. Hæc Natalis Alexander in ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus ſæculo 6. cap. 4. art. 3. pag. 132. ubi & ſequentia addit. Sincerum illud ſancti Remigii Teſtamentum, quod brevius vocat, deſcribit *Dominus Guillelmus Marlotus Hiſtoriæ Metropolis Remenſis tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. ex MSs. Codd. Abbatiarum SS. Remigii, Nicaſii, & Theoderici prope Remos. Prolixius illud vocat, quod à Flodoardo refertur, vel à recentioribus ejus hiſtoriæ aſſutum eſt, & pro breviori ſuppoſitum. Prolixius illud Pſeudepigraphum eſſe, viri ut plurimùm eruditi aſſerunt, his adducti rationibus. 1°. Quòd Hincmarus qui ſancti Remigii vitam ex Eccleſiæ ſuæ monumentis conſcripſit, illud ignoraverit, ſolúmque brevius operi ſuo ſubjecerit ut ex MSs. evidens eſt: nec unquam prolixioris Teſtamenti auctoritate uſus ſit, cùm ſe dedit occaſio. 2°. Quòd in eo vocabula quædam ſint ſancti Remigii ætate minimè uſitata, imò prorſus incognita, *ut Auſtria & Neuſtria* nomina ad illas ſignificandas regiones, quæ his deinde vocabulis ſunt appellatæ. Item vox *Archiepiſcopi*. 3°. Quòd in Regem ordinatus à ſancto Remigio dicatur Clodovæus per ſacri Chriſmatis

unctionem, cùm tamen unctus non ſit ut Rex fieret, (quippe qui tum decimum-quintum Regni annum agebat) ſed ut Chriſtianus fieret. Etſi unctus in Regem eſſet, non fuiſſet neglectus ab ejus poſteris tam ſacræ Inaugurationis ritus. Neminem tamen legimus ex Regibus primæ ſtirpis unctum. 4°. Quòd in prolixiori illo Teſtamento multa ſuggerat Remigius de increpando Rege ab Eccleſia Remenſi, ſi à Religione deflexerit, aut Eccleſiæ bona pervaſerit: De convocandis Galliarum Archiepiſcopis, & de Elogio ſegregationis à corpore Chriſti, quæ ab horum temporum Diſciplinâ & moribus abhorrent, quibus Metropolitæ æquales inter ſe, nec ulli jus erat alios convocandi, niſi Sedis Apoſtolicæ Vicarius & Primas illorum eſſet conſtitutus. Quod licèt ſancto Remigio collatum ſit ab Apoſtolica Sede privilegium, non tamen ad ejus ſucceſſores tranſmiſſum eſt, ut inferiùs probabimus. Prolixius tamen Teſtamentum à Flodoardo deſcriptum, vel ipſius hiſtoriæ, ut probabilius eſt aſſutum, laudatus ſuprà *Marlotus* tueri ſatagit, & hiſce graviſſimis rationibus utcumque reſpondet. Legant quibus per otium licet, deque ejus ſententia judicium ferant. Hæc ille verbo tenus, at utrumque brevius & prolixius mihi ſuſpectum, utrumque apud doctiſſimos viros ſuppoſititium.

FULGENTIUS RUSPENSIS, in Africa Epiſcopus, de quo Bellarminus, & plenè Labbæus locis ſæpiùs allegatis. Quibus unum addam, nempe poſt varias doctorum virorum ad Opera ſancti Fulgentii procuratas ſucceſſu temporum Acceſſiones & Commentarios: ea omnia anno hoc 1684. cum optimo ordine & caractere, impreſſa

in 4°. Parisiis apud Guillelmum Desprez, viâ Jacobæâ, sub signo sancti Prosperi, supposititiis Sermonibus elemento minori ad finem adjectis.

DIONYSIUS cognomento Exiguus, natione Scytha, professione Monachus & Abbas Romani Monasterii, geminâ scientiâ græcè & latinè clarus, inquit Sigebertus Gemblacensis cap. 27. De Scriptoribus Ecclesiasticis, floruit initio sexti Æræ Christianæ sæculi, usque ad annum circiter 540. Ejus meminit qui eodem vivebat tempore, Cassiodorus Senator cap. 23. divinarum Institutionum, ut Bedam ac recentiores computi artifices, Chronologiæ Scriptores, Canonumque Collectores omittam. Hic autem multa latinè scripsit, vel è Græco in Latinum transtulit, quorum quæ hûcusque viderim, hæc sunt: *Collectio Canonum Ecclesiasticorum ad Stephanum Episcopum Salonitanum*, edita tom. 2. pag. 101. Novæ Bibliothecæ Juris Canonici veteris, Parisiis in fol. anno 1661. apud Ludovicum Billaine, curâ & studio Guillelmi Vvoëli, Theologi ac Socii Sorbonici & Henrici Justelli, *cum Epistola sancti Cyrilli & Concilii Alexandrini contra Nestorium*. Ibid. p. 175. ab eodem Dionysio in Latinum sermonem translatâ. *Collectio Decretorum Romanorum Pontificum ad Julianum Presbyterum sanctæ Anastasiæ, à Siricio ad Anastasium*, qui sedebat anno 498. Ibidem pag. 183, cui ab Anonymo additum Supplementum, *A Papa Hilaro ad Gregorium juniorem*, quod extat ibidem pag. 249. impressum. Transtulit è Græco in Latinum *Librum sancti Gregorii Nyssæni de Opificio hominis*, quem dicavit Eugippio Presbytero, quæ versio typis vulga- 540.

ta est Coloniæ anno 1573. primùm Basileæ anno 1562. sed utrubique absque Epistola Translatoris Eugippio Presbytero inscripta, imò etiam absque versione Præfationis Gregorii Nysseni, quas exhibet Joannes Mabillon tom. 2. Analectorum, pag. 1. & seqq. ex manuscripto Codice Abbatiæ Corbeiensis. Item *vitam sancti Pachomii Abbatis*, quam vide in Vitis Patrum illustratis ab Heriberto Rosvveido Soc. Jesu, & Antuerpiæ in fol. annis 1615. & 1628. impressis. Item *Orationem sancti Procli ex Ciziceno Episcopo Patriarchæ Constantinopolitani De laudibus sacrosanctæ Dei genitricis Mariæ adversùs Nestorii blasphemias; cum Epistolâ ejusdem de Fide ad Armenos*, & alterâ *ad Domnum pro Caussa Athanasii Perrhenorum Episcopi*, quas habet Vincentius Richardus in Collectione Operum sancti Procli, impressa in 4°. Romæ anno 1630. Habet eandem Epistolam sancti Procli ad Armenos ab eodem Dionysio translatam, & Fœliciano Pastori dicatam Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Parisiensis anni 1575. tom. 1. pag. 406. & sequentibus. Item transtulit *Epistolam sancti Proterii Alexandrini Episcopi ad Beatissimum Leonem Papam Romanæ Urbis Episcopum De ratione Paschali*, editam in Appendice Operis De doctrina temporum Dionysii Petavii, unà cum duabus ejusdem Dionysii Exigui Epistolis Paschalibus. 1ª. *Ad Petronium Episcopum*, ubi agit de Cyclo Paschali, quem sub Consulatu Philoxeni & Probi Junioris scripsisse dicitur. 2ª. *Ad venerandos Bonifacium primicerium & Bonum secundicerium De ratione Paschæ*, quam constat fuisse scriptam anno Domini 526. indictione quarta labente, & Lunæ Cyclo 14. Item

transtulit *Historiam inventionis Capitis sancti Joannis Baptistæ conscriptam à Marcello Abbate*, cujus translationem dicavit Abbati Gaudentio. Hanc ad calcem Tractatus historici de Capite sancti Joannis Baptistæ pag. 205. subjecit Carolus du Fresne du Cange, Consiliarius & Regius apud Ambianos Quæstor. Opus hoc prostat in 4° apud Sebastianum Cramoisy Parisiis anno 1665. viâ Jacobæâ, sub Ciconiis. Hæc sufficiant de Dionysii Scriptis.

S. BENEDICTUS natione Italus, patriâ Nursinus, Monachorum in Occidente Antesignanus ac Princeps, Cœnobii Cassinensis Conditor, ibidem anno salutis 543. die 21. Martii, Sabbatho Dominicæ Passionis, non Paschatis, obdormivit in Domino. Cujus res gestas sanctus Gregorius Magnus fusè prosequitur lib. 2. Dialogorum, quem Gregorii Librum Ingolstadienses Græco-latinum annis superioribus ex Versione Zachariæ Papæ publicarunt. Scripsit *Regulam S. Benedictus, sermone luculentam, discretione præcipuam*, inquit Gregorius I. Papa in Dialogis, quam habes in Collectione Regularum & Constitutionum Asceticarum, procurata Antuerpiæ anno 1638. typis Plantinianis ab Auberto Miræo, de qua etiam in Bibliotheca sua Ecclesiastica ad cap. 30. libri 3. Honorii Augustodunensis De Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 126. Habet eandem Lucas Holstenius in sua etiam Collectione Regularum, edita in 4° Parisiis apud Ludovicum Billaine. De cujus variis impressionibus, & in eam Commentariis, quos tam Antiqui quàm Moderni Scriptores adornarunt, non est hic proprius loquendi locus.

GORDIANUS quidam scripsisse dicitur jussu Imperatoris Justiniani, *Vitam & Passionem S. Placidi, Discipuli S. Benedicti Abbatis Cassinensis, ejusque fratrum Victorini, Eutichii, & aliorum*, Messanæ in Sicilia à Manucha Pirata anno 539. occisorum, quæ apud Surium ad diem 5. Octobris extat, & correctior in Vitis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti sæculo 1. Sed Baronius in Notis ad Martyrologium, Operis hujus ita meminit, ut inscriptionem ejus videatur habere suspectam; sic enim inquit: *Acta à Gordiano conscripta, ut ferunt, jussu Imperatoris Justiniani*, Hæc Aubertus Miræus in Auctario, capite 141. pag. 207.

FACUNDUS HERMIANENSIS, in Africa Pro-
550. vinciæ Bizacenæ Episcopus, floruit post Consulatum Basilii anno 4. & ultrà, circa annum 550. duodecim libros scripsit *pro defensione trium Capitulorum*, quæ non posse absque injuria fidei Synodique Chalcedonensis eversione condemnari, falsò sibi persuasum habuit. Horum meminerunt Victor Tunnonensis in Chronico, & sanctus Isidorus *lib. De Viris illustribus* cap. 19. Scripsit etiam librum *adversùs Motianum* seu *Mutianum Scholasticum*, qui Africanos Antistites propterea quòd se à Vigilio Papa & ab Ecclesia, trium Capitulorum causâ, post illius judicatum segregaverant, meritò redarguebat. Hæc Opera eruit è tenebris oblivionis Jacobus Sirmondus Societatis Jesu, impressitque anno 1629. in 8°. Parisiis Sebastianus Cramoisy, viâ Jacobæâ sub Ciconiis. Item scripsit Epistolam prolixam quam inscripsit *Epistolam fidei Catholicæ in defensione trium Capitulorum*, à Domno Luca Dacherio Ordinis Divi

Benedicti editam tom. 4. Spicilegii jam sæpiùs citati, pag. 106. ex qua probatur Facundum Schismaticum fuisse, & in Schismate occubuisse. De eo sic Cassiodorus in Psalmum CXXXVIII. *Facundus venerabilis Episcopus, Hæreticorum penetrabili subtilitate destructor, nuper ad Justinianum Principem scribens de duabus Naturis Domini Christi duos libellos, cautè nimis luculenterque tractavit. Quos vobis manuscriptos reliqui, ut nec antiquis egeatis Tractatoribus, nec modernis.* Ubi duos libellos *De duabus Naturis Christi* ipsi tribuit Cassiodorus, sed existimo his verbis eum significasse duo prima Capita libri primi ex duodecim quos ad Justinianum direxit. Qui plura voluerit, adeat Possevinum in *Apparatu suo*, Aubertum Miræum *in Bibliotheca Ecclesiastica*; Scholio ad caput 19. Isidori *De Viris illustribus*, pag. Mihi 86. Natalem Alexandrum Dominicanum *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, sæculo 6. capite 4. pag. 156, & seqq.

PRIMASIUS ADRUMETINUS, in Byzacena Africæ Provincia Episcopus, anno 553. tempore Concilii quinti Generalis interfuit Constantinopoli cum Vigilio Papa, ut constat ex Collectione secunda istius Concilii. Illius præterea meminerunt Junilius Africanus pariter Episcopus, qui ei *Librum De partibus divinæ Legis* dedicavit. Victor Tonnonensis in eadem Africa Episcopus in Chronico, Cassiodorus Senator in Libro *De divinis Lectionibus* cap. 9. Isidorus Catalogi cap. 9. atque multi recentiores, inter quos est Philippus Labbeus in Dissertatione historica De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis, tom. 2. pag. 234. illius Opera diligenter notat & recenset. Ad-

dit autem pag. 255. *Libri autem ejus De Hæresibus ad Fortunatum Episcopum videntur periisse, in quibus explicatis quod olim sanctus Augustinus in libro Hæreseon, imperfectum morte interveniente reliquerat; in primo ostendebat quid hæreticum faciat; in secundo & tertio digerebat quid hæreticum demonstret.* At salva pace Philippi Labbei, non perierunt illi tres Libri Primasio Episcopo attributi; sunt enim *ipse Prædestinatus*, quem vir doctissimus Jacobus Sirmondus Anonymum tribus libris edidit Parisiis apud Sebastianum Cramoisy anno 1643. in 8°. & hanc observationem debemus Joanni Mabillon, qui tom. 4. Analectorum suorum, describens in Præfatione Iter suum Germanicum p. 83. & 84. testatur se vidisse in Germania hos libros manuscriptos sub nomine Primasii, quod omnino confirmat sententiam nostram, atque Opus Anonymum restituit legitimo parenti Primasio. Hæc Labbeo addenda censuimus necessarium. Vide Antonium Possevinum in Apparatu sacro, Aubertum Miræum in Bibliotheca Ecclesiastica, pag. 83. Scholio ad caput 9. Isidori De Scriptoribus Ecclesiasticis.

AURELIANUS Arelatensis Archiepiscopus, ex Patriciorum Aurelianorum stirpe editus in Gallia Narbonensi, ut memorant Ennodii Litteræ, eodem anno quo Auxanius rebus humanis excessit, ad Pontificatum pervenit 546. quem Vigilius Papa, petente Childeberto Rege, & consentiente Imperatore, Vicarium suum per omnes Gallias constituit, Litteris hoc anno die 23. Augusti missis, cùm ad ipsum Aurelianum, tum ad cæteros Galliarum Episcopos. Concilio Aurelianensi v°. secundus à Sacerdote Lugdunensi subscripsit an-

no 549. ad eumque missa est anno 550. Epistola ejusdem Vigilii Romani Pontificis de quæstione in sui defensionem pro Chalcedonensi Synodo, quâ hortatur ut Childeberto suggerat ad Regem Gothorum scribere, ne quid in Ecclesia Romana turbari sinat in præjudicium veræ Religionis, Urbe à Rege Totilâ novissimè captâ. rogatque ut de ejus incolumitate, Ecclesiæque Romanæ juribus conservandis satagat, operâ Childeberti Christianitatis (ut vocat) studiosissimi. Sanctus autem Aurelianus dicitur in Epistola Legatis Francorum qui Constantinopolim proficiscebantur directâ, sub annum 552. ubi ad Vigilium Legationem in caussa trium Capitulorum misisse scribitur, quam recitat Sirmondus. De illo etiam Præsule meminerunt Usuardus in Martyrologio, Baronius, Spondanus, & Proprium Arelatensis Ecclesiæ. Floruit sub Childeberto Rege Francorum, constructoque Monachorum Cœnobio, scripsit eis *Regulam*, quam habet Lucas Holstenius in Collectione sua, parte secunda, pag. 58. & seqq. Item *alteram Sanctimonialibus*, quam idem habet parte 3. pag. 3[illegible].

Cyprianus, Messianus & Stephanus, tres Discipuli sancti Cæsarii Arelatensis, anno circiter 550. Vitam sui Magistri libris duobus scripserunt, quæ apud Surium ad diem 27. Augusti, mutila & imperfecta; sed quam integram & plenam Vincentius Barralis edidit, in Chronologia illustrium Lirinensis Insulæ virorum, impressa Lugduni anno 1613. in 4°. Joannes Mabillon, sæculo primo Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, quibus tamen hunc non accenset Cæsarium.

560. JOANNES SCHOLASTICUS, ita dictus, quòd primùm in foro ex Scholasticorum, hoc est, Advocatorum seu Causidicorum numero fuerat, Antiochiæ Presbyter & Apocrisiarius, qui & postmodum Eutychio Patriarcha Constantinopolitano in exilium pulso, in ejus locum à Justiniano Imperatore suffectus est. Hic *Syllogen Canonum* composuit, quâ priorum Conciliorum Canones in veteri Codice Ecclesiæ universæ sparsim diffusos, in quinquaginta titulos, non servato ordine temporis, nec serie seu consequentiâ numerorum: sed singulos ex similibus Canonibus, & ad eandem rem pertinentibus, titulos cum Canonibus integris contexuit. Item &. *Nomocanonem seu Concordiam Canonum* Ecclesiæ cum Legibus civilibus. Utrumque Opus ex variis manuscriptis erutum, editum est tom. 2. Bibliothecæ Juris Canonici veteris, pag. 499. & 603. cum doctissima Præfatione Christophori Justelli, apud Ludovicum Billaine Parisiis 2. tomis in fol. 1661. Floruit anno 560. vel circiter, electus Patriarcha Constantinopoleos, vel nominatus anno 554. mortuus anno 578. quo Eutychius iterum ad Sedem suam reversus est. Agunt pluribus de eo Baronius in Annalibus 554. num. 11. & seqq. Auctores Bibliothecæ Juris Canonici veteris in Præfatione generali, & specialibus, ad dicta Opuscula Joann s, quos excutias.

VIGILIUS TAPSENSIS, in Byzacena Africæ Provincia Episcopus, floruit imperante Justiniano, circa annum 560. & ulteriùs, laudatus à Theodulpho Aurelianensi Episcopo *in Tractatu de Baptismo*, sub nomine Vigilii Africani. Scripsit multa quæ dudum latuerunt sub alieno nomi-

ne, nimirum SS. Athanasii, Arnobii senioris, Ambrosii, Augustini, & aliorum; vel potius singularem quandam ac sibi propriam habuit affectationem, ut Opera propria sub alienis nominibus occultaret: Et hanc vel ex motivo Christianæ humilitatis, quæ amat nesciri & pro nihilo reputari, vel ut hujusmodi Vigiliana Opera majorem ex alienis antiquiorum Doctorum nominibus mutuatis, auctoritatem sibi acquirerent. Hæc tandem sollicitudinibus & studiis Petri Franciſci Chiffletii Soc. Jesu Presbyteri, sub nomine sancti Vigilii Episcopi Tridentini ut plurimùm evulgata, Auctori proprio restituta sunt, impressa in 4°. cum Operibus Victoris Vitensis, anno 1665. Divione apud Viduam Philiberti Chavance, adjectis ad calcem Dissertationibus, Annotationibus & Lectionibus variantibus ejusdem Petri Franciſci Chiffletii. Sunt autem *Lib. v. adversùs Eutichetem*, p. 1. olim malè sub nomine Vigilii Tridentini Episcopi & Martyris, evulgati. *Contra Arrium Dialogorum lib.* 2. pag. 84. olim sub nomine & inter Opera sancti Athanasii, ad quorum finem, pag. 117. adde tanquam supplementum, Solutiones objectionum Arrianorum, pag. 533. *Contra Arrium, Sabellium & Photinum lib.* 3. pag. 118. olim sub nomine & inter Opera Divi Athanasii. *De Trinitate lib.* 12. pag. 198. olim sub ejusdem nomine, in ejusdem Operibus. *Symbolum seu Ratio Fidei*, quæ vulgò *Symbolum sancti Athanasii* dicitur, quod sanè est Nestorio posterius, & hominis Latini, ut jam omnes censent, de quo mentionem primus omnium fecit Hincmarus. Habetur in Operibus Divi Athanasii, & in tomis Conciliorum editionis ultimæ Parisiensis anni 1671. De

quo qui plura voluerit, legat doctissimum Vossium in Opere *De tribus Symbolis*, in 4°. Amstelodami anno 1662. & Godefridum Hermant Canonicum Bellovacensem in doctissimis suis Annotationibus ad Vitam sancti Athanasii, gallicè editam, & Parisiis impressam in 8°. & in 4°. anno 1679. apud Antonium Dezallier, sub signo Coronæ Aureæ. *Contra Fœlicianum Arrianum, De Unitate Trinitatis ad Optatum, lib.* pag. 331. olim & malè sub nomine & inter Opera sancti Augustini. Item scripsit sub nomine Divi Augustini *Altercationem cum Pascentio Arriano coram Judice Laurentio*: quam ex MSS. erutam habes in appendice ad volumen Epistolarum Divi Augustini novissimæ Impressionis, p. 41. cum docta Annotatione prævia à nostris Benedictinis Gallis hujus editionis Curatoribus confecta. Scripsit etiam Disputationem inscriptam, *Conflictum sub nomine Arnobii & Serapionis*, quam Commentariis illustravit Franciscus Feu-ardant Minorita Gallus, & quam habes in ultima editione Lugdunensi Bibliothecæ SS. Patrum, tom. 8. pag. 203. & seqq. in aliisque impressionibus ejusdem Bibliothecæ. Item *contra Marivadum Arrianum Diaconum*, olim sub nomine Idatii contra Varimadum lib. 3. pag. 357. *Contra Palladium Arrianum lib.* 1. *in specimen Concilii Aquileiensis*, olim sub nomine & inter Epistolas Divi Ambrosii. *Contra eundem Palladium lib.* 2. sub nomine & inter Opera Ambrosii, hic pag. 506. sed cujus Prologus seu initium habetur pag. 529. tum ad paginam 532. resume quod habetur pag. 506. deinde ejusdem lib. pag. 524. adde pauca sub finem pag. 532. post quæ addes Epistolas Concilii Aquileiensis ad Episcopos

Galliæ, & ad Imperatores, ut hac ratione hi duo libri puri & absque inversione legantur. Hæc sub alienis omnia nominibus, unum spirantia Opera Vigilium Scriptorem, de quo plenius Illustrator Operum Petrus Franciscus Chiffletius, ut supra jam monuimus.

ISAACUS Junior Monachus Syrus, distinctus ab Isaace seniore Syro itidem Monacho, quem Gennadius in Catalogo capite 66. ita memorat: *Isaac Syrus Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, scripsit Syro sermone, longo tempore, & multa; præcipuâ tamen curâ adversùs Nestorianos & Eutichianos. Ruinam etiam Antiochiæ longo carmine planxit, eo auditores imbuens sono, quo Ephrem Diaconus Nicomediæ lapsum. Moritur Leone & Martiano Imperantibus.* Hæc Gennadius de Seniore; sed Junior vixit usque ad extrema Gothorum tempora, ut narrat S. Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 14. Isaacus hic Junior creditur parens libri *De contemptu mundi*, qui tom. 6. Bibliothecæ SS. Patrum editionis à Colonienſibus anno 1618. procuratæ, legitur: eóque magis quòd sanctus Gregorius asserat ibi inter alia, ab Isaaco dictum, *Monachum qui in terra possessiones quærit, non esse Monachum.* Quod quidem ad citati libri Argumentum, facit quàm maximè. Ejusdem autem Isaaci Junioris in Bibliotheca veterum Patrum Sermones Ascetici leguntur, in veteribus editionibus annorum 1575. & 1589. sub titulis sequentibus, latinè tantùm impressi, nimirum.

Exhortatorium vitæ spiritualis De contemptu mundi, cujus initium *Anima quæ Deum diligit* pag. 1019.

De pugna vitiorum. *Multum honorem &c.* p. 1022.

De accessu ad Deum. *Quando aliquis in aliquam ruinam* p. 1025.

De difficultate virtutum. *Quamlibet virtutem* p. 1027.

De profectu spirituali Dialogus. *Quo vinculo retinetur* p. 1028.

De ordine Monasticæ vitæ. *Ex operatione violenta* p. 1031.

De humilitate. *Beatus homo qui sit* p. 1032.

De tribus ordinibus proficientium. *Tres sunt ordines* p. 1033.

De solitudine Monachorum. *Homo multæ solitudinis* p. 1035.

De diversis tentationibus. *Virtutes invicem* p. 1038.

De informatione Novitiorum. *Hic est ordo sobrius* p. 1043.

De pœnitentia. *Fortitudinem quam* p. 1046.

Habentur autem Sermones ejusmodi græcè MSs. in duobus Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ sub hoc titulo: *Isaac Abbatis Syri & Anachoretæ, Episcopi Ninive, Sermones ascetici, scripti ab ipso proprio idiomate, expositi autem sive translati à sanctis Patribus Abbate Patricio & Abbate Abrahamo, Philosophis & demorantibus in Laura.* Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Bibliotheca Ecclesiastica* Scholio ad cap. 66. Gennadii Massilienſis pag. 63. & in *Auctario* cap. 162. pag. 211. unde superiora habuimus.

PELAGIUS Papa anno 559. mortuus die 4. Martii, putatur ex græco in latinum transtulisse librum *De Vitis Patrum* ab incerto auctore scriptum, qui in Plantiniana editione annorum 1615.

& 1628. ordine quintus est. Itemque *Joannes III.* Pelagii in Pontificatu Successor, anno 572. die 13. Julii mortuus, putatur latinum fecisse græcum librum *De vitis Patrum* ab Anonymo scriptum, qui in Plantiniana editione est ordine Sextus. Vide Heribertum Rosvveidum in suis *ad vitas Patrum Prolegomenis*, & Miræum in *Auctario* cap. 156. pag. 210. & in Scholio ad caput ultimum Hieronymiani Catalogi pag. 38.

DATIUS Mediolanensis Archiepiscopus, florebat in dicta Ecclesia circa annum 560. cui plures attribuunt *Chronicon Ms. in Bibliotheca Mediolanensi*, ut Aubertus Miræus in *Auctario* cap. 155. p. 210. suæ *Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, Ferdinandus Ughellus in Italia sacra, dum de Mediolanensibus Archiepiscopis. Sed quamvis sub sancti Datii Mediolanensis Archiepiscopi nomine inscriptum sit, suppositum tamen est, dum persequitur tempora seu seriem rerum Mediolanensium usque ad annum 1066. cujus prima pars habet Auctorem Landulphum Seniorem, 2. Arnulfum, 3. Landulphum Juniorem. De hoc Chronico legatur observantia Joannis Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 3. ex litteris Mediolano acceptis, nullum enim argumentum veritatis hujus Chronici Datiani.

ZACHARIAS ex Scholastico seu sophista, Mitylenensis non solum Episcopus, verum etiam *Metropolita* vocatus *in Actis Oecumenici Concilii quinti*, anno 553. habiti à centum sexaginta quinque Patribus contra Anthymum & Theodorum, sub Vigilio Pontifice Romano, temporibus Justiniani & Justini Jmpp. huic igitur interfuit Zacharias Mitylenensis, ac deputatus à Menna Pa-

triarcha & Concilio, cum Vosporio Neocæsarien-si Metropolita Provinciæ Ponti Polemoniaci, & Acacio Pessinuntino, ad notificandum Anthymo quæ à Concilio gesta essent de ejus auctoratione ab Episcopatu Constantinopolitano, & ipsum invitandum infra tres dies ad Synodum, ad faciendam super annuntiatis congruam satisfactionem.

Scripsit Dialogum *De vniversitatis procreatione contra mundi & materiæ æternitatem à Philosophis constitutam*, quem Gilbertus Genebrardus Aquensis Archiepiscopus, & antea Regius Litterarum Hebraïcarum Professor, latinum fecit. Item scripsit *Disputationem contra ea quæ De duobus principiis à Manichæo quodam scripta, & in viam publicam projecta reperit*, quam Franciscus Turrianus ex Ms. Codice suæ Bibliothecæ latinè reddidit, & Henricus Canisius tom. 5. Antiquarum lectionum Ingolstadii anno 1604. in 4. publicavit. utrumque opus legitur latinè in Bibliotheca Veterum Patrum tom. 6. editionis Colonienſis anni 1618. apud Antonium Hierat. Porro *Dialogus de mundi Opificio contra Philosophorum disputationem*, græcè & latinè prodiit Parisiis anno 1618. in 4. interprete Joanne Tarino Andegavensi, cum *Origenis Philocalia* de obscuris sacræ Scripturæ locis, à sanctis Patribus Basilio Magno & Gregorio Nazianzeno ex variis Origenis Commentariis excerptâ; & cum Sermone Anastasii Presbyteri in monte Syna *De hominis ad imaginem & similitudinem Dei creatione*, qui & Gregorio Nysseno tribuitur. Habes etiam græcè & latinè in *Bibliotheca SS. Patrum* Morelliana Parisiensi anni 1644. tom. xi. pag. 331. &

sequentibus

sequentibus. Claruit circa annum 560. de quo loquuntur Miræus in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 152. pag. 209. Possevinus in *Apparatu sacro* & Conrardus Gesnerus in *Bibliotheca sua*. *Disputatio autem Zachariæ* quam Canisius edidit, habetur græcè Manuscripta inter Codices græcos, quos Franciscus Turrianus attulit ad Societatem Jesu dum Romæ ipsam professus est.

CYRILLUS Monachus ac discipulus sancti P. Sabæ floruit non anno 490. ut voluit Possevinus in suo *Apparatu sacro*, verbo *Cyrillus*; sed anno circiter 560. vel 553. ut Labbeus in *Chronologia* brevissima *Scriptorum Ecclesiasticorum*. Certum quippe est eum vixisse post sanctum Sabam clarissimum Abbatem qui è vitâ migravit quinto Decembris anni 532. unde ad annum 560. vel circiter spectat. Scripsit autem *Vitam sancti Euthymii Abbatis*; de quo Romanum Martyrologium ad diem 20. Januarii, quam habes græcè Ms. in Bibliotheca sereniſſimi Bavariæ Ducis Cod. 164. Vaticana ex MSs. Heidelbergensibus Cod. 308. & 357. in Regia Gallicana Codd. variis: Et quam edidit græcè & latinè ex MSs. Regiis duobus 493. 2422. & tribus Colbertinis; Joannes Baptista Cotelier multæ Antiquitatis Theologus & Regius Linguæ græcæ Professor, tom. 2°. pag. 200. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ græcæ*, in 4. Parisiis 1681. apud Franciscum Muguet sub signo trium Regum. Item *Vitam sancti Joannis cognomento Silentiarii*; quam græcè & latinè ediderunt ex Ms. Vaticano 866. Continuatores Bollandistæ ad diem 13. Maii, editi tribus tomis in fol. Antuerpiæ anno 1680. apud Michaëlem

Cnobbarum. Item *Vitam ſancti Sabæ Abbatis* de quo Romanum Martyrologium ad diem 5. Decembris, quam habes Ms. in Metaphraſte apud varias Bibliothecas, & ſingulariùs in Vaticana Cod. 357. Heidelbergenſi. Luculentum de Cyrillo Monacho teſtimonium dat Cæſar Baronius, de quo ſic loquitur: liceat abſque invidiâ dicere, » me neminem reperiiſſe poſt ſanctum Hieronymum » atque Athanaſium, qui majori fide ſcripſerit ſanctiſſimorum virorum res geſtas, digerens eas atque » diſtinguens accuratè per tempora, ac ipſe Cyrillus: dum quæ ipſe vidit, vel ſanctorum omni » probitate præſtantium virorum relatu didicit, abſque levi ſuſpicione mendacii, ſinceram veritatem » veluti ſacroſanctum depoſitum poſteris tradidit. » Nempe vitam Joannis ſanctiſſimi, qui ex Epiſcopo Coloniæ quæ erat in Armenia, evaſit ſilentiarius: cum profectus ad loca ſancta, ſubijciens » ſe Diſciplinæ magni Sabæ, mutatus in Monachum ob incomparabilem ſilentii obſervantiam, » *Silentiarius* eſt dictus. In *Annalibus* anno 491. n. 15. 16. 18. an 497. num. 58. & anno 498. num. 10.

578. PROCOPIUS Cæſareæ in Paleſtina natus, Hiſtoricus, Notarius & Comes Beliſarii, cujus & res geſtas conſcripſit. Continet ejus hiſtoria *Libros octo*, quorum duo priores ſunt *De bello Perſico*, duo ſequentes *De bello Vandalico*, quatuor poſtremi *De bello Gothico*. Priores duos in compendium redegit Photius in *Bibliotheca* Cod. 63. ſed omnium Synopſim ſive Compendium habes apud Agathiam in præfatione, qui ſuam hiſtoriam inde orditur, ubi Procopius deſinit. Octo iſtis Libris poſtea nonum Procopius adjecit, & eum quòd

complecteretur res antea non editas; *Anecdota sive Arcana* nuncupavit, teste Suidâ: qui etiam tradit Procopium hoc libro invectum fuisse in Justinianum Imperatorem, ejusque conjugem Theodoram; itémque in Belisarium & ejus uxorem. Anecdota studio Nicolai Alemanni Romæ & Lugduni 1623. typis edita fuerunt. Cæterùm præter octo libros quos dixi, extat volumen Procopii *De Justiniani ædificiis*, in sex narrationes divisum, cujus operis Georgius Codinus in *selectis de Constantinopoli* meminit. Hæc autem omnia Procopii opera sunt edita græcè & latinè, inter Auctores Hystoriæ Byzantinæ in fol. XXIV. tomis editos, ex prælo Galliarum regio ab anno 1647. & ad 1670. & ultrà. Longè diversus ab illo est Procopius Gazæus Sophista, cujus meminit Photius in *Bibliotheca* Codd. 206. & 207. qui concinnavit ex aliorum libris *Commentaria in Octateuchum, libros Regum & Paralipomenon*; Tiguri excusa anno 1555. Item *Commentaria in Isaiam* interprete Joanne Curterio, excusa græcè & latinè Parisiis anno 1580. Quando hic vixerit, certò non constat.

AGATHIAS Mutinæ in Asia natus, Scholasticus sive Causidicus Smirnæus, eodem & tempore quo Procopius vixit. Hic Suidâ teste, præter Epigrammata multa, scripsit *libros quinque de Imperio & rebus gestis Imperatoris Justiniani*; quos habes græcè & latinè impressos cum notis & interpretatione Bonaventuræ Vulcanii, inter Scriptores Historiæ Byzantinæ ex Typographio Galliarum Regio, de quo statim egimus in Procopio. Agathias creditur fuisse Gentilis, qui hic positus est tanquam Procopii Continuator in rebus Justinianeis.

AGNELLUS Ravennatensis Episcopus scripsit *Epistolam de ratione fidei ad Arminium*, quam reperies tom. 5. Bibliothecæ SS. Patrum à Colonienſibus anno 1618. procuratæ, & in editionibus anterioribus annorum 1575. & 1589. Parisiis apud Michaëlem Sonnium. Hunc auctorem Coccius sæculo quinto vixisse existimat, sed sexto circa annum 560. Vossius *De historicis latinis* pag. 757. quem sequor.

CASSIODORUS Consul & Senator, postea Monachus & Abbas, quem multis laudibus ornant, quotquot scripserunt de Scriptoribus Ecclesiasticis: ut Bellarminus & Labbeus, Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Scholio* ad caput 21. libelli tertii Honorii Augustodunensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Sigebertus cap. 40. *De viris illustribus*. His addam *omnia Aurelii Cassiodori opera* insigni studio, 2. in folio tomis impressa esse Rothomagi anno 1679. impensis Antonii Dezallier Bibliopolæ Parisiensis, & collata ea fuisse cum MSS. Codd. curis Domni Johannis Garetii Monachi Benedictini Congregationis sancti Mauri, præmissâ dicti Cassiodori vitâ, cum dissertatione *De ejus Monachismo*, variisque Scriptorum de eo testimoniis. Gessit Consulatum solus anno 514. ac Theodorico ejusque successoribus Gothorum Regibus carissimus, tum relictis negotiis publicis uni Deo vacans, post annum 562. in Vivariensi Monasterio, Nonagenario major obiit, de quo plenè dixit Johannes Garetius in ejus vita.

NICETIUS Treverensis, pietate zeloque fidei inter alios Treverenses Episcopos conspicuus, apud Lemovices Nobilibus natalibus ortus, quem

celeberrimi illius Nicetii tantopere à Sidonio Apollinari laudati, cognatione proximum fuisse aliqui conjiciunt. Hic autem ex Arverniâ à Theodorico Mediomatricum Rege apud Treviros in Antistitem missus, & sancto Gallo qui à Clero exposcebatur, ob stirpis nobilitatem & sanctimoniæ laudem prælatus, ex Abbatis officio Treverensem Pontificatum Regis Decreto consecutus est. Qui ob id etiam Theodorico venerationi fuit, quod ipsum peccantem & Theodebertum filium liberè admonere ac emendare consueverat, ut passim ex Gregorii Hist. & ejusdem Nicetii in Vitis Patrum cap. 17. colligitur his verbis: *Veneranabatur eum Rex Theodoricus magno honore, eò quod sæpiùs vitia ejus nudaret ac crimina, castigatus emendatior redderetur: & ob hanc gratiam decedente Trevericæ Urbis Sacerdote, eum ad Episcopatum jussit accersiri.* illud in eo mirandum narrat & Gregorius eodem capite, quod ad Clericatûs Ordinem non modò institutus, sed natus videretur, ut quidem cum corona quam Clerici tunc temporis gestare solebant, Infans instar Attonsi rarescentibus in orbem pilis ex matris utero prodierit. Vir sanè Apostolicus, quem his Elogiis commendat Gregorius lib. 10. Hist. cap. 29. *Erat apud Urbem Trevericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius Episcopus, non solùm in prædicatione admirabilis facundiæ, verùm etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe*: & cap. 94. De gloria Confessorum, *Nicetius Eleemosynæ, Charitatis, sanctitatisque totius refulsit merito.* Quod autem sæpius pro injustis facinoribus ob incestas nuptias ab ipso Clotharius Rex acerrimè increpatus & excommunicatus fuisset, in exilium

amandatur : à quò post hæc revocatus, Sedi suæ restituitur à Sigiberto filio, ut fusiùs describit idem Gregorius in Vitâ Nicetii, quam præclarè ex Beati Aredii Abbatis Lemovicini Narratione contexuisse testatur. Interim subscripsit Conciliis Arvernensi anno 535. Aurelianensi v°. anno 549. & alteri Arvernensi eodem anno. Scripsit *De Virginiis servorum Dei* tractatum, qui cum alio tractatu *De bono Psalmodiæ* tribuitur Nicetæ Episcopo in antiquissimis Membranis Bibliothecæ Vaticanæ ; cujus etiam utriusque tractatus extant MSs Exemplaria in Bibliotheca sancti Maximini Trevirensis. Nuper utrúmque edidit tom. 3. *Spicilegii* D. Lucas Dacherius Ordinis Divi Benedicti, tribuítque non Nicetæ Episcopo (quem vir clarissimus Lucas Holstenius, Jacobus Sirmondus, aliíque eruditissimi censuerunt eum esse Nicetam Daciæ Episcopum, de quo plura sanctus Paulinus Epist. 10. ad Severum, Natali IX. sancti Fœlicis, & fusiùs Carmine XXX. cùm Martyrologio Romano ad diem 7. Januarii, Baronius, Bollandus &c) sed Nicetio nostro Trevirensi Archiepiscopo, ad quem spectare videntur. Extat quoque in actis Conciliorum ad annum 549. Epistola Mappinii Remensis ad eundem Præsulem (quem Beatissimum Papam indigitat) excusatoria cur ad Synodum Tullensem non venerit anno 550. Ubi etiam habentur, ut & in *Collectaneo Historicorum Franciæ* & in *Conciliis Galliæ* à Jacobo Sirmondo Parisiis in fol. 3. tomis anno 1629. apud Sebastianum Cramoisy evulgatis, *duæ Nicetii Epistolæ insignes :* quarum priore *Justinianum Imperatorem in hæresim lapsum sub annum 563. ab hæresi revocat*, alterâ *Clodosvindam*

Clotarii Francorum Regis filiam sub annum 565. hortatur ut maritum suum Alboinum Longobardorum Regem ad fidem Catholicam adducat. Transiit ad Christum Nicetius circa annum 568. Nonis Decembris, quo die ejus Natalitia Ecclesia celebrat, quanquam alii velint obitum adscribi Calendis Octobris, insigni encomio laudatus à Fortunato lib. 3. Carmine IX. quod vice Epitaphii potest hic referri.

Splendor, Apex fidei, veneranda mente Niceti
Totius orbis amor, Pontificumque caput.
Summus Apostolico præcellens Pastor ovili,
Auxisti meritis quidquid honoris habes.
Divino insistens operi, terrena relinquis,
Cui moritur mundus, non moriture manes.
Vita brevis cunctis, sed non brevis illa Beatis,
Cum bona non pereant, jure perennis erit.
Dum tibi restrictus maneas & largus egenis,
Quod facis in minimis, te dare credo Deo.
Captivus quicumque redit sua limina cernens,
Ille lares patrios, tu capis inde polos.
Hic habet exul opem, jejunans invenit escas,
Qui venit esuriens, hic satiatus abit.
Tristibus abducis curas purgando querelas,
Et sanas cunctos una medela viros.
Pauperis hinc lachrymas desiccas, gaudia præstans:
Qui prius ingemuit, vota salutis habet.
Te pascente greges, nunquam lupus abripit agnos;
Sunt bene servi quos tua caula tegit.
Templa vetusta Dei renovasti in culmine prisco,
Et floret senior te reparante domus.

Hinc populis longos tribuas pia vota per annos,
Et maneas pastor, ne lacerentur oves.

Corpus sepelitur in Basilica Maximini Trevirensis, quo loco memoria ejus in cultu erat ætate sancti Gregorii Turonensis, ut ipse insinuat libro *De Gloria Confessorum* cap. 93. ubi & hodie religiosè clarescit: fuit enim sanctitate, virtutum excellentiâ, & miraculorum signis admodum spectabilis. De Vita illius plura Gregorius in citatis libris *De Gloria Confessorum*, *Vitis Patrum*, & *Historia Francorum*. Fortunatus in *Carminibus*, Surius in *Vitis Sanctorum*, Baronius & Spondanus in *Annalibus*, Miræus in *Fastis Belgicis*, Brovverus in *Notis ad Fortunatum*, Hadrianus Valesius in libris *Rerum Francicarum*, Sammarthani Fratres in *Gallia Christiana* tom. 1. pag. 717. dum de Archiepiscopis Treverensibus, à quibus præcedentia ferè omnia habuimus.

580. PASCHASIUS sancti Martini ex Dumiensi Abbate Bracarensis Episcopi Diaconus, floruit anno circiter 580. transtulitque in linguam Latinam librum *De Vitis Patrum*, græcè ab incerto Auctore conscriptum, qui in editione Plantiniana est ordine septimus, quem Martino Abbati Dumiensi dicavit. Alius ab isto fuit sanctus Paschasius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Martyrologio Romano ad diem 31. Maii adscriptus, à Sigeberto in Catal. cap. 17. & à nobis supra ad annum 520. recensitus.

JOANNES CLIMACUS, ob librum 30. Capitum, quibus tanquam gradibus seu scalis ad perfectionis Religiosæ culmen ascenditur, sic vulgò nuncupatus. Idem quoque Joannes Sinaita, vel

Abbas ſancti Montis Sina, cognomento Scholaſticus, reperitur à Veteribus dictus. Vixit extremo Chriſti ſæculo ſexto, circa annum 580. Et ſi Menæis Græcorum fides, pene centenarius obiit die 30. Martii, ut habet etiam Martyrologium Romanum. De eodem Elias Cretenſis Metropolita, qui Explanationes in Scalam ſcripſit, quemque nonnulli putant interfuiſſe anno 787. Nicænæ Synodo, Joannes Gerſon, Volaterranus, & alii recentiores cum Bellarmino & Labbeo, quibus hoc addam;

Nullum Auctorem Græcum inveniri, cujus Opera tam frequentia ſint in Manuſcriptis Græcis Bibliothecis. Nam in Vaticana decies & ultra MSs. ſunt, in Vallicellana bis, in Veneta ſereniſſimæ Reipublicæ ter, in Florentina bis, in Meſſanenſi bis, in Bavarica bis, in Auguſtana ter, in Imperatoria bis, in Regia Gallica ſæpius inveniuntur. Fuit & alius Joannes Abbas Montis Sina, diverſus, ut volunt, à noſtro Climaco, qui in manuſcriptis Codicibus perhibetur Auctor Germanus hiſtoriæ Sanctorum Barlaam & Joſaphat. Hæc legitur apud Laurentium Surium latinè ad diem 27. Novembris, & in calce Operum ſancti Joannis Damaſceni; quem illius Scriptorem cenſent Jacobus Billius in editione ſua Operum dicti Damaſceni procuratâ in fol. Pariſiis anno 1577. & Heribertus Roſvveidus in Notis *ad Vitas Patrum*, evulgatas in fol. Antuerpiæ annis 1615. & 1628. Plantinianis typis. De Scriptore hujus Operis ita habet Codex manuſcriptus 368. Bibliothecæ Heidelbergenſis, nunc Vaticanus: *Barlaami & Joſaphati Vita, Hiſtoria ex anteriori Æthiopum ſeu Indorum regione in ſanctam Urbem tranſlata*

per Joannem Monachum de Contubernio S. Sabæ. Codex autem 59. habet, *Barlaami Liber seu de rebus in India gestis à Barlaamo & Josaphato Joannis Damasceni.* Legitur etiam græcè MS. in Bibliotheca Augustana Cod. 79. Bavarica Cod. 205. & 17. atque alibi sæpiùs, ut in Florentina & Regia Parisiensi.

MARIUS Aventicensis seu Lausannensis Episcopus, Concilio Matisconensi anno Christi 585. subscripsit, in Episcopatu annos viginti & menses octo exegit, anno ætatis sexagesimo quarto, pridie Calendas Januarias obiit, quâ die nomen ejus sacris Fastis adscriptum est. Sepultus fuit Lausannæ in Ædе sancti Tyrsi, quæ exinde ob novi Hospitis celebritatem sancti Marii nuncupata est. Scripsit *Chronicon* à tempore quo sanctus Prosper Aquitanus desinit, sive à Consulibus Valentiniano VIII. & Anthemio, id est, à Christi anno vulgari 455. usque ad annum 581. quod Petr. Fr. Chifflet Soc. Jesu Theologus primus ex MSs. eruit, & Andræas Ducheſnius inseruit tom. 1. pag. 210. Collectanei sui Historicorum Franciæ, anno 1638. apud Sebastianum Cramoisy, & annis sequentibus impressi. Agunt de Mario Aventicensi dictus Andræas Ducheſnius loco citato, Sammarthani in *Gallia Christiana*, dum de Lausanensibus Episc.

EVANTUS seu EVANTIUS, Abbas primùm, tum postea Viennensis in Gallia Episcopus, putatur vixisse ab anno Christi 580. ad 590. vel circiter. Hunc ut sanctum Ado in Chronico, & Molanus ad Usuardum die 3. Februarii commemorant. Hic Evantius vel Eventius, cujus meminit Fortunatus lib. 3. Epistolâ ad Euphronium, qui & Eventius & Aventius nominatur: quem

Christophorus Brouverus in Notis suis ad Carmina & Opera Fortunati, putat fuisse Viennensem in Gallia Episcopum : Et meritò, nam Evantius Viennensis Episcopus Matisconensi I. Concilio, anno 582. Lugdunensi III. 583. Valentino III. 584. & Matisconensi II. 585. subscripsit. Scripsit verò *Epistolam contra eos qui sanguinem animalium immundum esse judicant, & carnem mundam esse dicunt*: quam Epistolam ex manuscriptis Codicibus Cœnobii sancti Galli, Henricus Canisius tom. 5. Lectionis Antiquæ, & Colonienses in fine tomi 6. *Bibliothecæ Patrum* ediderunt. Sanè quoad Argumentum Epistolæ ab Evantio (quisquis ille fuerit) scriptæ spectat, Joannes Lorinus cap. 15. in Acta Apostolorum & alii docent, primitivam Ecclesiam dudum abstinuisse à sanguine animalium. Gregorius Turonensis lib. 8. cap. 39. suæ Historiæ testatur obiisse anno undecimo Regni Childeberti in Austrasia, hoc est, anno Domini 586. De illo Sammarthani in *Gallia Christiana*, tom. 1. pag. 795. in Episcopis Viennensibus, Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 160. pag. 211. post Antonium Possevinum in *Apparatu sacro*.

Leontius Byzantinus, ex Advocato, vel (ut quidam alii scribunt) ex Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbytero, Monachus in Laura sancti Sabæ prope Hierosolymam, non scripsit ante quintam Synodum Oecumenicam, ut Bellarminus censuit, neque Justiniani Magni Imperatoris tempore floruit, ut Baronius contendit; sed ad extrema Justini Junioris & Tiberii tempora; ac fortè etiam ad usque Mauritii Imperium pervenit. Nam in Actione quinta de Sectis inter Ale 590.

xandrinos Antistites extremum numerat Eulogium, qui sedit ab anno 581. ad annum 604. atque sub Phoca obiit, & cujus nonnulla excerpta sive Eclogas submministrat Bibliotheca Photii. Errant qui eundem esse putant cum Leontio Byzanceno, cujus meminit Cyrillus in Vita Sabæ Abbatis c. 95. & in *Vita S. Quiriaci* Anachoretæ, quique asseritur imbutus Origenistarum erroribus, & Theodori Mopsuesteni Sectator. Noster enim Leontius è contra Origenem & Origenistas refellit, invehiturque in Theodorum Mopsuestiæ, Diodorum Tarsi, & Nestorium Constantinopolis Antistites. Hujus sunt *Excerpta ex ore Theodori Abbatis religiosissimi & doctissimi Philosophi, divinis pariter externisque Litteris eruditi, De Sectis Hæreticorum ac Synodo Chalcedonensi:* distincta in Actiones decem, quæ extant græcè & latinè, interprete Joanne Leunclavio, tum seorsim in 8°. Basileæ 1578. cum Legatione Manuelis Comneni ad Armenos, tum in *Auctario Bibliothecæ Veterum Patrum* an. 1624. & tom. XI. Morellianæ pag. 493.

Ejusdem, ut creditur, Leontii *Libri tres adversùs Eutychianos & Nestorianos.* Item *Libri duo adversùs fraudes Apollinaristarum, Solutiones Argumentorum Severi, Dubitationes hypotheticæ, & Definitiones contra eos qui negant in Christo duas naturas.* Latinè tantùm à Francisco Turriano Soc. Jesu Theologo redditæ habentur tom. 4. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, & in Bibliothecis Veterum Patrum: sed græcè MSs. sunt Romæ inter Libros, quos idem Turrianus dedit Societati, quando ipsam ingressus est.

Idem porrò mihi videtur cum Byzantino Leontius Constantinopolitanus, qui scripsit librum

De duplici natura in Christo contra Hæresim Monophysitarum, & disputationem contra Philosophum Arrianum : quæ Mss. dicuntur asservari in Bibliotheca Imperiali Viennæ Austriæ. Esto in duos aut tres etiam Leontios hunc distinxerit Possevinus, delusus hîc (ut sæpius aliàs) à Gesnero, ejusque Epitomatoribus non sufficienter accuratis.

EUSTATHIUS Presbyter & familiaris domesticus sancti Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani, qui obiit anno Domini 586. cum Magistro in exilium profectus est, atque reversus Constantinopolim, nunquam ab ejus latere discessit usque ad mortem. Scripsit *Vitam hujus sancti Patriarchæ*, annosque, menses & dies assiduus diligensque observavit, quam ex manuscripto Codice Vaticano græcè & latinè ediderunt Continuatores Joannis Bollandi ad diem 6. Aprilis. Scripsit hanc Vitam imperante Mauritio Eustathius in Anniversario die obitûs sancti Eutychii, circa anno 590. vel ultrà.

FERREOLUS natione Narbonensis, è nobilissimis parentibus originem duxit, cujus genitor Ansbertus ex magno Senatorum genere, accepit & Clotharii Regis Francorum filiam vocabulo *Blithil*. Migrante tandem ad Cælos Beato Firmino, eligitur Angelica electione B. Ferreolus Episcopus Ucetiensis, qui terrena cælestis vitæ amore postponens, culmen sancti Officii in se suscepit, unde hujus sanctitatis & prædicationis fama longè latèque est diffusa. Propter sanctitatem vitæ B. Ferreolus à calumniatoribus accusatur, capitur & trahitur, & Parisius in exilium mittitur. Quantò pro Nomine Domini distabat à sæculo,

» tantò merebatur vicinior fieri Cælo. Inſpirante
» Sancti Spiritûs gratiâ ſuæ Eccleſiæ ruinam mox
» ſcivit. Remittitur ad propria vir Beatus; & im-
» menſis muneribus à Rege donatur, cui ab exilio
» revertenti omnis populus occurrit. Hæc vetuſta ejuſdem Præſulis Vita. Inſtituit Monaſterium, quod de ſuo nomine *Ferriolacenſe* nuncupavit, cujus Monachis *Regulam* ſcripſit, quam Lucretii Dienſis Epiſcopi, qui in magna exiſtimatione erat in Eccleſia Gallicana, permiſit Cenſuræ, anno circiter 590. Hanc edidit Lucas Holſtenius in *Codice Regularum*, parte 2. pag. 69. & ſeqq. deque eo honorificam mentionem facit ſanctus Gregorius Turonenſis lib. 6. Hiſtoriæ capite 7. ſequentibus verbis : *Eo tempore Ferreolus Ucetienſis Epiſcopus, magnæ vir ſanctitatis obiit, plenus ſapientiâ & intellectu, qui libros aliquos Epiſtolarum quaſi Sidonium ſecutus, compoſuit. Poſt cujus obitum Albinus ex Præfecto per Dynamium Rectorem Provinciæ, extra Regis conſilium, ſuſcepit Epiſcopatum.*

DYNAMIUS Patricius & Rector patrimonii S. R. E. in Gallia, à Sigeberto in Catalogo, capite 114. eſt recenſitus, *quaſi ſcripſerit Vitam virtutibus plenam ſancti Marii, qui fuit Abbas Bodanenſis Cœnobii.* Scripſit verò Dynamius vir illuſtris ac Patricius Vitam ſancti Maximi, primum Abbatis Lerinenſis, poſt Epiſcopi Regienſis in Gallia, quam Urbico, qui Fauſto in Eccleſia Regienſi ſucceſſerat, dedicavit. Extat in Vitis Sanctorum Laurentii Surii ad diem 27. Novembris, & apud Vincentium Barralem in Chronologia Lerinenſi. An hic apud Sigebertum ſit legendum ſancti Maximi, valde propendeo, licet non ha-

beam unde demonſtrem. De Mario Bodanenſi hactenus nihil legi. Dynamius laudatur à Gregorio Magno, Epiſtolâ ad ipſum datâ menſe Aprili, Indictione undecimâ, anno Chriſti 593. Idem Gregorius anno 595. in Dynamii locum ſuffecit Candidum Presbyterum, eique mandavit ut ex ſolidis patrimonii Eccleſiæ Romanæ in Gallia recipiendis, pueros Anglos Paganos 17. aut 18. annorum compararet, in Monaſteriis utique Deo dandos, & Chriſtianâ doctrinâ imbuendos. De eodem abſque dubio agunt Gregorius Turonenſis lib. 6. Hiſtoriæ cap. 7. dum de electione Albini in Epiſcopum Ucetienſem defuncto Ferreolo. Item Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 167. pag. 212. & Scholio ad caput 114. Sigeberti, Poſſevinus *in Apparatu ſacro.*

ANASTASIUS, Sinaïta vulgò dictus, primus ex duobus Anaſtaſiis inter cæteros Antiochenis, ſeu Theopolitanis Patriarchis, qui pietatis ac doctrinæ laude celeberrimi claruerunt. Hic Sinaïta dictus eſt, quòd in Monte Sinaï vitam exercuiſſet Monaſticam; unde ad Sedem Antiochenam eſt elatus ab anno 561. ſub extrema Juſtiniani Imperatoris tempora. Sed à Juſtino Juniore anno 572. in exilium actus, locum ceſſit Gregorio, cujus poſt mortem, imperante Mauritio, dignitatem priſtinam anno 595. recuperavit, atque aliquot annis commiſſam ſibi plebem rexit uſque ad annum 599. quo die 21. Aprilis vivere deſiit. De eo plura Evagrius Scholaſticus libro 4. Hiſtoriæ capp. 38. 39. 40. &c & Cæſar Baronius tum in Notis ad Maryrologium Romanum, tum in Annalibus, aliique: ex quibus Sigebertus capite 42. de Viris illuſtribus, teſtatur ab eo ſancti

Gregorii Papæ Pastoralem librum in Græcam linguam fuisse translatum, quod vel ex ipso sancto Gregorio libro 10. Epist. 22. discere possumus. Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus tam ad caput 42. Sigeberti pag. 138. suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ, quàm in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis; capp. 169. & 170. p. 213. Labbeus in Dissertatione historica de Scriptoribus Ecclesiasticis tom. 1. verbo *Anastasius Sinaïta*; & in addendis ad dictum tomum pag. 712. & sequentibus: quem hic ferè totum, sed ordine convenientiori transcribemus, ob intricatas de Scriptis Anastasio Sinaïtæ attributis difficultates, cum paucis aliquibus de nostro additis, tam quoad manuscriptos Codices operum Anastasii, quàm quoad varias earum impressiones & translationes Latinas.

ALTER ANASTASIUS Martyr nuncupatus, Sinaïtæ successit ab anno circiter 599. Antiochenus Patriarcha, qui à Judæis excarnificatus dicitur die 21. Decembris, ut habet Martyrologium Romanum, anno, ut passim docent, æræ Christianæ 608. Imperatoris Phocæ septimo; vel ex paucorum sententia, anno sequenti, Phocæ octavo jam incœpto. Errant enim non mediocriter, qui in annum 610. differunt; quo tempore jam cæsus erat Phocas ab Heraclio, ut Labbeus rectè ostendit in Chronico. Antiquiori Anastasio Sinaïtæ dicto tribuuntur multa Opuscula; quorum nonnulla exhibentur in Bibliothecis Sanctorum Patrum, eorúmque Auctariis; alia separatim impressa sunt, de quibus singulis nos dicturi sumus. Advertendum tamen antea maximam eorum partem esse dubiam, de quibus graviter inter Scriptores controvertitur

trovertitur, & pauca sunt contra quæ excipi non possit: unde infirmi sunt & fluctuantes, qui Dogmaticum aliquid ex ejusmodi Scriptis firmiter se stabilire arbitrantur.

1. Orationes quinque Dogmaticæ. 1. *De sanctissima Trinitate*, 2. *De incircumscripto*. 3. *De Incarnatione divina*. 4. *De Passione & Impassibilitate Christi*. 5. *De ejusdem Resurrectione*. Has ex Manuscriptis Bibliothecæ Regiæ Gallicis erutas, Godefrido Tilmanno Parisiensis Carthusiæ Monacho interprete habent Bibliothecæ Sanctorum Patrum Editionis Parisiensis annorum 1575. & 1589. apud Michaëlem Sonnium. Eadem latinitate donatas à Francisco Turriano Soc. Jesu Theologo, cum variis Veterum Opusculis publicas fecit Ingolstadii anno 1616. in 4°. Petrus Stevartius Leodiensis, eámque versionem priore abjectâ, quæ in editionibus Parisiensibus apparet, Colonienses suæ Veterum Patrum Bibliothecæ anno 1618. inserunt. Extant autem Mss. Græca hujus Operis in Bibliotheca Galliarum Regia, Vaticana Romæ, & inter manuscriptos Codices Græcos, quos Franciscus Turrianus cessit Societati Jesu, quando eam professus est: Denique in Sfortiana Cod. xxxi. Cæterum Dogmatici tomi meminit ipse Anastasius sub finem Prologi τῦ ὁδηγῦ, & cap. 8. vocat τὸν τόμον ἀπολογητικὸν πρὸς τὸν λαὸν, in quo dicit se tractasse de Natura & Persona. At hoc quidem valeret, sic ὁ ὁδηγὸς esset indubium Anastasii opusculum. Sed de eo, ut postea dicemus, non minus est controversum, quàm de aliis.

2. *Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron Libri undecim*, qui à Michaële Glyca aliisque citantur. Vertit latinè ignotus mihi hactenus

Interpres, cujus nomen fruſtrà in Pariſienſibus & Colonienſibus Bibliothecis requires, in quibus prædictum opus impreſſum eſt. Codices manuſcripti harum Contemplationum quæ latinè tantùm prodierunt, in Bibliothecis Vaticana Cod. 372. Heidelbergenſi, ubi Homiliæ hujuſmodi Anagogicæ in Hexaemeron cenſentur duodecim: Bavarica Cod. 241, Imperatoria Viennenſi Codicibus variis, Vallicellana Romæ, quæ ſpectat ad Patres Oratorii Domini N. J. C. Labbeus Obſervatione primâ in Anaſtaſium Sinaïtam, ait ſe vidiſſe aliquos qui *Contemplationes Anagogicas in Hexaemeron* aſſererent ſcriptas eſſe ab aliquo alio Anaſtaſio, aut pſeudo-Anaſtaſio, poſt annum 1050. vel 1078. quo etiam tempore vixiſſe contendebant Auctorem aut certè Interpolatorem *Quæſtionum ac Reſponſionum de variis Sacræ Scripturæ Capitibus*, ſive xciij. tantùm, ſive cliv. Neque enim ſibi conſtant in ſimilibus Eclogis Manuſcripti Codices.

3. *Dux viæ*, Græcè ὁδηγὸς *adversùs Acephalos & Severianos*, quem græcè & latinè edidit Jacobus Gretzerus Societ. Jeſu Theologus Ingolſtadii anno 1606. in 4°. apud Adamum Sartorium, cum *ejuſdem Oratione de ſacra Synaxi, & de non judicando, & de Oblivione injuriarum.* Hic verò Commentarius eum in finem elucubratus eſt, ne Orthodoxi inciderent in laqueos & retia Hæreticorum, eorum præſertim qui Severum ſectabantur. Manuſcripti Codices Græci tres hujus Operis in Bibliotheca Galliarum Regia, & quartus in Auguſtana Cod. 66. alius in Bavarica, unde opinor fuiſſe eductum à Jacobo Gretzero. Albertinus Calviniſtarum in Gallia famoſus Miniſter ſcripſit

grande opus de Eucharistia, quod in Latinam translatum linguam, Daventriæ in fol. impressum est anno 1654. illic paginâ 893. nonnulla de Anastasio nostro Sinaïta observat sequentibus verbis; Editus est, inquit, procurante Gretzero « Tractatus sub titulo ὁδηγὸς, seu *Dux viæ*, quem « contendit essa Anastasii Sinaïtæ Patriarchæ An- « tiocheni, hoc nomine primi. Testes duos profert, « videlicet Codicem Bibliothecæ Bavaricæ nomen « illius proferentem, & Nicephorum Callixtum Hi- « stor. Eccl. lib. 18. cap. 44. inter Anastasii hujus « Opera ὁδηγὸν recensentem. At hi minimè suffi- « ciunt; nam idem Codex Bavaricus, notante ipso « Gretzero, tribuit pariter eidem Anastasio libellum « cui titulus est, *Relatio de rebus gestis in Persia*, « *&c.* de quo tamen ait: *Orationem illam olere nes-* « *cio quid Fabularum, ut difficile creditu sit ex Ana-* « *stasii officina prodiisse.* Ad Nicephorum autem « quod attinet Auctorem recentissimum, non est « sufficientis fidei ad hoc Opus asserendum Anastasio « Sinaïtæ: præterquam quòd in eo falli potuit, ac « quando eundem Anastasium ait à Judæis fuisse « occisum, quod certò constat & fatetur Gretzerus, « contigisse non ipsi, sed alteri Anastasio ipsius suc- « cessori. Incertum esse aio utrum de hoc ὁδηγῷ « cujus locus nobis exponitur, id intellexerit; an « de libro prolixo Quæstionum jam etiam edito, « quem ipse Gretzerus testatur in Codicibus Bava- « ricis & Romanis pariter inscribi βίβλος ἡ καλου- « μένη ὁδηγὸς, &c. *Sed plus dicit Albertinus.* « Utrumlibet intellexerit Nicephorus, deceptum « fuisse, neutrumque illorum Anastasii primi An- « tiocheni esse posse. Non certè priorem, nam in « illo non modò citantur Auctores Anastasio poste- «

„ riores, ut Auctor Prati ſpiritualis Joannes Moſ-
„ chus, Maximus & Nicephorus Conſtantinopoli-
„ tanus: ſed mentio fit Cypri à Saracenis expugna-
„ tæ, quod contigit annis poſt Anaſtaſii mortem ad
„ minus 47. Sed & ibidem Auctor ipſe expreſſè no-
„ tat annum 700. agi, ex quo Loca ſancta Ortho-
„ doxis erant reſtituta: quibus planè verbis indicat,
„ ſe poſt annum milleſimum ſcribere. Nec quoque
„ poſteriorem, inquit *Albertinus*; quod priuſquam
„ oſtendamus, juvat Lectores monere hunc Tracta-
„ tum non eſſe librum continui tenoris: ſed Rapſo-
„ diam ex variis Scriptis tanquam Centonibus ἀμε-
„ θόδος planè congeſtam. Nam Caput tertium eſt
„ initium alterius operis à duobus præcedentibus
„ Capitibus diſtincti, ut patet ex titulo illi appoſito
„ ſic, *Anaſtaſii minimi Monachi Opus de Ortho-*
„ *doxa fide ex ſacris Litteris ac Doctoribus decer-*
„ *ptum.* Similiter Caput quartum quod pro titulo
„ habet, *Anaſtaſii Preſbyteri ſancti Montis Sina,*
„ *Opus de fide Oeconomiæ Chriſti Filii Dei ad ſan-*
„ *ctam Eccleſiam Catholicam Babylone ſcriptum*,
„ oſtendit novum prorſus opus eſſe & à cæteris ſe-
„ paratum. Penès me eſt Codex Græcus pro Joan-
„ ne de Raguſio olim Manuſcriptus, qui ſub hoc
„ titulo: *Sancti Patris noſtri Athanaſii Patriarchæ*
„ *Theopolitani de Fide:* ubi deprehendi extare tan-
„ tummodo duo priora hujus ὁδηγὸ Capita, nec ea
„ quidem inchoata à prioris initio, ſed ab iis verbis
„ quibus pro titulo apponitur, *Brevis Expoſitio Fi-*
„ *dei.* At viciſſim ad compenſationem, plurimas a-
„ lias definitiones & diſtinctiones habens, quæ edi-
„ tioni Gretzerianæ ad finem ſecundi Capitis, &
„ cæteris quos vidi manuſcriptis Codicibus, deſunt.
„ Tres autem videntur hujus Operis Codices manu-

scripti in Regia Galliarum Bibliotheca, quorum « duo sine Auctoris nomine; illi autem ea tantùm « complectuntur quæ Tractatus editus habet duobus « prioribus Capitibus: ac reipsa idem sunt, cum li- « bello illis adhuc breviori, qui extat inter Opera « Divi Athanasii, sub titulo, *Tractatus de Definitionibus*. Tertius manuscript. Codex ea ferè omnia « continet quæ habentur in editis, sed & in plurimis « multò auctior, & ordine non eodem: caret enim « eo exordio & indice, quæ in editis caput primum « antecedunt. Hæc & plura affert Albertinus De Eucharistia locis citatis, pag. 893. & 903. quem verbo tenus refert Labbeus tom. 1. de Scriptoribus Ecclesiasticis, pag. 712. in addendis & corrigendis: ex quibus constat, quantùm variant in Bibliothecis manuscripti Codices sub nomine Anastasii, & quàm modicam fidem mereantur.

4. *Quæstiones & Responsiones de variis Argumentis in sacram Scripturam num. cliv.* græcè & latinè cum insigni Auctario evulgatæ sunt, ab eodem Jacobo Gretzero Ingolstadii in 4°. an. 1617. typis Ederianis: cùm anteà à Gentiano Herveto latinè duntaxat, ac numero tantùm xciii. editæ fuissent, & Anastasio Nicæno Episcopo attributæ, ut in observationibus postea Labbeus docuit. Hæc Gentiani Herveti versio dictarum Quæstionum & Responsionum, tum seorsim excusa est, tum in Bibliotheca veterum Patrum, editionis Parisiensis primæ & secundæ annorum 1575. & 1589. apud Michaëlem Sonnium, sub scuto Basileensi. Hæ Quæstiones in Scripturam sacram, hodie atque olim magnum & insigne præbuerunt Criticis sacris disputandi argumentum: aliis Anastasio Nicæno Episcopo, aliis Anastasio Sinaïtæ Patriar-

chæ Antiocheno, quibuſdam etiam neutri adjudicantibus, ſed earum Conſarcinatorem ad ſæculum uſque undecimum, & annum Chriſti 1050. aut 1078. ablegantibus. Horum iſta eſt in ſpeciem, & in veritate rei validiſſima Argumentatio. In iſtis Quæſtionibus citantur Canon 89. Synodi Quiniſextæ ſive Trullanæ, ſanctus Maximus Martyr, Joannes Climacus, Limonarium Joannis Moſchi, Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui anno 828. defunctus eſt, necnon Olympiodorus, qui poſt annum 900. floruiſſe perhibetur. Item in quæſtione cxvii. numerat Auctor vel Interpolator, quiſquis eſt, ſeptingentos annos ab eo tempore, quo loca Chriſti myſteriis & miraculis in Paleſtina conſecrata in poteſtate & poſſeſſione Chriſtianorum Orthodoxorum fuerint. Nec juvat allegare cum Gretzero & Allatio, plurima eſſe eis Quæſtionibus inſerta à Recentioribus, ſicut & in Quæſtionibus Divo Athanaſio ad Antiochum attributis, ac ſimilibus Collectaneis: hoc enim eis incumbit probandum, quod ut faciant, debent oſtendere manuſcripta Exemplaria Græca, varia, antiqua, probatæ fidei, à quibus additiones ejuſmodi abſint. Quod quamdiu non fecerint atque ediderint, conſentaneum rationi erit, ut omnem ejuſmodi Operum incertorum ſeriem alicui alteri Anaſtaſio attribuamus, qui ſub finem ſæculi xi. vel initium xii. vixerit. Ejuſmodi *Quæſtionum & Reſponſionum de variis Argumentis in ſacram Scripturam*, extant manuſcripti Codices in Bibliotheca Vaticana, Florentina, Meſſanenſi, Imperatoria Viennenſi, Bavarica Cod. 105. & aliis celebrioribus Bibliothecis.

5. *Compendiaria fidei Inſtitutio*, quæ ſub no-

mine Anastasii & Cyrilli Alexandrini, prodiit tomo xv. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis Sanctorum Patrum, pag. 677. & tomo vi. Colonienſis parte 2. pag. 712. Hanc autem græcè & latinè edidit Theodorus Beza Vezeliacenſis Monachus in 8°. anno 1570. cum quinque Dialogis de Trinitate, ſub nomine ſancti Athanaſii Alexandrini, quamvis ex fide omnium ferè Mss. Codicum, ſpectent ad ſanctum Maximum Monachum, inter cujus Opera extant. Idem forſan opuſculum, cum eo qui ſub nomine Anaſtaſii in Bibliotheca Florentina inſcribitur, *De rectis veritatis Placitis*, quod collatione noſci poteſt.

6. *Homiliæ aliquot* ejuſdem nomen præferunt, editæ tum græcè in variis Divinis Joannis Meurſii, tum latinè tantùm in antiquis Lectionibus Henrici Caniſii, tum græcè & latinè partim in Auctario Græco-latino Bibliothecæ Pariſienſis anni 1624. & in aliis duobus annorum 1648. & 1672. quas hoc ordine ſervato habet Franciſcus Combefis in dicto Auctario ſeu Supplemento Bibliothecæ veterum Patrum anni 1648. Pariſiis, tom. 1. columnâ 350.

1. *In Annuntiationem Beatæ Mariæ Virginis*, Franciſco Combefis Interprete, de qua vide varia Divina Joannis Meurſii impreſſa anno 1619. Lugduni Batavorum in 4°.

2. *In Transfigurationem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, eodem interprete.

3. *De ſacra Synaxi, & de non judicando, deque oblivione injuriarum*, eodem interprete. Verſionem verò Franciſci Turriani Soc. Jeſu exhibuit Henricus Caniſius tom. 3. Antiquæ Lectionis, eandemque græcè & latinè ediderat jam antea

Jacobus Gretzerus Ingolstadii anno 1606. cum ὁδηγῷ in 4°. desumptum, ut opinor, ex manuscripto Codice 75. Bavaricæ Bibliothecæ, ubi legitur.

4. *In Psalmum sextum*, interprete Philippo Svvenenzelio Soc. Jesu Theologo.

5. *In eundem Psalmum*, interprete Francisco Combefis, cujus etiam alia Versio Latina Francisci Turriani tom. 3. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii: nec desunt manuscripta Exemplaria Græca in Bibliothecis Sfortiana Codd. 32. & 72. Messanensi, Vaticana Cod. Heidelbergensi 4. & 368. & in manuscriptis Codicibus quos Franciscus Turrianus obtulit, quando ingressus est Romæ Societatem Jesu.

6. Anastasii Presbyteri in Sina Monte, *Sermo De hominis ad imaginem & similitudinem Dei creatione*, græcè & latinè, qui & Gregorio Nysseno tribuitur, cum Origenis Philocalia, De obscuris sacræ Scripturæ Locis anno 1618. Parisiis in 4°.

7. Alia quoque extant manuscripta græcè in variis Bibliothecis sub nomine sancti Anastasii, nimirum *Anastasii Abbatis Dissertatio contra Judæos* in Vaticana, *Anastasii Explicatio de jejunio, & in Psalmum* 13. in Imperat. Vindobonensi, *Anastasii Theopolitani Archiepiscopi Narratio actorum in Persida*, in Augustana, Codd. 66. Vaticana Cod. Heidelbergensi 4. & 364. *Anastasii Sinaïtæ Sermo in fratres suos morte prægressos.* Ibidem Cod. 308. *Anastasii Sinaïtæ Sermo de diversis modis salutis & pœnitentiæ*, ibid. Cod 367. Hos Codices Docti possunt per otium excutere & conferre, num diversi vel iidem Sermones sint cum

editis, qui sæpe sub titulis diversis iidem extant in manuscriptis Bibliothecis.

EUTROPIUS Ecclesiæ Valentinæ Episcopus, dum adhuc in Monasterio Servitano degeret, & Pater esset Monachorum, scripsit ad Episcopum Licinianum, cujus suprà fecimus mentionem, valde utilem Epistolam; in qua petit ab eodem pro qua re baptizatis infantibus Chrismatis unctio tribuatur. Scripsit & ad Petrum Episcopum Irtabicensem, *De distinctione Monachorum* sermone salubri compositam Epistolam, & valde Monachis necessariam. Hæc sanctus Isidorus cap. 32. De Viris illustribus. Hanc autem Epistolam *De distinctione Monachorum ad Petrum*, edidit Lucas Holstenius anno 1663. in Appendice ad Codicem Regularum, pag. 82.

ORIENTIUS Episcopus Illiberitanus juxta Labbeum in parva Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum, floruit anno circiter 600. de quo hæc pauca Sigebertus in Catalogo cap. 34. *Orientius Commonitorium Fidelibus scripsit metro heroïco, ut mulceat legentem suavi Breviloquio.* Hoc Commonitorium Martinus Delrio primus Antuerpiæ anno 1600. apud Joachimum Trognezium publicavit; secundò posteà editum in tom. 5. Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis Colonienſis: denique editum etiam cum Notis Salmanticæ anno 1644. in 4°. De illo Aubertus Miræus *in Bibliotheca Ecclesiastica Scholio ad caput 9. Gennadii De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 45. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, verbo *Orientius*, vbi eum longè antiquiorem facit, sed non probat. 600.

MARCUS Poëta, atque (ut volunt) familiaris

ſancti Benedicti Caſſinenſis, *Vitam ejus à ſancto Gregorio deſcriptam defloravit heroico Breviloquio*, & pauca ſuperaddidit. Hæc Sigebertus De Scriptoribus Eccleſiæ cap. 33. Carmen hujus Marci Romæ anno 1590. in 4°. impreſſum eſt apud Franciſcum Zannetum, cum Operibus Proſperi Martinengi Brixiani, Monachi Monaſterii ſanctæ Euphemiæ Brixienſis, Congregationis Caſſinenſis, alias ſanctæ Juſtinæ de Padua. Sunt autem hæc Martinengi Opera, Collectaneum quoddam veterum Poëmatum Græcorum & Latinorum, cum propriis ejus Poëmatibus, quæ omnia tribus loco citato tomis impreſſa ſunt.

FAUSTUS *Diſcipulus ſancti Benedicti Abbatis, ab ipſo Benedicto miſſus in Gallias, cum Mauro ejus Monacho, Vitam ipſius Mauri Monachi deſcripſit.* Hæc Sigebertus Gemblacenſis in libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 32. Extat hæc Vita apud Laurentium Surium ad diem 15. Januarii, quâ ſanctus Maurus adſcribitur Faſtis Eccleſiaſticis, apud Joannem Bollandum die eadem, ubi plura de Auctore hujus Operis in præludiis ad Vitam ſancti Mauri: denique in Collectione Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, ſæculo primo hujus Ordinis, ubi multa de ſancto Mauro & de Scriptore vitæ illius, qui dicitur Fauſtus. Hoc enim opuſculum ob Parachroniſmos, vix obtinet apud Criticos omnimodam fidem. Claruit Fauſtus circa annum 600. de quo Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 171. pag. 213. ubi etiam loquitur de *Marco Poëta* qui Fauſtum præcedit. Sunt qui Vitam iſtam negant eſſe Fauſti; ſed alterius ſub ejus nomine, quibus valida non deſunt

rgumenta ſuæ aſſertionis. Solvant nodos iſtos, quorum intereſt.

LEANDER ex patre Severiano, profeſſione Monachus, & ex Monacho Hiſpalenſis Eccleſiæ provinciæ Bæticæ conſtitutus Epiſcopus, vir ſuavis eloquio, præſtans ingenio, tantùm quoque vitâ atque doctrinâ valuit, ut fide etiam ejus atque induſtriâ populi gentis Gothorum ab Arriana Inſania ad Fidem Catholicam reverterentur. Hic ex Hiſpania Conſtantinopolim ad Tiberium Auguſtum Legatus tranſmigravit, Synodo Epiſcoporum interfuit, & cum ſancto Gregorio poſtmodum Papa, qui tunc pro Pelagio ſecundo partes Legati agebat, familiaritatem habuit, intimámque neceſſitudinem. Ex vitæ ſtudiorúmque ſimilitudine voluntates conciliatas fuiſſe, inditio ſunt Libri Moralium à Divo Gregorio Leandri hortatu, ejúſque nomine in publicum editi. Joannes Biclarenſis tradit anno 589. Leandri atque Eutropii tunc Abbatis Servitani, ac poſtmodum Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopi, conſilio atque auctoritate, Actiones tertii Concilii Toletani potiſſimùm gubernatas fuiſſe. Scripſit Librum unum *ad Florentiam ſororem ſuam De Inſtitutione & Contemptu mundi, titulorum diſtinctionibus prænotatum*, inquit Iſidorus libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 28. quem ex Mss. Codicibus edidit Lucas Holſtenius in Codice Regularum parte 3. pag. 89. Mortuus eſt Leander anno Domini 603. die 27. Februarii, ſuccedente ſibi fratre ſuo Iſidoro ad Archiepiſcopatum Hiſpalenſem. Plura de eo Surius & Bollandiſtæ ad diem 27. Februarii, poſt Iſidorum libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 28. Honorium Auguſtodunenſem libello 3. de

iisdem Scriptoribus cap. 34. Possevinum in Apparatu sacro, Aubertum Miræum in Bibliotheca Ecclesiastica, Scholio ad caput 28. Isidori p. 89. quos consulere potes.

610. PATERIUS sancti Gregorii I. Papæ Discipulus & S. R. E. Secundicerius, cujus Beda in Commentariis in Cantica Canticorum meminit, collegit ex ejusdem sancti Gregorii Papæ Operibus *tres Libros Explanationum in omnes utriusque Testamenti Libros*, Romæ anno 1553. in fol. impressos. Claruit anno Christi 610. Ita Molanus in sua manuscripta Bibliotheca Belgica. Hoc Collectaneum est primò immissum in Opera sancti Gregorii Papæ in editione Romana anni 1591. atque in sequentibus, sed mutilum: cùm enim contineat Libros tres, nempe duos in Vetus Testamentum, & unum tertium in Libros Novi Testamenti; habentur inter Opera Divi Gregorii primus & ultimus deficiente medio, nec scio etiam an inveniatur in impressione speciali Romana anni 1553. de qua statim locutus sum, quòd illam non viderim. Unum scio me vidisse plurimos Codices manuscriptos hujus Operis in variis Bibliothecis, in quibus habebantur tantùm hi duo Libri Excerptorum sancti Paterii, primus nimirum & ultimus: sed integrum à me visum & excussum Codicem Ms. in Bibliotheca Cælestinorum Parisiensium, eumque chartaceum, in quo tres Libri continentur. Paterii mentionem faciunt Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica pag. 138. post Sigebertum in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 43. Item pag. 128. post Honorium Augustodunensem libello 4. de iisdem cap. 5. apud dictum Miræum.

Paulus Emeritenſis in Hiſpania Diaconus, exemplo ſancti Gregorii Magni, qui de Vita & Miraculis Patrum Italicorum ſcripſit, *Librum De Vita & Miraculis Patrum Emeritenſium compoſuit*; quem Thomas Tamaïus Philippi IV. Regis Catholici Hiſtoriographus ad fidem veterum Codicum Antuerpiæ anno 1635. in 4°. apud Joannem Meurſium, primus edendum curavit, additis Notis brevibuſque Commentariis de Rebus Emeritenſibus. Floruit Paulus circa annum 612. cujus meminerunt Baronius in geſtis anni 589. Loaiſa in Notis ad Concilium tertium Toletanum, Ambroſius Morales lib. 11. Chronol. Hiſt. cap. 71. Mariana lib. 5. cap. 13. Bernardus Britto lib. 6. Monarchiæ Luſitanicæ capp. 19. & 20. Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 174. pag. 214. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ, Labbæus in Chronologia brevi Scriptorum Eccleſiaſticorum ad annum 610. atque alii.

Theophylactus Simocatta, Ægypto oriundus, ſed in Græcia natus, ſub annum 612. floruit, *De rebus à Mauritio Imperatore geſtis libros octo* poſteris reliquit, quos è Græco Jacobus Pontanus Soc. Jeſu Theologus Latinos fecit Auguſtæ Vindelicorum, edidit græcè & Latinè cum Notis Ingolſtadii anno 1604. in 4°. & qui nuperrimè impreſſi ſunt in fol. Pariſiis græcè pariter & latinè, inter Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ ex typographio Regio. Singulorum librorum excerpta Photius in Bibliotheca Cod. 65. recitat. Circumferuntur & hæc ejuſdem Simocattæ *Quæſtiones Phyſicæ*, *Epiſtolæ Morales*, *ruſticæ*, *Amatoriæ*, quas græcè edidit Bonaventura Vulcanius Lugduni Batavorum anno 1597. in 12°. Eadem

autem Theophylacti Simocattæ Expræfecti opuſcula græcè & latinè, ab Andræa Schotto poſt Bonaventuram Vulcanium auctiùs edita Antuerpiæ anno 1599. in 8°. apud Commelinum, cum Verſione & Notis, ſub nomine Jacobi Kimedontii ſuppoſito, qui Schottus fuit. Item *Excerpta Legationum* ex Libris illis Hiſtoriarum; itemque *Epiſtolæ Mixtæ* ab Aldo Manutio, olim majori Epiſtolarum Græcarum volumini inſertæ ſunt. Habentur autem *eadem Excerpta de Legationibus* græcè & latinè interprete Carolo Cantoclaro cum ejuſdem Notis & Henrici Valeſii, inter dictos Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ Pariſiis impreſſos, de quibus ſuprà. Simocattæ meminerunt Photius Cod. 65. Suidas & Cedrenus, & hinc Nicephorus Callixtus pleraque ad Mauritii Imperatoris Vitam ſpectantia, ſublegit. Quæ verò fuſiùs Simocatta ſuis libris exponit, ea breviùs perſtringunt Theophanes, Zonaras, Cedrenus, & Callixtus. Vide Jacobum Pontanum in Proëmialibus ſuæ editionis Librorum Simocattæ, Poſſevinum in Apparatu ſacro, verbo *Theophylactus Simocatta*, & *Theophylactus Ægyptius*: Auberтum Miræum in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 176. pag. 215. Labbeum in Chronologia, &c.

COLUMBANUS in Hybernia Scotorum inſula natus, Abbas primùm in Hybernia, poſt Luxovii in Burgundia, ac demum Bobii in Italia, tanto, (juxta Sigebertum libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 60.) ſapientiæ theſauro eſt ditatus: ut adhuc adoleſcens librum Pſalmorum elimato ſermone ſcriberet, & alia multa ederet, vel ad canendum digna, vel ad docendum utilia. Obiit

Bobiis in Italia anno 614. die 24. Novembris. Scripsit *Carmina quædam*, quæ habentur in diversis impressionibus Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Item *Regulam cum Pœnitentiali*, pro Monachis à se in multis locis institutis, quæ cum Cæsariana & aliis, dudum in plurimis Galliarum Cœnobiis viguit, quam habes cum Pœnitentiali, in Collectione Regularum Lucæ Holstenii parte 2. p. 88. & 98. Omnia porro sancti Columbani Junioris opera, summis curis inquisita, Commentariis illustrata, procuravit imprimi in fol. Patricius Flemingus Hybernus, Ordinis Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ, anno 1667. Lovanii apud Viduam Andrææ Bouveti. Sunt autem *Regula Monastica cum Regula Cœnobiali*, quæ est ipsum Pœnitentiale sancti Columbani editum supra ab Holstenio ad calcem prioris Regulæ. *Sermones seu Institutiones spirituales numero xvii.* quarum ultima est Sermo Fausti Regiensis in Gallia Episcopi ad Monachos. *Epistolæ aliquot cum Carminibus*, jam alibi ut plurimùm impressis: tum denique varia ad sanctum Columbanum, vel Hyberniam spectantia, qualia sunt Vitæ Sanctorum, &c. plurima sancti Columbani meritum commendantia, Joannes Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, impresso Parisiis in fol. anno 1669. apud Carolum Savreux ad turrim Metropolis Ecclesiæ, sub signo trium Virtutum. Colganus lib. 2. de Sanctis Hyberniæ pag. 471. Thomas Messinghamus in Florigerio Sanctorum Hyberniæ, ubi Regulam sancti Columbani refert, Sammarthani in Gallia Christiana tom. 4. de Abbatibus Luxovienſibus, & alii multi.

JOANNES GRAMMATICUS Alexandrinus,

cognomento Philoponus, floruit anno circiter 610. qui quamvis insignem sibi gloriam comparasset, dum adversùs Proclum Lycium pro Christiana Religione egregiè scripserat; corruit tamen in Baratrum impietatis, suo nimiùm ingenio fidens, scribens adversùs quartam Synodum Oecumenicam, ut inquit Photius in sua Bibliotheca Codice 55. & negans ut habet Nicephorus Callixtus lib. 18. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 47. ita Resurrectionem Mortuorum, ut assereret corpora nostra corrumpi secundùm formam atque materiam, & futurum interitum visibilis hujus mundi, & rursus novi mundi creationem alteram, atque alia. Quin & Photius cùm Bibliothecæ suæ Cod. 43. dixisset eundem Philoponum *in Hexameron scripsisse contra Theodorum Mopsuestenum*, qui fuerat in eodem argumento versatus: ait extare Acta Disputationis Severianorum adversùs Tritheitas, habitæ coram Joanne Episcopo Constantinopolitano sub Justino Imperatore, Conone & Evagrio altera ex parte contra Tritheitas, ex altera autem Paulo ac Stephano Tritheitis Philoponi defensoribus, impiisæquè omnibus: quæ monstra fovebat Theodora Augusta, tanquam ova Aspidum. Sed non solùm Conon, Evagrius, Themistius, & Theodosius Monachus Hæretici, non assentientes Concilio Chalcedonensi, scripserunt adversus Philoponum, ut habet Photius Codd. 23. & 24: verùm etiam Leontius Monachus omnium maximè egregium librum triginta capitum, quo simul hæresim eam evertit, & piam sententiam nostram confirmat. Porro Joannis Philoponi *Lib. 4, De mundi Creatione seu in Hexaemeron ad Sergium Constantinopolitanum Archiepiscopum*; unà *cum Disputatione*

Disputatione de Paschate, græco latinè impressi sunt curis & studio Balthasaris Corderii Societatis Jesu Theologi anno 1630 in 4°. Viennæ Austriæ typis Gregorii Gelbhaar. Sacras quoque sæpius Litteras tractavit Philoponus, dum & scripsit *contra decem & octo Procli argumenta & contra Severum:* qui tamen ab Ecclesiæ Doctoribus ut Tritheites & qui tres Deos asserat rejicitur, & in Orthodoxorum catalogum non admittitur. Scripsit item plurima Grammatica, Philosophica, Arithmetica, Rhetorica, ex quibus extant quæ sequuntur. Joannis Grammatici Philoponi in priora Analytica græcè Venetiis in fol. anno 1536. ejusdem *in duos priores Analyticos libros Commentarii* ab Alexandro Justiniano Chio Medico in Latinum conversi in fol. Valgris 1560. ejusdem *in posteriora Analytica* græcè Venetiis in fol. anno 1534. *in posteriora Resolutoria* græcè in fol. Venetiis 1584. apud Aldum. Ejusdem *in primos iv De naturali auscultatione Libros* græcè in fol. Venetiis 1535. *Contra Proclum de mundi æternitate*, græcè ibidem. *In Libros De Generatione & Corruptione* græcè Venetiis 1527. Ejusdem *in Physicorum libros iv Explanatio*, Joanne Baptista Rasario interprete in fol. Venetiis anno 1569. & græcè Venetiis anno 1527. *in tres Meteororum libros Commentarii* latinè Joanne Baptista Camotio interprete, Venetiis in fol. 1551. *in Libros Aristotelis de Anima*, græcè in fol. Venetiis 1535. Itemque Gentiano Herveto interprete latinè in fol. Lugduni 1558. apud Juntas. Ejusdem *in Libros quinque De Animalium generatione* cum textu græco, in fol. Venetiis. Denique ejusdem *in Procli Diadochi octodecim Argumenta De mundi æternita-*

te, Joanne Mahotio interprete latinè in fol. Lugduni anno 1557. Hujus mentionem facit Photius in Bibliotheca Codd. 21. 43. 240. 55. 75. 215. Possevinus in Apparatu sacro, verbo, *Joannes Grammaticus*, & *Joannes Philoponus*

620. LEONTIUS NEAPOLEOS, vulgò *Lemissa*, sive *Nemosia*, in Insula Cypro Episcopus (unde corrigas velim eorum errorem. qui Constantiæ, sive Salaminæ, modo *Famagosta* Antistitem appellant, pervenit ad annum usque 620. vel ultra; ut patet ex Vita sancti Joannis Alexandrini Patriarchæ, qui ob eximiam in pauperes misericordiam, dictus est (ut loquitur Sigebertus capite 57. De Viris illustribus) *Eleemosynarius*, qui obiit anno 616. die 23. Januarii, Hæc Vita in septima Synodo generali laudata est actione 4. ubi Constantius Constantiæ Cypriorum Episcopus testatur eum floruisse tempore Mauritii Imperatoris (qui cæsus est anno 602. (multásque laudationes & homilias scripsisse, atque inter cæteras, *De J. C. Domini nostri Transfiguratione*, quæ periisse videtur, aut cum blattis tineisque alicubi luctatur in membranis. Hanc Vitam ex veteri translatione Latinam habes in Vitis Patrum ab Heriberto Rosvveido Soc. Jesu Presbytero editis in fol. Antuerpiæ annis 1615. & 1628. Item scripsit *Vitam & administrationem seu res gestas sancti Simeonis cognomento*, τοῦ Σαλ[illegible]; qui stultitiam simulabat, & hæc duo opuscula habentur græcè Mss. in Bibliotheca Vaticana, ut testatur Catalogus manuscriptus, atque in Collectaneo Legendarum Simeonis Metaphrastæ. Item utrumque simul Ms. in Messanensi. Vita etiam sancti Joannis Eleemosynarii in Augustana Cod. 59. in Vaticana

Codd. Heidelbergenſibus 9. & 68. Habentur quoque tom. 1. Auctarii Græco-latini poſterioris ad Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Pariſienſis in fol. anni 1648. à columna 681. ad 738. *Orationes duæ, quarum prima in ſanctum Simeonem Senem, qui Chriſtum Dominum in ſuas ulnas ſuſcepit :* altera *in Feſtum Mediæ Pentecoſtes, in Cœcum à nativitate, & in ſanctum Petrum ab Herode in carcerem detruſum.* Videndus quoque Hortus Crucis, quem edidit Jacobus Gretzerus. Porrò Cardinalis Baronius ex veteri Verſione ſeptimæ Synodi, Auctore Anaſtaſio *S.* R. E. Bibliothecario malè collegit, atque ex eo Poſſevinus in Apparatu ſacro, pluresque alii, Leontium ſcripſiſſe poſt Evagrium Scholaſticum τὰς Σαλὰς Turbationes ſeu Bella & Seditiones ſui temporis, vel (ut quidam) Tribulationes quas Eccleſia Dei paſſa eſt tempore Gregorii Magni & Mauritii Imperatoris. Deluſus enim vetus ille Interpres οὐδὲ τῆς Σαλῆς quod erat Epitheton ſancti Simeonis, qui ſtultitiam vecordiamque ſimulabat, cujuſque Vitam Leontius noſter ſcripſerat, τοὺς Σαλους numero multitudinis legit. Hanc obſervationem debemus Heriberto Roſvveido, in Notis ad Librum primum de Vitis Patrum, ex quo Voſſius fonte abluit priorem maculam in altera editione Hiſtoricorum Græcorum. Sanctus Ioannes Damaſcenus Oratione 3. De Imaginibus citat ejuſdem Leontii *Apologiam pro Chriſtianis contra Judæos*, atque ex eo, niſi fallor, libro excuſus eſt locus ille, ſeu fragmentum libri contra Judæos, quod extat tom. XVI. pag. 1. ultimæ Pariſienſis editionis Bibliothecæ Veterum Patrum, anni 1644. de Leontio mentionem facit Sigebertus in Catalogo capite 57.

Possevinus in Apparatu sacro, Labbeus post Bellarminum De Scriptoribus Ecclesiasticis, quem paucis additis hîc expressimus. Est enim alius Leontius Abbas sancti Sabæ Romæ, qui posteris reliquit Vitam sancti Gregorii Agrigentini Episcopi copiosè scriptam, quæ Ms. extat græcè in Bibliotheca Messanensi. Item in Vaticana, Codd. mensis Novembris apud Metaphrastem, Bavarica Cod. 72. Heidelbergensi Cod. 17.

630. GEORGIUS Monachus, tum post sanctum Joannem Eleemosynarium Patriarcha Alexandrinus, Sedem hanc tenuit ab anno 616. quo Joannes obiit, ad annum 630. quo ipse mortuus est. Scripsit *Vitam sancti Joannis Chrysostomi*, ex qua Photius in Bibliotheca Cod. 96. excerpta dedit. Idem illic dicit certò se non posse affirmare, quis hic Georgius sit: sed placet quod Andræas Schottus ibidem ad libri Marginem annotavit, illum videri qui sancto Joanni Eleemosynario successit circa annum 620. Et verò B. Joanni Damasceno priorem fuisse satis constat, cum is ex hac Vita (non expresso Scriptoris nomine) adducat historiam de imagine sancti Pauli, Oratione 1. De imaginibus sub finem. Hanc Vitam integram nobis dedit Godefridus Tilmannus Carthusiæ Parisiensis Monachus in græcis doctissimus, quam latinam habes ibidem in fol. anno 1557. impressam. Habetur etiam græcè inter varia ad sanctum Chrysostomum spectantia in editione græca operum illius, procuratâ in fol. tomis viii. Etonæ in Collegio Regali prope Londinum anno 1613. curâ Henrici Savillii nobilitate, eruditione ac studio juvandi Litteras, clarissimi viri. Eadem græcè Ms. extat in variis Bibliothecis

quæ cum editis conferri potest, nempe in Vaticana Codd. Heidelbergensibus sub nomine Georgii Alexandrini, n 9. 80. & 394. Bavaricâ Cod. 194. Regiâ Gallicâ, unde eam latinam reddidit citatus Tilmannus. Ad eundem (ut opinor) Georgium Alexandrinum, spectat *Chronicon Alexandrinum* dictum, *in quo omne ævum usque ad vigesimum Heraclii annum digeritur.* Hoc opus in vetusta Siciliæ Bibliotheca primus invenit Hieronymus Surita Hispanienſium rerum Scriptor, atque inde operâ ejusdem & Antonii Augustini tunc in Urbe Auditoris Rotæ (ut vocant) Romam advectum fuit. Hæc causa est, cur Sigonius, Panvinius & alii olim *Fastos Siculos* appellarint: cujus partem à Casaubono acceptam, Eusebio suo græcè Scaliger adjecit. Sed integrum atque adeo nummis 36. aureis emptum, Augustanæ Vindelicorum Bibliothecæ postea accessit. Inde ultimorum duorum annorum narrationibus exceptis, quæ ita vetustate attritæ, ut legi non possent; eduxit, exscripsit & cum suâ interpretatione publicavit græcè & latinè, anno 1615. in 4. Monachii Typis Annæ Bergiæ, Matthæus Raderus Soc. Jesu Theologus. Hic *Chronici Alexandrini* nomen libro imposuit, eò quod in Frontispicio Ms. Codicis illud commendet Petrus Alexandrinus Episcopus, quem quidem verisimiliter suspicatur, esse Petrum illum qui anno Christi 640. Alexandrinus Episcopus fuit. Opus est Chronologis utile, vel ob multa ex Julio Africano & Eusebio Cæsarienſi excerpta, quæ ibi legas & non alibi. De Georgio Photius Cod. 96. Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus

Ecclesiasticis capp. 104. & 179. 180. à quo multa ex antedictis accepta sunt. Porrò cùm istud Chronicon Res Alexandrinas maximè persequatur, cùm excurrat usque ad tempora ultima Georgii Alexandrini, cùm à Petro Georgii successore commendetur: hæc omnia simul juncta inducunt, ut Georgius illius auctor credatur, cui sententiæ favent doctissimi Viri.

640. DONATUS Valdeleni Burgundiæ superioris Ducis & Flaviæ filius, Valdeleni primi Bezuæ Abbatis frater, de cujus ortu mirabili è sterilibus parentibus Jonas est legendus in vita sancti Columbani Luxovienſis Abbatis cap. 13. Sub ejus disciplina in Luxovienſi Cœnobio sapientia & pietate institutus, subinde Archiepiscopatum Bizuntinum ad quem electus est, clarissimè gubernavit, ut est in Chronico Besuensi: posteáque ob amorem ejusdem B. Columbani, ex ipsius Regula Monasterium construxit, quod *Palatium* nuncupant, referente alio Ms. Chronico. Ædificavit autem *Ecclesiam sancti Pauli* in urbe Bisuntinensi, in qua cum patre suo in Domino requiescit: Et *Jussanum Monasterium B. Mariæ*, cum matre sua Flavia, quæ ibi sepulta est. Idem huic Monasterio Puellarum quod mater ejus fundaverat, *Regulam* scripsit, ex SS. Augustini, Cæsarii, Columbani & Benedicti Regulis maxima ex parte defloratam, quam edidit Lucas Holstenius in Codice Regularum parte 3. pag. 47. & seqq. Hic ipse est Donatus Archiepiscopus, cujus Regulæ meminit Benedictus Anianensis in Concordia Regularum: qui etiam, ut putamus, auctor fuit *Commonitorii seu Regulæ SS. Pauli & Stephani*, quam habet idem

Holstenius in Collectione Regularum parte 2. pag. 4. & seqq. de qua idem Benedictus : quâ nimirùm & Monachos sancti Pauli, & Cathedralis Ecclesiæ Bisuntinensis sancti Stephani Canonicos regulares, ipse utrorúmque Pater ac Præfectus, ad omnem morum honestatem instituebat. Interfuit Synodo, de qua Flodoardus lib. 2. hist. Remensis cap. 5. quam quidem Sueffione non Remis, & primo anno Dagoberti, Christi 630. celebratam alii volunt. Adfuit etiam Cabilonensi Concilio circa annum 650. & nominatur in Diplomate pro Dionysianis Monachis an 658. ex citato Codice Ms. Bisuntino, per hunc Antistitem Donatum recepit Ecclesia Villas Domblingum & Arslatum. Ejus corpus ex Basilica sancti Pauli, deinde translatum est in vicinam Parochialem Ecclesiam, quæ ab ipso sancto Donato nomen habet, & colitur 7. Idus Augusti. Hæc ex Gallia Christiana tom. 1. pag. 120. in Archiepiscopis Bisuntinensibus, quorum Epitomen suppeditavit Petrus Franciscus Chifletius Soc Jesu Theologus Plura Joannes Jacobus Chiffletius Eques & Archiater Regis Hispaniæ, in opere cui titulus *Vesontio civitas Imperialis* Lugduni in 4. anno MDCXVIII impressa, ubi de ejus antiquitatibus & Archiepiscopis. Joannes Mabillon sæculo 2. Ordinis D. Benedicti pag. 335. editô Parisiis anno 1669. in fol. apud Carolum Saureux.

PAULUS Diaconus Neapolitanæ Ecclesiæ, quem Labbeus ad annum 640. in Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum assignat, teste Sigeberto libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 96. transtulit de græco in latinum *Vitam sanctæ Mariæ Ægyptiacæ*, quam

Sophronius Hierosolimytanus Episcopus græcè scripserat, & quam postea carmine reddidit Hildebertus Cenomanensis Episcopus, ut Henricus Gandavensis in catalogo cap. 8. narrat. Hujus autem vitæ textus græcus Sophronii Episcopi, cum antiqua translatione latina Pauli Diaconi, & cum metrica Hildeberti Episcopi, habentur jam apud Continuatores Bollandi, ad diem 9. Aprilis.

CUMIANUS seu CUMEANUS, Abbas primùm, postea Episcopus Hyberniæ, vixit sub annum 640. scripsitque *ad Segienum Huensem sanctæ Columbæ Abbatem Epistolam De festi Paschalis ratione*, quam Ægidius Bucherius in Commentario ad Victorii Aquitani Canonem Paschalem recitat; & Usserius in Syntagmate Epistolarum Hybernicarum edidit ex Bibl. Cottonianâ pag. 17. & sequentibus. Hyberni enim, seu Scoti, Picti & Britanni indigenæ, cum antiquos Ecclesiæ suæ ritus in celebrando Paschate retinerent, quos ante Anglorum irruptionem in Britanniam à suis Majoribus acceperant: multas super hac re cum Anglis jam Christianis contentiones ac disputationes habuerunt, ut Bucherius ex Bedæ Historia citato libro cap. 9. docet. *Ejusdem Cumeani Abbatis Scoto-hyberni lib. De Pœnitentiarum mensura* apud Patricium Flemingum *in Columbano suo* pag. 197. de quo diximus suprà ad annum 610. Plura de Cumiano Flemingus citatus, Miræus in suo Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 188. pag. 217. Joannes Colganus in Vitis & actis Sanctorum Hyberniæ, quas cum notis & appendicibus Lovanii duobus vol. in fol. annis 1645. & 1647. evulgavit.

Thomas autem Messinghamus in Florigerio Sanctorum Hyberniæ, quod evulgatum est in fol. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy anno 1634. viâ Jacobæâ sub Ciconiis, nihil habet de Cumiano, quod valde mirum est.

JOANNES IV. Papa anno 641. scripsit *pro Honorio prædecessore suo apologiam ad Imp. Constantinum, Heraclii filium.* Scribendi occasio prodiit ex Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano & aliis Monothelitis, qui Honorii ad Sergium Pyrrhi prædecessorem Epistolâ abutebantur, quasi ipsorum hæresi faveret, quam Joannes recto atque Orthodoxo sensu dictatam fuisse probat. Apologiæ hujus testimonio usus est *sanctus Maximus* in disputatione sua cum Pyrrho, quæ paucis post annis in Africa secuta est. Ipsam verò Apologiam Jacobus Sirmondus inter Collectanea Anastasii sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii anno 1620. Parisiis edendam curavit apud Sebastianum Cramoisy, addiditque nonnulla excerpta ex duabus aut tribus Epistolis sancti Maximi, huc spectantibus. Ita Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 186. pag. 217. alias etiam Epistolas Joannis IV. Papæ, habes in Collectione Conciliorum.

BRAULIO Cæsaraugustanus Episcopus, mortuo fratre suo Joanne Dignitatem hanc habuit, vir sicut germanitate conjunctus, ita non minimè ingenio similis. Scripsit *Vitam sancti Emiliani Turiasonensis Monachi*, quæ & memoriam hujus & virtutem illius sancti viri suo tenore commendat pariter & illustrat: quam habes in Vitis Sanctorum ad diem 22. Novembris, & inter legendas seu collectanea De Sanctis Ordinis

Divi Benedicti. Interfuit Conciliis IV. V. & VI. Toletanis, & anno 646. die 26. Martii ad Cælites tranſiit. Sanctus Iſidorus Braulioni ſuos Originum libros dicavit, extantque è contrà duæ Braulionis Epiſtolæ ad ſanctum Iſidorum Hiſpalenſem, in operibus dicti Iſidori impreſſæ. Corpus Braulionis anno 1170. inventum, adſervatur in Baſilicâ ſanctæ Mariæ Majoris Plura apud Marianam & alios rerum Hiſpanicarum Scriptores conſulendos, poſt Ildefonſum cap. 12. De Scriptoribus Eccleſiaſticis, Miræum in Scholio ad dictum caput ſancti Ildefonſi, Poſſevinum in Apparatu ſacro.

ELIGIUS natione Lemouix, è Villa Catalacenſi ab urbe ſex milliariis diſtante, primùm Aurifaber, inde Epiſcopus Noviomenſis, atque is ſanctiſſimus, cujus vitam pluribus ſcripſit Audoenus Rothomagi Archiepiſcopus, Eligio contemporaneus amicus. Narrat idem Audoenus Solemniacenſe Monaſterium in rure Lemovicenſi Eligium ædificaſſe, Monialium Domicilium Pariſiis, Baſilicámque in honorem Apoſtoli Pauli & ſancti Martialis Lemovicenſis Epiſcopi. Sanctorum thecas ex auro & gemmis fabricavit Germani Pariſienſis, ſancti Martini apud Turones, Mauſoleum ſancti Martyris Dionyſii in civitate Pariſienſi. Defuncto Achario Noviomenſi Epiſcopo, ſuffectus in ejus locum, ac conſecratus in civitate Rothomagenſi, Dominica Rogationum die 14. Maii 646. Intereſt Concilio Cabilonenſi circa annum 650. quo tempore fundat Tornaci Abbatiam ſancti Martini. Migrans ad Dominum moritur anno 663. Calendis Decembribus ex veteri Kalendario, cui depoſitioni malè aſſignan-

tur anni 659. & 665. Sepelitur in Ecclesia sancti Lupi olim à Clodovæo conditâ, quæ nunc ipsius Eligii nomine de novo constructa enitescit. Habet Ecclesiam Romæ sui nominis, propè fontem sancti Georgii in Velabro. Quantùm ad ejus Scripta, eandem sortiuntur fortunam, atque ea quæ hucusque sub nomine sancti Ildefonsi Toletani Archiepiscopi edita sunt. Nam *opusculum de rectitudine Catholicæ Conversationis*, quod inter opera sancti Augustini supposititia legitur, est certò sancti Eligii, cujus mentionem facit sanctus Audoenus in Vita sancti Eligii. Sed quantùm ad Homilias xvii. sub nomine Eligii ejusdem, in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 2. veterum editionum Parisiensium annorum 1575. & 1589. has & Antonius Arnaldus in opere suo *De Perpetuitate Fidei circa veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia* censet suppositas ac dubias. Unde dum allegat, nunquam nisi sub nomine *auctoris Homiliarum quæ sancto Eligio attribuuntur*. Albertinus autem in opere suo doctissimo simul & pessimo de Eucharistia, quod Genevæ primùm in fol. Gallicè editum est anno 1633, & latinè Daventriæ in fol. anno 1654. adulterinas multis validis probat argumentis. Sanè solum ejus dictum Homiliâ ultimâ sub medium, sufficit ad abjudicandas Homilias istas Eligio, nempe quod peccatum paris sit enormitatis viro amplexanti suam uxorem tempore Quadragesimæ & comedenti carnes eodem tempore contra Decreta Conciliorum Ecclesiæ. Sic autem. *Diebus autem Quadragesimæ vos omnibus modis à conjugum commixtione vestrarum, sicut decet Christianos, abstinere oportet: nam ut quidam sapiens ait,*

similis reatus est fideli Christiano diebus Quadragesimæ etiam cum propria uxore concumbere, sicut & carnes in cibum sumere.

Auctor istarum Homiliarum videtur mihi vixisse sub initium vel medium sæculi noni. Illæ enim omnes sunt consarcinatæ ex variis veterum Patrum fragmentis, sumtque tantùm laciniæ desumptæ ex SS. Patribus, Augustino potissimùm, Ambrosio, Leone, Cæsario Arelatensi, Benedicto, Gregorio Magno, aliisque non citatis: quos mos consuendi libros vel Homilias ex aliorum pannis, fuit proprius sæculi noni, ut conveniunt & noscunt omnes docti. Auctor autem fuit Episcopus, & olim Monachus Ordinis Divi Benedicti: ut constabit censatis omnibus ex sola Homilia XI. inscriptâ *in Cœna Domini ad populum, deinde ad pœnitentes* Ibi dum allegat sanctum Augustinum *dicente* inquit, *Beato Augustino*; dum Ambrosium, *ut ait Ambrosius*; dum Cyprianum, *ut ait Beatus Cyprianus*; dum sanctum Leonem, *de hoc & sanctus Leo Papa*; cum Gregorium *ut Beatus dicit Gregorius*: sed ubi sanctum Benedictum doctrinâ longè inferiorem his omnibus sanctæ Ecclesiæ Doctoribus, ita anteà loquitur: *Nam cum quali devotione & reverentia sit orandum, Beatissimus & sanctissimus Pater Benedictus demonstrat dicens.* Nihil magis poterat prodere Monachum Benedictinum, quàm affectata ista superlativorum congeries, in alleganda Divi Benedicti Regula. Et licet Cyprianum sanctissimum Martyrem appellet, longè tamen aliud est dare Cypriano vocem sanctissimi Martyris, ac Benedicto affectatas *voces Beatissimi ac sanctissimi Patris Benedicti.* Adde quod vel rarò vel nunquam

videbis in Scriptoribus sæculi VIII. vel IX. citatam Regulam sancti Benedicti cum elogio ejusmodi, nisi ab illis, qui eam olim professi sint: Unde cum eam nunquam sanctus Eligius professus sit, inde arguendum est Homilias ejusmodi Regulam allegantes, ab eo amovendas, nec esse Eligianas. Plura dabunt de sancto Eligio Bellarminus & Labbeus in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis, Baronius in Annalibus & Martyrologio Romano ad Kalendas Decembres, Bucelinus in Annalibus Gallo-Flandriæ, Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 3. pag. 87. in Noviomensibus Episcopis, & alii multi.

THALASIUS Monachus Græcus sancto Maximo Monacho & Martyri contemporaneus & familiaris, floruit juxta Labbeum anno circiter 650. vel ultrà. Scripsit *ad Paulum Presbyterum De sincera charitate & vitæ continentia*; seu potius, *de Regimine mentis centurias quatuor* quas græcè & latinè habes in Bibliotheca SS. Patrum tom. XI. pag. 1179. editionis Parisiensis Morellianæ anni 1644. Silent omnes ferè Scriptorum Nomenclatores de Thalassio, si Possevinum in Apparatu sacro atque Aubertum Miræum in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 199. pag. 219. excipias, qui admodum parcè de illo loquuntur. 650.

EUSTRATIUS Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter floruit circa hoc idem tempus; qui scripsit *tractatus tres De Vitâ functorum animis*, à Photio in Bibliotheca Cod. 171. recensitos. In tertio studiosè hoc persequitur, *Oblata pro iis qui in fide obierunt, à Sacerdotibus sacrificia atque*

donaria, vel preces alioquin, supplicationesque & Eleemosynas pro iisdem factas, ad Fidelium salutem ac delictorum remissionem iis valere omninò, pro quibus hæc offeruntur. In his autem *tertia offerre Sacra* refert, qui Dominicæ ac triduanæ Resurrectionis Mysterium, in precationis subsidium atque auxilium assumunt. *Novendialia* similiter, quòd post octavum à Resurrectione diem visus iterum est à Discipulis Christus. Præterea *Quadraginta*, quòd post dies totidem à Discipulis postremùm visus, in cælos cum humana nostra natura ascendit. *Hactenus ex Photio.* Notet hic pius Lector antiquum morem functos vitâ juvandi sacrificiis precibus atque Eleemosynis: de quo & *sancti Joannis Damasceni extat Oratio*, in qua etiam tria hæc sacrificandi intervalla, observari olim solita, exprimere videtur. Edidit hunc Eustratium græco-latinè Leo Allatius pag. 319. libri *De Concordia seu Consonantiâ Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ in materia de Purgatorio* Romæ anno 1655. in 8. apud Josephum Lunam Maronitam: unde postea transiit latinè tantùm in Bibliothecam Sanctorum Patrum ultimæ editionis Lugdunensis, anno 1677. apud Anissonios fratres. Idem Eustratius scripsit commentarios *in posteriora Analytica Aristotelis* editos græcè Venetiis anno 1534. apud Aldum Manutium. Item *Eustratii & aliorum Peripateticorum Commentarii in libros Ethicorum* græcè in fol. Venetiis anno 1536. apud eundem; latinè verò per Joannem Bernardum Felicianum Parisiis anno 1543. Habent mentionem illius Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 188. pag.

217. Labbeus in *brevi Chronologia Eccleſiaſticorum Scriptorum* ad annum 650. Leo Allatius loco citato.

SANCTUS MARTINUS I. Papa anno 649. ordinatus, eodem anno (hortante imprimis ſancto Maximo Abbate qui nuper Conſtantinopoli Romam advenerat) Synodum 105. Epiſcoporum contra Monothelitas in Urbe celebravit. Cujus quidem Synodi Acta anno proximè ſequenti, ad ſanctum Amandum Tungrenſem ſeu Trajectenſem Epiſcopum miſit, eidemque prolixâ Epiſtolâ quam in Annalibus Baronianis & tom. 1. Conciliorum Galliæ reperies) diſſuaſit, ne Epiſcopatum abdicaret. Anno 653. menſe Junio Martinus à Calliopa Exarcho Ravennate Româ abductus, annum unum in Naxo inſula exul tranſegit: inde Conſtantinopolim perductus diriſque modis vexatus, demum in Cherſonem eſt relegatus, ubi & obiit anno 655. Scripſit ſanctus Papa *varias & Summo Pontifice dignas Epiſtolas plures*, quas partim græcè & latinè, partim latinè tantùm habemus collectas in tomis Conciliorum ad annum 649. ſed correctius in Conciliis ultimæ editionis Pariſienſis anni 1671. quæ Labbeana dicitur. Leguntur etiam inter Collectanea Anaſtaſii Bibliothecarii à Sirmondo edita Pariſiis anno 1620. apud Sebaſtianum Cramoiſy, *quatuor Epiſtolæ ſancti Martini*, quarum *prima* commemorat ea quæ Romæ paſſus eſt, cum inde à Calliopa vi abreptus eſt; *altera* perſequitur ea quæ in illum Conſtantinopoli acerbè geſta ſunt & crudeliter, priuſquam in Cherſonem relegaretur: *reliquas duas* è Cherſone de ſui exilii calamitatibus ſcripſit. Plura de illo in geſtis ſancti Maximi Martyris,

apud Anastasium Bibliothecarium in Vitis Romanorum Pontificum, Miræum in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 489. pag. 217. Possevinum in *Apparatu sacro* Joannem Jacob in *Bibliotheca Pontificia*, & alios rerum Pontificiarum Scriptores.

EUGENIUS JUNIOR seu secundus, Toletanus Episcopus, de quo sic sanctus Hildefonsus in » Catalogo cap. 14. & ultimo. Item Eugenius al- » ter post priorem Pontifex subrogatur. Hic cum » Ecclesiæ Regiæ Clericus esset egregius, vita Mo- » nachi delectatus est. Qui Sagaci curâ urbem Cæ- » saraugustanam petens, illic Martyrum sepulchris » inhæsit, ibique studia sapientiæ & propositum » Monachi decenter coluit. Unde Principali violen- » tiâ reductus, atque in Pontificatum adscitus, » vitam plus virtutum meritis, quàm viribus egit. » Fuit namque corpore tenuis, parvus robore, sed » valde ferventens Spiritus virtute. Studiorum bo- » norum vim persequens &c. Cæterum hujus *Eugenii Junioris Epigrammata* aliaque opuscula Jacobus Sirmondus Lutetiæ anno 1620. edenda curavit, una cum *Dracontii* libellis duobus ab eodem Eugenio recognitis. Operi etiam Dracontii (in quo carmine heroïco mundi creationem explicuit, & Geneseos initium eleganter explanavit) diei septimæ explicationem quæ desiderabatur, Eugenius adjecit. Ex iis versibus intelligi datur, fuisse virum non inelegantis ingenii, neque ineruditi. Epigrammata porrò, etsi rudia sunt atque impolita, istud magis ævi vitio, quàm auctoris culpâ; est tamen in eis rerum sententiarúmque pondus non exiguum. Obtinuit Episcopatum ab anno 647. ad 657. Recesvvinthi Regis

Regis nonum, quo obiit die 13. Novembris, succedente sancto Ildefonso ejus Discipulo. Sunt qui Eugenium Ildefonsi avunculum fuisse affirment; cui opinioni nec Ildefonsi ipsius, nec Eugenii Scripta favent, in quibus nulla rei hujus mentio est. Qui plura de sancto Eugenio Juniore cupit, consulat successorem Ildefonsum cap. 14. *De Viris illustribus*, Miræum in *Bibliotheca Ecclesiastica*, Scholio ad dictum caput, Sirmundum qui omnia Eugenii Opera edidit, Cardinalem Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum die 13. Novembris, Marianam lib. 6. cap. 9. *Historiæ Hispanicæ*, & alios Auctores qui de gestis Archiepiscoporum Toletanorum scripsisse dicuntur.

TAIO, cognomento Samuhel, Cæsaraugustanæ Urbis Episcopus, scripsit *Libros quinque Sententiarum*, ex puris sancti Gregorii Magni, quem perpetuò volvebat, verbis, supplens pauca ex verbis sancti Augustini, ubi verba Divi Gregorii convenientia materiebus non invenit. Quod Opus egregium MS. asservatur in Bibliotheca Thuanea Parisiensi, nunc Colbertina, per emptionem à paucis mensibus. Opus dicatum Quirico Barcinonensi Episcopo, cui Ildefonsus dicavit Opus suum *De perpetua Virginitate Beatæ Mariæ Virginis*. Adfuit ille Conciliis Toletano VIII. anno 653. & IX. anno 655. Mirum est hunc librum hucusque in publicum non prodiisse, cùm tam multi qui longè minoris momenti vel Antiquitatis sunt, prodierint. De eo Joannes Mabillon tom. 2. Analectorum p. 68. & Petrus de Gussanvilla in Annotationibus ad IV. Libros Dialogorum D. Gregorii, Collectores Conciliorum in suis Annotationibus ad Concilia VIII. & IX. Toletana, quibus interfuit.

FRUCTUOSUS Complutensis primùm Abbas, Dumiensis posteà Episcopus, ad Archiepiscopatum Braccarensem Decreto Concilii Toletani X. translatus est anno 656. qui Monasticum Institutum in Hispaniis propagavit. Ejus *duplex extat Regula*, prior xxiii. altera, xx. duntaxat constans capitibus. Priorem Regulam Complutensi duntaxat Monasterio, quod propriis sumptibus ædificavit atque dotavit, scripsisse videtur Fructuosus: alteram instar supplementi adjecisse, pro Monasteriis præsertim deinceps in villis & agris construendis. Id patet ex capite 9. ubi sic: *Qui greges Monasterii accipiunt alendos, tantam sollicitudinem super eos gerere debent, ut nulli damnum in frugibus inferant; & tantâ vigilantiâ æstutiâque sollicitentur, ne à bestiis devorentur: ut fragrosa & abrupta montium & inaccessibilia vallium prohibeantur, ne ad præcipitium defluant, &c.* Utramque Regulam edidit Lucas Holstenius in Codice Regularum parte 2. pag. 133. quam laudant Egbertus Eboracensis Episcopus *in Excerptis Canonum*, Sanctus Benedictus Anianensis Abbas *in Concordia Regularum*, Smaragdus Abbas *in Commentario ad Regulam Divi Benedicti*: de quibus Holstenius in frontispicio dictorum Operum. Joannes Mabillon sæculo 2. Ordinis Divi Benedicti, pag. 581. & seqq. Parisiis in fol. 1669. apud Carolum Savreux.

660. DOROTHEUS ARCHIMANDRITA, celebris est inter Auctores Græcos qui de moribus scripserunt. Quoad ejus ætatem, ea mihi non omnino nota est. Bellarminus circa annum Domini 560. collocat, cùm tamen nulla ratione fieri possit, ut qui sancto Zosimæ Abbati qui sub Impera-

tore Justino Justiniani avunculo ac decessore senex (ut ipse vult) floruit, & familiaris fuit: alleget Joannem Climacum, qui post annum 580. scripsisse perhibetur. Hunc ergo convenientiùs circa annum 660. figimus, donec aliquis certas de eo Epochas inveniat. Extant in Orthodoxographis & in Bibliothecis Veterum Patrum græcè & latinè; *Dorothei Sermones seu Doctrinæ xxiv. de Vita rectè & piè instituenda*; interprete Hilarione Veronensi Congregationis Cassinensis Monacho. Iidem latinè facti per Chrysostomum Calabrum, impressi in 8°. Cremonæ 1595. cum Chrysostomi Homilia De educatione liberorum. Eosdem quoque ante paucos annos latinitate donavit; Notisque brevibus illustravit Balthazar Corderius Soc. Jesu Theologus, de quibus in Bibliotheca Script. Soc. Jesu, ultimæ editionis, agitur. Anonymus qui eidem præfationem præmisit, asserit doctrinam illam per manum parentum traditam, magnum illum Tharasium Patriarcham C P. qui anno 787. floruit; veneratum fuisse. Habentur MSs. græcè hi Sermones Dorothei cum Sermonibus Asceticis Isaiæ Abbatis, in Bibliothecis Vaticana sæpius, Veneta, Bavarica Cod. 88. Regia Gallica, & alibi.

MARCULFUS, Monachus Gallus, scripsit ad Landericum Parisiensem Episcopum, qui anno 660. floruit, *Formularum Antiquarum libros duos*, quibus appendices variæ adjunctæ sunt. Hos Hieronymus Bignonius cum aliis veteribus Formulis incertorum Auctorum ex Bibliotheca Regis Galliæ anno 1613. primus Parisiis edidit, & postea Colonienses in tomum vii. Bibliothecæ Sanctorum Patrum attulerunt. Libri sunt longè utilissimi ad Francicas ac Germanicas Antiquitates il-

luſtrandas, eoque nomine ab eruditis paſſim laudantur. Ita Miræus *in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 195. pag. 219. Has Formulas poſt Bignonium rursùs edidit Stephanus Baluzius tom. 2. Capitularium Regum Francorum p. 369. cum Commentariis dicti Hieronymi Bignonii, & propriis, ex editione Franciſci Muguet anni 1677. Pariſiis, ſub ſigno Adorationis trium Regum.

S. MAXIMUS ex Commentarienſi Regio Monachus primùm Conſtantinopolitanus, poſt Abbas creatus, ſtrenuè adversùs Monothelitarum hæreſim decertavit, habitâ diſputatione publicâ cum Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano eundem confudit, & ad ſanam doctrinam traxit, ut Theophanes & Photius tradunt, *cujus Diſputationis acta integra*, prout à Notariis tunc excerpta fuerunt, Baronius in geſtis anni 645. græcè & latinè edidit. Agunt de Scriptis ſancti Maximi tantâ curâ multi, ac præ cæteris Labbeus in Diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis Bellarminianis, ut nihil ejus diligentiæ addi poſſit, tam in exponendis Operum ad ſua uſque tempora inſcriptionibus, quàm in recenſendis editionibus ac verſionibus variis. Addemus tantùm quæ compelta ipſe non vidit, nempe *omnia Opera ſancti Maximi Monachi & Martyris*, præmiſſis variis & quamplurimis Monumentis ad ejus certaminum cognitionem plenam neceſſariis, impreſſa eſſe Pariſiis 2. tom. in folio, apud Andræam Cramoiſy an. 1675. viâ Fibulariâ, ſub Abrahæ Sacrificio, collecta ex variis Bibliothecis ac ferè totius Europæ celeberrimis, curâ & ſtudio F. Combefis Dominicani reformatæ Provinciæ S. Ludovici. Huic deſunt editioni *Commentaria ſancti Maximi in Ope-*

ra Divi Dionysii Areopagitæ, quia cum his Operibus Dionysianis jam sæpe impressa sunt græcè & latinè Parisiis anno 1615. Antuerpiæ 1634. & iterum Parisiis anno 1644. in fol. de quibus diximus *in Dionysio Areopagita* superiùs. Item *Libri duo de Computo Ecclesiastico*, græcè & latinè ex Bibliotheca Vaticana, interprete Dionysio Petavio Soc. Jesu Presbytero, cum aliis Græcis Auctoribus in Uranologio habentur, anno 1630. Parisiis in fol. apud Sebastianum Cramoisy, viâ Jacobæâ sub Ciconiis. Ejusdem sancti Maximi inveniuntur *Scholia in Divi Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi locos difficiles* manuscripta in Codice Bibliothecæ Regiæ: quod opus est modicum, Joanni Scoto Erigenæ olim tentatum, versione inscriptâ Carolo Calvo Francorum Regi, atque MS. in Bibliotheca Cluniacensi, ex quo aliqua emendari & suppleri possunt in manuscripto Codice Regio. Sed tandem hoc opus editum græcè & latinè cum versione Latina Joannis Scoti Erigenæ, Oxonii in fol. anno 1681. è Theatro Sheldoniano. Obiit Maximus in exilio Confessor egregius, anno 662. die 13. Augusti, de quo cum laudibus Nomenclatores omnes.

Anastasius Monachus sancti Maximi Constantinopolitani Abbatis Discipulus, scripsit *Epistolam ad Calaritanos in Sardinia Monachos contra Monothelitas Hæreticos*, eò tandem prolapsos, ut duas & unam, id est, tres in uno eodemque Christo voluntates & operationes prædicarent. Habetur hæc Epistola inter Collectanea Anastasii S. R. E. Bibliothecarii, quæ Sirmondus edidit Parisiis anno 1620. apud Sebastianum Cramoisy. Itemque habetur in prolegomenis seu præludiis ad

Opera sancti Maximi edita à Francisco Combefis, de quibus dicebamus statim. Obiit in Lazica anno 662. die 24. Julii, præveniens ad patriam cælestem sanctum Magistrum Maximum, qui obiit sequentis Augusti die 13.

ANASTASIUS alter S. R. E. Apocrisiarius, in Lazica exulans anno 665. inde misit *Epistolam ad Theodosium Gangrensem Presbyterum*, quæ præter ea quæ de S. Maximi Constantinopolitani Abbatis obitu narrat, ampla fragmenta continet, ex sancti Hyppoliti Portuensis Episcopi Sermonibus. Hujus Apocrisiarii Epistola ista, extat in citati Anastasii Bibliothecarii Collectaneis, à Sirmondo Parisiis anno 1620. apud Cramoisium evulgatis. Itemque in prolegomenis pag. 67. ad Opera sancti Maximi Monachi, quæ collegit Franciscus Combefis, de quibus nos egimus in Maximo; ubi græcè & latinè legitur: cùm latinè tantùm apud Anastasium Bibliothec. in Collectaneis haberetur.

HILDEFONSUS Archiepiscopus Toletanus in Hispania, de quo Bellarminus & Labbeus libro laudisque à me sæpius citatis, præter additionem ad librum sancti Isidori De Viris illustribus, quæ capitibus tantùm XIV. constat, scripsit *Librum de illibata Virginitate sanctæ ac gloriosæ Genitricis Dei Mariæ contra Infideles, ordine Synonymorum conscriptum*; quem solùm genuinum censet Joannes Poza in Elucidario B. Virginis lib. 4. Tractatu 4. cap. 6. reliquasque Homilias à Francisco Feu-ardent Ordinis Minorum Parisiis anno 1576. apud Nivellium in lucem emissas, esse suppositicias multis contendit argumentis. Favet huic sententiæ Franciscus Combefis in sua Bibliotheca Concionatorum tom. 7. ad diem festum Assum-

ptionis B. Mariæ Virginis, ubi has affert Homilias, in quibus notat quædam desumpta ex Divo Bernardo in Homiliis *super Missus est*; alia *ex Commentario in septem Psalmos Pœnitentiales*, qui legitur post Opera Divi Gregorii Magni, creditque esse Gregorii VII. summi Pontificis, vel sancti Anselmi Lucensis Episcopi. Favet & Lucas Dacherius tom. 1°. atque XII°. Spicilegii, ubi ex occasione Libri Ratramni *De Nativitate Christi* tom. 1. pag. 218. & Paschasii *De Partu Virginis* tom. XII. pag. 1. in præludiis ad tomos, docet in his Homiliis sub nomine sancti Hildefonsi editis, haberi multa desumpta ex Operibus istis, quod conferenti per otium advertere pronum est. Leguntur autem dicti Spicilegii tom. 1. pag. 308. Epistolæ aliquot Quirici Barcinonensis Episcopi, Hildefonsi Toletani Archiepiscopi, & Idali Barcinonensis etiam Episcopi, collectæ illic ex Codice manuscripto. Obiit Hildefonsus anno 667, die 23. Januarii, cujus Elogium & Opera eloquitur Julianus Toletanus Episcopus ad calcem Opusculi sancti Hildefonsi *De Scriptoribus Ecclesiasticis* in Bibliotheca Ecclesiastica Miræi pag. 98. de quo abundè Possevinus in *Apparatu sacro*, Labbeus De Scriptoribus à Bellarmino recensitis, omnesque Rerum Hispanicarum Scriptores: Joannes Mabillon sæculo 2. Ordinis Divi Benedicti, pag. 320. & seqq. in fol. Parisiis 1669. apud Carolum Savreux.

THEODOSIUS & THEODORUS fratres anno 668. cùm Exemplum Epistolæ ab Anastasio Apocrisiario ad Theodosium Gangrensem scriptæ accepissent: Scripserunt *Scholium sive Hypomnesticon de hujus Anastasii & aliorum Athleticis Cer-*

taminibus; quod latinè versum inter citata Anastasii S. R. E. Bibliothecarii Collectanea invenies, edita Parisiis anno 1620. curis Jacobi Sirmundi. Illud autem habetur græcè & latinè in prolegomenis ad Opera sancti Maximi Martyris pag. 80. editionis quam procuravit Parisiis anno 1675. apud Andræam Cramoisy Franciscus Combefis, de quo supra diximus in sancto Maximo Martyre.

670 » AUDOENUS: qui & Dado, Episcopus Rothomagensis (teste Sigeberto libro De Scriptoribus » Ecclesiasticis cap. 58.) scripsit *ad Robertum Parisiorum Episcopum Vitam sancti Eligii Noviomensis Episcopi*, duobus libris, explicans miracula quæ » vel in vita, vel post mortem ejus gesta sunt per » eum, tertio libro Rhetoricè & Commaticè totam Vitam ejus recapitulans. Hæc Sigebertus de Vita sancti Eligii, quam Laurentius Surius edidit ad diem secundam Decembris, sed mutilam absque præfatione & libro tertio; integram verò Lucas Dacherius in Spicilegio, desumptam ex manuscripto Codice optimæ Notæ. Factus est Audoenus Episcopus Rothomagensis anno 646. Obiit anno 689. die 24. Augusti, qui rectè circa annum 670. hanc Vitam scripsisse creditur.

680. THEODORUS natione Græcus, Cantuariensis Archiepiscopus, à Vitaliano Papa anno 668 ordinatus, magnus Ecclesiasticæ Rei Promotor in Anglia, ad quam à Romano Pontifice missus fuerat, doctrina simul & sanctitate insignis, multis ad utilitatem Ecclesiæ Conciliis interfuit, de quibus in Collectione generali Conciliorum anni 1671. Parisiis apud magnam Societatem Bibliopolarum editionis ultimæ, & in Collectione Conciliorum

Angliæ, impressa Londini duobus in folio tomis anno 1639. studio & curâ Henrici Spelmanni. Scripsit insigne *Pœnitentiale*, quod ab Auctoribus sequentibus sæpius allegatur, & Ms. asservatur in Bibliotheca sancti Benedicti Cantabrigiensis codice 133. cujus summaria capita retulit Henricus Spelmannus in Collectione Conciliorum Angliæ, utinam integrum Orbi Christiano obtulisset! Item *Capitula Ecclesiastica*, quæ tom. 6. Conciliorum pag. 1875. ultimæ editionis anni 1671. & tom. 9. Spicilegii Dacheriani leguntur. Obiit anno 690. die 19. Septembris, de quo Sigebertus Gemblacensis in Catalogo cap. 63. Possevinus in Apparatu sacro, aliique Scriptores Historiæ Anglicanæ.

CEOLFRIDUS Abbas Anglus, scripsit circa annum 690. *Epistolam insignem ad Naitanum Regem de ratione Paschatis*, quam Venerabilis Beda totam inseruit Historiæ suæ Anglicanæ, & quam habent Concilia ultimæ editionis Parisiensis anni 1671. tom. 6. pag. 1423. De Ceolfrido Venerabilis Beda in Historia Gentis suæ lib. 6. cap. 28. Sigebertus in Catalogo Scriptorum cap. 6. Baronius anno 669. num. 5. 6. & anno 701. num. 1. Possevinus in Apparatu sacro, verbis *Ceolfridus* & *Geolfridus*, quem ait mortuum fuisse anno 724. & fuisse Præceptorem Venerabilis Bedæ. 690.

BAUDEMUNDUS sancti Amandi Trajectensis Episcopi Discipulus. circa annum 690. scripsit *Vitam Magistri in Christo carissimi*: Et ipsius Amandi testamentum à Philippo Abbate relatum manu propria scripsisse dicitur. Baudemundo *Supplementum & Historiam translationis atque elevationis* adjecit, eandemque Vitam *quatuor libris*

metricè ad Hayminum Abbatem Vedastinum edidit *Milo Monachus ac Sacerdos Elnonenſis*, qui medio ſæculo nono vivebat, ut ex Supplementi cap. 7. num. 22. & ex cap. 8. apparet. Utrumque Opus edidit Joannes Bollandus tom. 1. ad diem 6. Februarii, idque eruditiſſimis Commentariis illuſtravit Godefridus Henſchenius. Item Opus Baudemundi cum Supplemento tantùm Milonis ad Vitam ſancti Amandi, legitur etiam ſæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 709. & ſeqq. edito Pariſiis in fol. anno 1669. apud Carolum Savreux, curâ & ſtudio D. Joannis Mabillon, ubi etiam multa ſpectantia ad cultum & famam ſancti Amandi.

URSINUS profeſſione Monachus, ad inſtantiam *Anſoaldi Pictavienſis Epiſcopi*, & *Audulfi ſui Abbatis*, quorum ille tranſlationis Auctor, hic exſecutor fuit: circa annum 690. *Sancti Leodegarii geſta & tranſlationem ſcripſit.* Hoc Opuſculum cum Opere Anonymi de eadem re, edidit tomo 1. Collectanei Hiſtoricorum Franciæ Andræas Ducheſnius anno 1636. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy; & Joannes Mabillon ſæculo 2. SS. Ordinis D. Benedicti, poſt opus dicti Anonymi p. 698. quod eſt editum Pariſiis in fol. an. 1669. apud C. Savreux. Quantùm ad Urſinum & Anonymum pag. 679. cùm ſint ejuſdem temporis, hoc mihi videtur ut Anonymus ab Urſino acceperit, non Urſinus ab Anonymo. Ibidem etiam pag. 707. habes Epiſtolam ſancti Leodegarii, quam ſcripſit ad matrem ſuam Sigradam Sueſſionis in Cœnobio puellarum commorantem. Quod attinet ad alia ſancti Leodegarii Scripta, circumfertur quoddam ejus teſtamentum, quod eruditis homi-

nibus merito non probatur; de quo lege Sammarthanos in Gallia Christiana, Stephanum Perard in Collectione veterum Instrumentorum ad Historiam Burgundicam pertinentium, & Carolum le Cointe ad annum 666. in Annalibus Francicis Ecclesiasticis.

CRESCONIUS seu CRISCONIUS Episcopus Africanus, floruit eo tempore quo Joannes Patricius victoriam de Saracenis in Africa reportavit, ut ex manuscripto codice Vaticano, quem allegat illustrissimus Annalium Conditor, Cæsar Baronius ad annum Christi 527. colligitur: quam Cedrenus ad annum tertium Imperii Leontii refert, id est, ut ex Anastasio in Historia Ecclesiastica discimus, anno Christi 690. *Scripsit* Collectionem Canonum duas veluti partes habentem. Prior *Breviarium Canonicum* dicitur, in quo Disciplina omnis Ecclesiastica ad Ferrandi exemplum, brevibus quibusdam summulis, & per subtilitatem titulorum, ut loquitur Justinianus, comprehenditur, citatis tantùm quæ ad rem spectant, ad singulos titulos Conciliorum Canonibus, vel Pontificum Decretis. Posterior verò integros Canones ac decreta, eo ipso ordine quo in Breviario citantur, exprimit; inscribiturque in manuscriptis codicibus, vel *Concordia Canonum vel Liber Canonum.* Utriusque, Ferrandi nimirùm & Cresconii Breviarium primus in lucem edidit Petrus Pithoeus ex codice manuscripto Ecclesiæ Trecensis, Parisiis anno Christi 1588. non autem Nicolaus Faber, ut putat Altaserranus. Hanc editionem secuti sunt Guillelmus Voellus Theologus ac Socius Sorbonicus, & Henricus Justellus Christophori filius, in editione sua Bibliothecæ Juris Canonici Veteris

2. in fol. vol. apud Ludovicum Billaine anno *1661.* Parisiis impressæ: sed emendatam atque diligentissimè collatam cum duabus aliis impressionibus posterioribus, Altaserrani scilicet & Francisci Chiffletii, quas ille Augustoriti Pictonum anno 1630. hic Divione anno 1649. typis mandari fecerunt. *Concordiam verò Canonum Cresconii* antehac non editam, ex antiquo manuscripto codice Bibliothecæ Collegii Claromontani, nunc primùm in dicta Bibliotheca Juris Canonici veteris, Voellus & Justellus publici juris fecerunt. Hanc porrò acceptam referre debes eruditissimis Viris Soc. Jesu Presbyteris Philippo Labbeo & Gabrieli Cossartio insignis Claromontanæ Bibliothecæ Præfecto, qui eâ quâ præditi erant humanitate, hunc codicem Justello communicarant, ex quo diligenter collato cum alio codice Bibliothecæ Thuaneæ qui Cresconii nomen præfert, sed multis Canonibus & Decretis interpolatus est, Guillelmus Voellus & Christoph. Justellus editionem suam confecerunt. Conferentes etiam cum codicibus Dionysii Exigui & Ecclesiæ Romanæ, ex quibus totus depromptus est Cresconius; castigatis, si qui reperti sunt, Exscriptoris erroribus; & adscriptis, si quæ notatu dignæ visæ sunt, variantibus Lectionibus. Agunt de Cresconio Baronius ad annum 527. in *Annalibus Ecclesiasticis*, præfati Auctores Bibliothecæ Juris Canonici veteris in suâ præfatione ad Lectorem, arguentes Annalistam in aliquibus.

700. AIGRADUS Fontanellensis Monachus scripsit circa annum 700. *Vitam sancti Ansberti Rothomagensis Episcopi*, quam obtulit Hiltberto Abbati Fontanellensis Cœnobii, editam apud Surium &

Bollandum ad diem 9. Februarii. Itemque sæculo 2. Sanctorum Ordinis D. Benedicti sæpius à nobis allegato, pag. 1048. Aigradi lucubratio Eruditis videtur in aliquibus locis interpolata, nempe ubi Anni æræ Christianæ designantur, qui calculus seu calculi modus Aigradi tempore nondum in Gallia usum obtinebat. Certè clades Provinciæ ab Agarenis illata, quæ num. xv. indicatur, contigit anno circiter 737. quo Hiltbertus Abbas jamdudum è vivis excesserat: & ex hac, manifestum interpolationis desumitur argumentum.

ARETAM quære ad annum 912. quo florebat.

ADAMNANUS seu ADAMANNUS, natione Scotohybernus, floruit anno circiter 714. scripsitque *Libros tres de Vita sancti Columbæ Abbatis Scoti*, quos primus evulgavit Henricus Canisius tom. 1. *Antiquarum Lectionum*, & post eum alii, ut Joannes Mabillon sæculo 1. in Actis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Scripsit idem *Libros tres de Locis Sanctis ex relatu Arculfi Galliarum Episcopi*, quorum mentionem facit Beda libro 5. Historiæ suæ cap. 16. quos habes impressos primùm Ingolstadii anno 1619. curâ & studio Jacobi Gretzeri Theologi & Presbyteri Soc. Jesu, tum sæculo 3. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* tom. 2. pag. 502. curâ & studio Joannis Mabillon, qui huic addidit *aliud in terram Sanctam Hœdeporicon* Auctore Bernardo Monacho Gallo, factum anno 870. cujus meminit Guillelmus Malmesburiensis libro 4. *De Regibus Anglorum* cap. 2. sect. 35. & 48. 710.

JOANNES Patriarcha Constantinopolitanus anno circiter 712. scripsit *insignem Epistolam ad*

Papam, & Urbis Romæ Archiepiscopum Constantinum, qui sedit ab anno 708. ad 714. diem 9. Aprilis, quo obiit. Habet Collectio Conciliorum ultimæ editionis Parisiensis anni 1671. hanc Epistolam Græco-latinam tom. 6. p. 1407. ubi eam leges.

720. ANDRÆAS Damasco oriundus, dictus Hierosolymitanus ob Monachismum in his regionibus professum, Cretensis postea Archiepiscopus, atque (ut quidam censent Docti) pro more Græcorum ab Archiepiscopatu Cretæ ad Cathedram Cæsareæ Cappadociæ translatus, floruit circa annum 720. mortuusque fertur die 14. Junii anni 724. inde corrigendus error multorum qui illum sæculo sexto adsignant. Multa de illo Triodium Græcorum quæ refert Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 182. sed quæ falsa sunt, oreque pleno fabulas Græcorum sapiunt. Scripsit *Homilias plures*, quas hinc & inde collectas evulgavit Franciscus Combefis Ordinis FF. Prædicatorum, Parisiis in fol. anno 1644. græcè & latinè apud Simeonem Piget, viâ Jacobæâ sub signo Prudentiæ. Addidit in Auctario græcæ Sanctorum Patrum Bibliothecæ, quod duobus tomis in fol. evulgavit anno 1648. sumptibus Antonii Berthier viâ Jacobæâ sub signo Fortunæ, ad præcedentem Collectionem *Orationes duas in Sanctæ Mariæ Nativitatem* tom. 1. pag. 1289. quarum secunda est in Bibliotheca Sanctorum Patrum sub nomine sancti Germani Constantinopolitani; atque etiam aliam in *Decollationem sancti Joannis Baptistæ* pag. 1327. Item tom. 2. p. 235. *Eucharisticum Carmen* ad Agathonem Diaconum ob Acta sextæ Synodi Oecumenicæ ad eum missa.

unde collegimus eum vixisse Agathonis hujus temporibus, circa annum 724. & ulteriùs. Hoc etiam Eucharisticum Carmen insertum Collectioni Conciliorum editionis ultimæ Parisiensis anni 1671. Habentur *duæ Orationes Græco-latinæ* hujus Andrææ Cretensis sive Jerosolymitani in *Exaltationem sanctæ Crucis*, apud Jacobum Gretzerum tomo 2. de Cruce, cujus Opus nobile & amplum impressum est in 4°. Ingolstadii variis tomis anno 1610. Item ejusdem *Computus* græcè & latinè cum Uranologio Dionysii Petavii edito Parisiis in fol. anno 1630. apud Sebastianum Cramoisy, viâ Jacobæâ sub Ciconiis. Ejusdem denique (si tamen idem est, qui successivè Cretensis ac Cæsarienſis Archiepiscopus factus sit) *Commentarius in Apocalypsim B. Joannis* græcè & latinè per Theodorum Peltanum cum Notis Sylburgii in fol. typis Commelini 1596. tumque iisdem typis anno 1603, græcè & latinè cum Operibus sancti Joannis Chrysostomi. Denique latinè tantùm interprete eodem Peltano Ingolstadii anno 1584. in 4°. Porro qui unum eundemque faciunt Andræam Cretensem Archiepiscopum cum Cæsareensi, innituntur solis conjecturis. Volunt enim proclive fuisse Aretæ Cæsareensi, ut ex Cretensi Cæsareensem faceret ad honorandam patriam; unde negant consequenter fuisse unum eundemque Andræam, utriusque Sedis successivè Archiepiscopum: sed dictum ab Areta Cæsareensi Andræam Cæsareensem, quem Cretensem appellare debuerat. Sanè cùm Aretas qui Commentarium scripsit in Apocalypsim circa annum 912. (scripsit enim etiam *Acta sancti Euthymii Patriarchæ Constantinopolitani* anno 911. ad cælos translati) Andræam suum à quo

sumpsit plurima, haberet velut Auctorem uno aut altero sæculo à se antiquiorem : rectè consequenter in unum idemque tempus incidunt Andræas Cæsareensis & Cretensis, ac forsitan in eundem coëunt, qui successivè utramque Sedem tenuerit pro more Græcorum, & qui nunc Cretensis, nunc Jerosolymitanus, nunc Cæsareensis vocatus sit. De Andræa Cretensi Possevinus in *Apparatu sacro*, Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 182. pag. 216. Bibliothecæ Ecclesiasticæ : Franciscus Combefis locis citatis, tam in præliminaribus specialis suæ editionis Operum Andreæ, quam in Auctario suo Græco-latino anni 1648. ad Bibliothecam Sanctorum Patrum, & in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam prævio, verbo *Andræas Cretensis*.

JONAS Monachus Fontanellæ in Diœcesi Rothomagensi, mandante Baino Abbate suo, scripsit *Vitam sancti Vulfranni Senonensis Archiepiscopi*, qui obiit abjecto Episcopali munere, anno 710. die 20. Martii in Cœnobio Fontanellæ, non inelegantem pro illo ævo. Extat impressa apud Surium ad diem 20. Martii, atque apud Continuatores Bollandi ad diem eundem. Itemque sæculo tertio parte 1. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti; vixit autem anno Christi 709. cujus anni ad extremam Historiam suam meminit. De Jona isto faciunt mentionem in *Apparatu suo* Antonius Possevinus, Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 206. pag. 220. & capite 196 pag. 219. & in Scholio ad caput 61 Operis Sigeberti *De Scriptoribus iisdem Ecclesiasticis* pag. 140. Biblothecæ Ecclesiasticæ ; ubi eum distinguit

ab

ab altero Jona antiquiore, qui scripsit Vitas Sanctorum Columbani, Eustasii, &c.

GERMANUS Patriarcha Constantinopolitanus, vixit temporibus Leonis Isauri Imperatoris, cujus impietati contra sacras Imagines fortissimè restitit, quæ anno 726. impellente quodam Judæo, primùm in publicum erupit. Exinde nequicquam se furori ejus interponens, Episcopatu se sponte abdicavit anno Christi 730. cùm centesimum ferè ætatis annum ageret. Nam Gregorius II. Papa in secunda Epistola quæ in Synodo VII. extat, adserit Germanum anno Christi 726. habuisse annos quinque & nonaginta. Cæterùm habemus *duas Epistolas sancti Germani Constantinopolitani senioris*, græcè & latinè editas Romæ, Coloniæ, Parisiis cum Concilio generali VII. seu Nicæno II. ad Joannem nempe Synadensem, ad Thomam Claudiopolitanum, &c. Cætera omnia illi inscripta sunt Germani Constantinopolitani Junioris, qui floruit sub initium sæculi xiij. anno 1222. & seqq. ut suo loco dicemus. Scio à Bellarmino in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Labbeo ibidem, & ab Editoribus Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Colonensis, huic Germano attribui *Theoriam rerum Ecclesiasticarum, & expositionem Orationis Dominicæ*, ex ista theoria verbotenus desumptam. Sed Gretzerus in Notis ad tomum 2. de Cruce, putat illam Theoriam esse alterius Germani ætate posterioris: atque idem sentit *De Encomio Deiparæ*, quod Petrus Pantinus latinè reddidit. Plura de sancto Germano Labbeus in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis, Aubertus Miræus in Auctario eorumdem Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 207. 730

pag. 220. Franciſcus Combefis in ſuo Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam, verbo, *Germanus Conſtantinopolitanus*, Cardinalis Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis, Poſſevinus in Apparatu ſacro.

740. FOELIX Monachus Anglus, Congregationis Girvvenſis ſeu ſancti Bedæ, ut loquitur, ſcripſit circa annum 740. vel ultra, Vitam ſancti Guthlaci Presbyteri & Eremitæ, quam ex manuſcripto codice erutam produxit in publicum Joannes Mabillon ſæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tom. 1. ſeu parte 1. pag. 263. in folio, Pariſiis anno 1672. apud Carolum Savreux ad Turrim Metropolis Eccleſiæ, ſub ſigno trium Virtutum.

» HEDDIUS, STEPHANUS cognominatus, na-
» tione Anglus, Ordinis ſancti Benedicti Monachus
» Cantuarienſis Congregationis Giribennæ, à tene-
» ris annis ita in bonarum Litterarum ſtudiis enu-
» tritus, ut jam vir factus omnium ſcientiarum ge-
» nere evaſerit inſtructiſſimus. Multa quidem, quan-
» tùm invenire potui, non ſcripſit, ſed illa tamen
» pauca puro, terſo, & elegante ſtilo exarata. Mu-
» ſicus inſignis & primus, teſte Bedâ, præter unum
» Jacobum, cantandi Magiſter in Nordhantumbro-
» rum Eccleſiis; illuc enim ex Cantia vocatus à
» Vvilfrido venit, & pſalmodiam docuit. Ratione
» virtutis & multiplicis eruditionis, erat omnibus
» Litteratis & piis illius temporis cariſſimus. Hor-
» tante Acca Hagulſtadenſi Epiſcopo ſoluta oratione
» ſcripſit *De Vita ſancti Vvilfridi librum unum*, *de*
» *Vita Eattæ & Tumberti librum unum*; de aliis ni-
» hil mihi certi conſtat. Claruit anno ſalutis reſtau-
» ratæ 720. regnante in Northumbria Oſrico. Hæc

Pitseus. Opus de Vita sancti Vvilfridi, editum à Joanne Mabillon ex Ms. Bibliothecæ Cottonianæ in Anglia, ad calcem partis primæ Sanctorum sæculi 4. Benedictini pag. 671. cujus variantes Lectiones ex Ms. Codice Sarensi edidit ad finem secundæ partis ejusdem sæculi pag. 550. quod impressum duobus tomis in fol. apud Ludovicum Billaine anno 1677. & 1680. Et quidem Eddium à Vvilfrido ex Cantia accitum fuisse, constat ex Historia Venerabilis Bedæ lib. 4. capite 2. Quo tempore id actum sit, indicat Eddius ipse in subjectæ Vitæ cap. 14. ubi narrat Vvilfridum sub annum 665. evocasse Cantores ad reformandos Ecclesiæ corruptos cantus. Cæterùm insignem ubique modestiam exhibet iste Auctor, cùm agens de Theodoro ejusque successore Berthvvaldo, qui Vvilfridi suique ipsius exilii Auctores fuerant, aut certè fautores, eos passim sanctos & sanctissimos appellat. Opus autem suum scribebat statim à Vvilfridi obitu, certè superstite adhuc sancto Vvillebrordo Trajecti inferioris Episcopo, qui anno 739. ad Superos abiit, anno uno ante Accam Hagulstadensem Episcopum, cui Eddii Liber nuncupatus est.

ANTONIUS Monachus, ab Opere quod contexuit, cognomento *Melissa*: quem quæres ad an. 1140. ad quem revocandus est, ex Critica Francisci Combefis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

EGBERTUS natione Anglus, dignitate Cantuariensis Archiepiscopus, claruit circa annum 747. scripsitque nobile Opus *Pœnitentiale libris quatuor distinctum*, Ms. in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti Cantabrigiæ in Anglia Cod. 133. 750.

ut ab oculatis testibus audivimus : Opus antiquum, præloque dignissimum, quod nos multa edoceret de mediis Ecclesiæ temporibus. Item scripsit Opusculum *De Jure Sacerdotali*, quod legitur in Conciliis anni 1671. tom. 6. pag. 1586. Denique Dialogum *De Institutione Ecclesiastica*, editum Dublini anno 1664. operâ Joannis Vvaræi Equitis Aurati, & immixtum Conciliis tomo 6. pag. 1604. Pœnitentiale autem seu Canones *De Remediis peccatorum*, qui leguntur post dictum Dialogum pag. 1612. in citatis Conciliis, sunt excerpti ex dicto Pœnitentiali Egberti : unde ambiguum, an sint Venerabilis Bedæ (cui passim attribuuntur) opus legitimum, nec enim Beda Senior excerpere ab Juniore Egberto potuit.

ANASTASIUS Abbas Monasterii sancti Euthymii in Palæstina, cujus sanctus Joannes Damascenus initio Libri de Trisagio, & Cardinalis Baronius in gestis anni 749. meminerunt, scripsit *Librum contra Judæos :* quem ex Græco latinè à Francisco Turriano redditum Henricus Canisius tom. 3. *Antiquarum Lectionum*, & Colonienses tom. 8. Bibliothecæ Veterum Patrum publicarunt ; sed Ms. græcè asservant Bibliotheca Vaticana Romæ, & Jesuitica ejusdem Urbis inter Codices manuscriptos ab eodem Turriano datos. Atque hic quidem Anastasius cum de Trisagio non rectè sentire videretur, Joanni Damasceno occasionem præbuit scribendi opusculum de hoc Hymno. Agunt de isto Anastasio, quem Euthymianum vocant ad distinctionem ab aliis quandam, Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Auctario ad Scriptores Ecclesiasticos cap. 212. p. 221, Labbeus in brevi Scriptorum Chronologia,

ISIDORUS PACENSIS, Hispaniæ Episcopus, Idacium Lemicensem Episcopum continuavit in sua Chronologia, sicut ipse Idacius sanctum Hieronymum continuaverat. Isidorum Pacensem continuant Sebastianus Salmanticensis, Sampirus Asturicensis, & Pelagius Ovetensis, quos omnes junctim ex manuscriptis Codicibus Prudentius Sandovallius Pampelonensis Episcopus anno 1634. Pampelone in Navarra primus edidit, quorum ultimum Baronius citat in Annalibus tom. 10. pag. 653. Ex his *Isidorus Pacensis* orditur ab æra 653. sive ab anno Heraclii septimo, quo Mahometes Saracenorum Ductor Syriam, Arabiam, & Mesopotamiam occupavit, desinitque in æra septingentesima nonagesima octava, id est in anno Christi 754. quo tempore se scripsisse testatur, sub finem operis. *Sebastianus Salmanticensis* à temporibus Pelagii Regis usque ad Ordonii I. Regis obitum, hoc est, usque ad æram nongentesimam tertiam, sive usque ad annum Christi 865. suam, ut nuncupat, Historiam deduxit. *Sampirus Asturicensis* ab æra octingentesima nonagesima sexta, sive à temporibus Alfonsi Magni, illo nomine tertii Regis, usque ad initium principatûs Veremundi Regis continuavit. *Pelagius Ovetentis Episcopus*, à temporibus dicti Veremundi, usque ad obitum Alfonsi septimi, quem vocant Imperatorem Hispaniæ, rerum gestarum seriem perduxit. De æræ ratione & origine Joannes Mariana libro 3. cap. 24. consulendus. De Isidoro Pacensi Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica ad caput 8. Anonymi cujusdam de duodecim Scriptoribus Ecclesiasticis, pag. 105. à quo hæc accepimus. Alii

tamen ab Hiſpanis, hos omnes Iſidori Continuatores arguunt ſuppoſitionis.

BONIFACIUS, dictus antea *Vvinfridus*, natione Anglus, vel, ut quibuſdam videtur, Scotus; Friſiorum, Haſſorum, Thuringorum, Bajoariorum, aliorumque Germaniæ populorum, quos Chriſtianæ fidei myſteriis informavit, Apoſtolus. Romanorum Pontificum Gregorii II. Gregorii III. & Zachariæ amicitiâ ac privilegiis ornatus, Moguntinenſis primus Archiepiſcopus, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, Martyrio coronatus, obiit in Friſiæ villa Dotkumio die quinta Junii anno 754. non 755. ut plerique recentiores etiam eruditiſſimi minùs caſtigatè putarunt, qui in celeberrimo Monaſterio Fuldenſi, quod in Buchonia ſilva fundaverat, ſepultus fuit.

Sancti Bonifacii ac plurium aliorum Epiſtolæ, cum libro de Vita & Martyrio ſancti Livini Epiſcopi Gandavenſium Patroni, eodem Auctore ſancto Bonifacio, diligentiâ ac ſtudio Nicolai Serarii Soc. Jeſu Presbyteri ac Theologi, emerſerunt è prælo Moguntiæ anno 1605. in 4°. Item Dominus Lucas Dacherius doctiſſimus Congregationis ſancti Mauri in Gallia Monachus edidit *quædam Statuta ſancti Bonifacii nomine*, tom. 9. Spicilegii p. 63. apud Carolum Savreux Pariſiis anno 1669. in 4°. ad turrim Metropolis Eccleſiæ. Quantùm autem ad *Vitam Livini*, quam Serarius ſub nomine ſancti Bonifacii Epiſcopi Moguntini, & Martyris, poſt ejuſdem Epiſtolas edidit: Joannes Mabillon ſæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 449. ubi eam iterùm recudit, cenſet non habere Auctorem Bonifacium Moguntinenſem Archiepiſcopum & Martyrem, qui an. 754.

ætate adhuc virente Martyrium subiit : sed esse alterius Bonifacii senioris, qui circa annum 680. annis prope octoginta ante Moguntinensem floruerit, quod observatione dignum censui. De illo plura Nicolaus Serarius in serie Moguntinorum Archiepiscoporum, Christophorus Brovverus in Fuldensis Ecclesiæ Historia, Cardinalis Baronius in Annalibus & in Notis ad Martyrologium Romanum, Sammarthani in Gallia Christiana tom. 1. in Archiepiscopis Moguntinensibus, Vossius qui de ejus patria, & quibusdam ad eam spectantibus multa collegit cap. 29. libri 2. De Historicis Latinis, Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 215. pag. 221. Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo seu parte 2. pag. 1. & seqq. aliique quos consulere potes post Surium ad diem quintam Junii.

VVILLIBALDUS Anglo-Saxonum claro & illustri genere ortus, habuit patrem Richardum, fratres & sorores sanctimoniâ clarissimos, quos cultu celebri Ecclesia veneratur. Anno circiter 728. in Italiam veniens, adiit Monasterium Cassinense nuper à Petronace restitutum, ubi per annos decem conversatus est. Anno 739. jussu Gregorii Papæ III. in Germaniam accedens, anno insequenti Presbyter ordinatus est undecimo Kalendas Augusti, postero anno Episcopus factus Ecclesiæ Eistetensis, qui Synodo Germanicæ adfuit anno 742. Floruit circa annum 760. scribens *Vitam sancti Bonifacii* Moguntinensis Archiepiscopi, quam Lullo ipsius successori & Megingozo Vvirtziburgensi Episcopis nuncupavit. Idem anno 777. corpus fratris sui sancti Vvunebaldi transtulit in 760.

locum decentiorem, post aliquot annos corpus sanctæ Vvalpurgis sepulturæ mandavit, ac demùm ipse vitam explevit non ante annum 786. Vitam hanc sancti Bonifacii Moguntini Antistitis & Martyris ediderunt plures, atque horum primus Henricus Canisius tom. 4. Antiquarum Lectionum, Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 1. editionis. Parisiensis in fol. anno 1672. apud Carolum Savreux ad turrim Metropolis Ecclesiæ. Agunt de sancto Vvillibaldo Eistetensi Episcopo diffusè Henricus Canisius loco & tomo citatis Antiquarum Lectionum, Jacobus Gretzerus in Opere suo speciali *De Eistetensibus Episcopis & hujus Ecclesiæ Tutelaribus*, Joannes Mabillon sæculo 3. SS. tomo citato pag. 365. & seqq. Aubertus Miræus in suo *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 216. pag. 222. suæ *Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*.

CHRODEGANDUS, in Aula Majoris Caroli cognomento *Tuditis* educatus, juxta Paulum Diaconum in libro *de Mediomatricensibus Episcopis*, ex Clerico tandem factus est Episcopus anno salutis 743. Gorzienſis Monasterii fundamenta Chrodegandus, in pago Scarponnensi posuisse fertur anno sexto Childerici Regis, id est, Christi 748. Ecclesia in honorem S. Petri & sancti Stephani primùm dedicata, quæ postea sancti Gorgonii dicta est. Instrumentum hujus fundationis à Philippo Labbeo injectum in Collectionem Conciliorum ultimæ editionis Parisiensis, anno 1671. procuratam. Voluit etiam Chrodegandus ut Cathedrales Canonici canonicè viverent, unde eis conscripsit *Regulam*, quam interpolatam ex variis

capitibus edidit primus in *Spicilegio* Domnus Lucas Dacherius, sed puram atque ab omni intruso purgatam idem Labbeus obtulit tom. 7. pag. 1444. Conciliorum ultimæ suæ editionis. Mortuus est anno 768. die 6. Martii. Plura de illo Paulus Diaconus in libro *De Metensibus Episcopis*, Philippus Labbeus in *Conciliis* nuperæ editionis Parisiensis, Joannes Bollandus, vel ejus Continuatores, ad diem 6. Martii; Sammarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ*, in Episcopis Metensibus, Jonnnes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tom. 2. pag. 204. ubi de sancto Gorgonio Patrono Gorgiensis Monasterii, post Sigebertum in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 78, qui hujus Regulæ mentionem facit.

GODESCALCUS Diaconus & Canonicus Leodiensis, mandante Agilfrido Episcopo Leodiensi, sub annum Christi 770. primus scripsit *Vitam sancti Lamberti Episcopi Leodiensis & Martyris.* 770.
Post Godescalcum *Stephanus* Leodiensis Episcopus sub annum 903. Post hunc *Nicolaus* Canonicus Leodiensis sub annum 1126, & *Reynerus* ad sanctum Laurentium Monachus sub annum 1130. idem præstiterunt: quorum omnium Scripta ex ordine evulgavit Chapeaville. anno 1612. tom. 1. ex tribus quos in 4°. edidit, rerum Leodiensium. De illo Joannes Chapeavillius loco citato, ut Aubertus Miræus in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 220. pag. 223. Joannes Mabillon sæculo 3 Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 1. pag. 66. ubi eandem Vitam sancti Lamberti refert.

FLORUS Martyrologus Usuardo antiquior,

quem ad annum 770. refert Labbeus in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum, nullus est: sed ad annum 855. referendus, cùm sit unus atque idem cum Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono.

AMBROSIUS AUTPERTUS Monachus Ordinis Divi Benedicti, tum postea Abbas sancti Vincentii ad Vulturnum in Benevento, ubi sanctissimè vixit, ac mortuus anno 778. die 19. mensis Julii. Paulus Vvarnefridi in libro 6. *De gestis Longobardorum* cap. 40. agens de primordiis Cœnobii sancti Vincentii juxta Vulturnum, laudat *Scripta viri eruditissimi Autperti* ejusdem Monasterii Abbatis, quæ de primis loci Institutoribus composuit. Chronographus etiam ejusdem Cœnobii, qui sæculo XI. floruit, ejusdem Ambrosii Autperti Vitam contexens, Scripta fideliter recenset. Scripsit autem in *Apocalypsim Joannis* insignem Commentarium seu Expositionem, quæ edita primùm est Coloniæ anno 1536. tum in tomo 9. *Bibliothecæ Veterum Patrum* sub nomine *Ambrosii Ansberti* Galli Presbyteri, viri facundissimi; quem Monachum & Presbyterum Ordinis Divi Benedicti appellat Trithemius, eumque cum Bellarmino & aliis ad annum 890. claruisse affirmat. Addit autem multùm Philippus Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tom. 1. pag. 44. dum ei attribuit Ambrosio *Commentaria in Psalmos atque in Cantica Canticorum*, Coloniæ anno 1536. pariter impressa, quæ conducunt ad meritum doctrinæ Autperti. Hæc à nobis & ab aliis inquisita diligentiùs, quorum nullum unquam vestigium apparuit illic impressorum, hoc unum scientes. Chronographus etiam san-

cti Vincentii ad Vulturnum, editus sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, parte 2. paginâ 259. & seqq. dum plures ejus enumerat lucubrationes sectione seu num. 7. in his accenset librum *De Conflictu vitiorum & virtutum*, qui legitur inter Opera spuria sanctorum Augustini & Ambrosii, Ambrosio verò in pluribus Exemplaribus manuscriptis tribuitur, forsitan errore nominis: nam Autpertum etiam Ambrosium vocatum constat, hoc enim nomen præfert Expositio ejus in Apocalypsim. Certè cùm in dicto Opusculo fiat mentio Regulæ D. Benedicti, constat opus spectare non posse ad Ambrosium Mediolanensem, optimè & meritò ad Ambrosium Autpertum sancti Vincentii ad Vulturnum positi Monasterii Abbatem. Scripserat Libellum seu *Sermonem De Cupiditate*, quem habes Ms. in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti Cantabrigiæ cod. 188. cujus initium, *Sanctorum Ecclesiam*. Scripsit etiam *Vitam Beatorum Patrum Paldonis, Tutonis & Vasonis cum Historia sui Monasterii plena relatione*, ut inquit Chronographus sancti Vincentii jam relatus sectione 7. quam ex MSs. codicibus edidit Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tom. seu parte 1. pag. 423. & seqq. Scripsit idem Ambrosius Autpertus nonnullas Homilias, de quibus doctissimè differit Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 260. ubi de lucubrationibus Ambrosii Autperti, & nos post ipsum breviter. Una est in *Transfigurationem Domini nostri Jesu Christi*, quam Benedictini Sancti Germani habent manuscriptam in duobus manuscriptis codicibus pervetustis, post Commentarium in Apo-

calypsim Ambrosii Autperti. Altera quæ est in *Assumptionem Beatæ Mariæ Virginis*, & incipit, *Adest, dilectissimi fratres, venerabilis dies omnium Sanctorum Solemnitates præcellens, &c.* Habetur inter Sermones sancti Augustini Sermone 18. De Sanctis : ad quem non spectat, cùm tempore Divi Augustini solemnitas ista Assumptionis nullatenus extaret in Ecclesia; unde à nuperis amicis nostris, clarissimis Operum Divi Augustini illustratoribus, inter Opera incerta conjectus est. Convenit autem optimè Homilia ista cum temporibus Ambrosii Autperti, quibus de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis agi cœptum est, ut docet citatus Joannes Mabillon pag. 207. post relatum ex manuscripto codice Cluniacensi hujus Homiliæ fragmentum. Tertia, cujus inscriptio atque exordium est, *Sermo de Lectione sancti Evangelii, editus à Domno Autperto Presbytero atque Abbate, in Purificatione S. Mariæ : Si subtiliter à Fidelibus quæ sit hujus diei festivitas perpendatur, &c.* Quam manuscriptam tantùm, & non vulgatam censet Joannes Mabillon loco citato pag. 260. Invenitur tamen ad calcem Operum sancti Ambrosii Mediolanensis Episcopi impressa, in ultima editione Parisiensi anni 1665. apud magnam Societatem Bibliopolarum, immò & in editione anni 1642. ut habet Labbeus. Addo, hæc eadem Homilia Ambrosii Autperti, quæ legitur ad calcem Operum Divi Ambrosii Episcopi Mediolanensis, ut jam suprà dixi, legitur de verbo ad verbum inserta Homiliæ *De eadem B. Mariæ Virginis Purificatione*, quam habuit Alchuinus coram Carolo Magno, & quam refert velut Alchuini Opus indubium doctus Stephanus Baluzius tom. 2. *Misc-*

cellaneorum pag. 382. Hæc enim Homilia Autpertina ibi ad verbum exprimitur. Plura de Ambrosio Autperto post Sigebertum libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 91. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, & Aubertus Miræus tam in *Auctario ad Scriptores Ecclesiasticos*, cap. 257. pag. 230. quam in *Scholio ad caput* 91. *Sigeberti*. Hi tamen ambo falluntur in designando tempore quo floruit Autpertus, collocantes ad annum Domini 890. facientes eum recentiorem annis centum & ultrà, quam verè fuerit. Labbeus *De Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino recensitis, & omnium amplissimè Joannes Mabillon sæculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* tom. 2. paginâ 256. ubi ejus Vitam & merita ad plenum depingit.

ALDELMUS seu ADELINUS & ADELHELMUS Sagiensis Episcopus, quem Philippus Labbeus ad annum 790. in brevi Chronologia collocat, quærendus ad annum 890. ac quem etiam Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, ad initium sæculi x. amandat.

ARIBO quartus Frisingensis Episcopus anno 762. creatus, annis tribus & viginti sanctum istud munus atque onus sustinuit, mortuus anno 784. Scripsit circa annum 780. *Vitam sancti Corbiniani* primi Episcopi Frisingensis, quam post alios refert D. Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tomo 1. pag. 500. edito Parisiis in fol. anno 1672. apud Ludovicum Billaine sub signo Magni Cæsaris & sancti Augustini. Distinctus ab eo fuit *Aribo Moguntinus Archiepiscopus*, qui interpretatus est xv. *Psalmos Graduum* (ut vocant) obiitque an- 780.

no 1031. De Aribone isto Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 298. pag. 235. & in Scholio ad caput 140. Sigeberti pag. 152. Joannes Mabillon loco citato, cum aliis qui scripserunt de Episcopis Frisingensibus.

790. DONATUS Mediomatricensis Ecclesiæ Diaconus, ad quam olim omnimodè spectabat Monasterium sancti Trudonis in Hasbania, scripsit circa annum 790. *Vitam sancti Trudonis Confessoris* celeberrimæ hujus nominis Abbatiæ titularis ac tutelaris, quam habes sæculo 2. SS. Ordinis Divi Benedicti pag. 169. ex Ms. Codice viri clarissimi Andrææ Ducheſnii. Ætas auctoris petenda est à Pontificatu Angelramni Metensis Episcopi, Caroli Magni Archicapellani, anno 800. demortui, cui Angelramno Vitam sancti Trudonis à se compositam Donatus nuncupavit. De illo Theodoricus Monachus postea Abbas Trudonianus, Vitæ sancti Trudonis interpolator; apud Surium ad diem 23. Novembris & Joannes Mabillon loco citato.

GEORGIUS Monachus; Tarasi Patriarchæ, Constantinopolitani Syncellus (quomodo dicebatur qui proximus erat Patriarchæ, eique defuncto successor destinabatur) vixit temporibus Caroli Magni, & anno 792. *Chronicon* instruxit: quod *à mundi exordio usque ad Maximianum & Maximinum tyrannos perduxit*; sed morte præventus ulteriùs perducere non potuit. Illud græcè & latinè Parisiis in fol. anno 1652. cum historia Theophanis evulgatum est, typis Lupareis seu Regiis inter auctores historiæ Byzantinæ, cujus operi notas adjecit doctus Jacobus

Goar Ordinis Fratrum Prædicatorum vir clarissimus, qui contulit laborem suum ad corrigendos Historicos græcos. Habetur Ms. græcè in Bibliotheca Augustana Cod. 81. Vaticana ex Ms. Heidelbergensi 395. & in Scoriacensi Regis Hispaniarum. In hoc volumen Syncellus universum Eusebii Cæsariensis Chronicon verbotenus transtulit, sic tamen ut in Eusebio reprehendendo penè sit perpetuus. At verò fatemur quidem meritò ipsum sæpè ab Eusebio dissentire: sed habet suos nævos Syncellus, non paucos nec exiguos, ut Scaliger in Animadversionibus Eusebianis docuit. De Georgio Syncello Josephus Scaliger Julii Cæsaris à Burden filius in *Thesauro temporum* quem græcè & latinè habemus editum in fol. Lugduni Batavorum anno 1605. atque iterum anno 1658. Aubertus Miræus *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 222. pag. 225.

DACRIANUS Abbas quem Nomenclatores sub hujus sæculi finem assignant, nullus fuit: qui enim nomen istud excogitavit Ludovicus Blosius, vixit sæculo XVI. Errant autem Margarinus Bignæus & alii, dum illi attribuunt *Speculum Monachorum & xii. brevia spiritualis vitæ documenta*, quæ tom. 8. Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Colonienſis leguntur, atque in anterioribus editionibus Parisiensibus annorum 1575. & 1589. de quo Aubertus Miræus in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 229. Ultima enim editio operum Ludovici Blosii facta Plantinianis iisque pulcherrimis typis & cartis, in fol. anno 1632. Antuerpiæ apud Balthasarem Moretum, adjudicat in prolegomenis *hæc duo*

opuſcula Ludovico Bloſio, *primum* quidem articulo 6. pag. 24. *alterum* articulo 7. pag. 31. ex MSs. Lætienſium fide & teſtimonio Abbatis Monachorúmque domeſticorum.

800. „ PAULUS VVARNEFRIDI & Theodolindæ fi-
„ lius, natione Italus, Monachus Coenobii Caſſi-
„ nenſis propter ſcientiam Litterarum à Carolo
„ Magno Imperatore adſcitus, ſcripſit *Vitam ſan-*
„ *cti Gregorii Magni Papæ*, ſcripſit *geſta Pontificum*
„ *Metenſium*, ſcripſit *miracula ſancti Arnulphi*,
„ qui primò major domus Regis Francorum, po-
„ ſtea Metenſium Epiſcopus, Eremiticam vitam
„ expetiit. Hiſtoriam quoque Vinnulorum, qui
„ poſtea nominati ſunt Longobardi, luculento &
„ plano ſermone ſcripſit. Hæc Sigebertus libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 80. de quo plura Labbeus & Bellarminus ſæpiùs allegati, Miræus in *Scholio* ad dictum caput Sigeberti pag. 148. *Bibliothecæ* ſuæ *Eccleſiaſticæ*, Poſſevinus in *Apparatu ſacro*. Addimus autem adſignatis à Philippo Labbeo Pauli Vvarnefridi operibus *Vitam ſancti Gregorii Summi Pontificis* cognomento Magni, quam habemus nuperrimè impreſſam in præliminaribus ad Opera ſancti Gregorii Magni, edita 3. voluminibus in fol. Pariſiis anno 1675. apud magnam Bibliopolarum Societatem. Adjicimus etiam dictum Paulum ad mandatum Caroli magni correxiſſe & diſpoſuiſſe *Homiliarium Eccleſiaſticum pro Dominicis & feſtis totius anni ex libris & ſermonibus, ſeu Homiliis ſanctorum Patrum* 2. tomis diſtinctum, à Carolo magno Rege approbatum, cui tamen inſertæ ſunt Homiliæ nonnullæ à poſteris, ut Herrici Monachi Antiſſiodorenſis, quem mortuo Paulo floruiſſe conſtat

ſtat, tempore Caroli Calvi. Impreſſum iſtud Homiliarium in folio, cum prævia Caroli magni epiſtola, Spiræ apud Petrum Drach Juniorem anno 1482. ut habet Johannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 29. compoſitum hoc opus circa annum 790. quod in Ms. exemplari vidimus in Bibliotheca Igniacenſi Archiepiſcopatus Remenſis, Ordinis Ciſtercienſis. Plura de Paulo Vvarnefrido Leo Hoſtienſis libro 2. Chronici Caſſinenſis cap. 17. Joannes Mabillon loco citato, poſt Sigebertum qui cap. 81. dum de Carolo magno loquitur Procuratore Lectionarii Eccleſiaſtici de quo ſupra, Paulum illius auctorem ac diſpoſitorem facit.

PAULINUS Aquileienſis Epiſcopus, ſub annum Chriſti 794. ſcripſit contra *Elipandum Toletanum Epiſcopum* libellum qui extat tom. 2. Conciliorum Galliæ ex editione anni 1629. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy, curis Jacobi Sirmondi Soc. Jeſu Presbyteri. Item libros tres contra *Felicem Urgellitanum Epiſcopum*, Lutetiæ anno 1617. editos cum operibus Alchuini ab Andræa Ducheſnio apud Sebaſtianum eundem. De Paulino Bellarminus & Labbæus ſufficienter in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quibus addo ex fide MSs. Codicum quos vidi, eundem Paulinum Forojulienſem Epiſcopum eſſe auctorem libri ſeu opuſculi *De ſalutaribus Documentis*, qui extat inter opera Divi Auguſtini in appendice ad tomum IV. ſub finem, ac modò in ultima editione operum D. Auguſtini, reſtitui à doctiſſimis ejus procuratoribus, legitimo parenti. Plura de ipſo Bollandus ad diem undecimam Januarii. Obiit anno 804. in majore Fo-

rojulienſis urbis Baſilica ſepultus, cujus dies natalis 3. Nonas Januarii ab Aquileienſi Eccleſia quotannis celebratur: ut ex monumentis ejuſdem Eccleſiæ narrat Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ. Ita Miræus in *Auctario De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 225. pag. 223. quem ſecutus ſum

ALCHVVINUS ſeu ALBINUS FLACCUS ALCHUINUS Anglus, præceptor Caroli magni, Abbas ſancti Martini Turonenſis & Cormariceni Cœnobii anno 800. ex Pancarta nigra Cormaricenſi, & pluribus Chronicis. Monachus Sangallenſis auctor de geſtis Caroli Magni, lib. 1. cap. 2. ejus ita » meminit. Albinus in omni latitudine Scripturarum ſupra cæteros modernorum temporum exer- » citatus, utpote Diſcipulus doctiſſimi Bedæ, peritiſſimi poſt ſanctum Gregorium Tractatoris. » Dedit autem illi Abbatiam ſancti Martini juxta » Turonicam Civitatem, ut quando ipſe abſens eſſet, illic requieſceret. Unde in epiſtola 3. ad Regem ſic ait: Veſtræ piæ providentiæ conſilio tranſlatus ſum in ſervitium ſancti Martini, fidei Catholicæ & Eccleſiaſticæ donante Deo proficuum. » Ejus quoque fit mentio in brevi Chronico Tu- » ronenſi his verbis: Anno 796. Carolus Rex in- » ſtituit Canonicos in Eccleſia B. Martini authoritate Hadriani Papæ, eiſque Alcuinum magiſtrum » ſuum præfecit, qui paulò poſt obiit an 804. » poſtquam immunitates ſuæ Eccleſiæ Rex Caro- » lus confirmaſſet. Scripſit varia, quæ ſummo ſtudio collegit Andræas Ducheſnius, poſteà Regius Hiſtoriographus, vir immortali nomine dignus, impreſſa Pariſiis in fol. anno 1617. apud Sebaſtianum Cramoiſy. De Alchuino Bellarmi-

nus & Labbæus, quibus hæc subnotanda duximus.

Opusculum *De divinis Officiis* non est Alchuini, sed auctoris longè recentioris, quippe cùm agat de Hilperico qui florebat anno 1000. ut constat ex illius opere *De Ecclesiastico Computo*, quod extat Ms. in multis Galliæ Bibliothecis. Item Epistola seu liber *De Cæremoniis Baptismi* ad Carolum Magnum, incipiens ab his verbis; *Domine mi Christianissime Imperator misistis ad servulum vestrum* &c. non est Alchuini, sed Amalarii Trevirensis Archiepiscopi, qui hunc librum scripsit anno 811. quo Alchuinus erat mortuus. Ita Sirmondus in notis ad opera Theodulphi Aurelianensis, & Baluzius, in notis ad Capitularia Regum Francorum tom. 2. pag. 1070. & 1071. Sed illorum loco possunt substitui alii tres fœtus Alchuini legitimi, nempe *Commentarius in Cantica Canticorum brevis* editus Cum commentario Gilberti Foliot Londini in 4. anno 1638. studio Patricii Junii Britannicæ Majestatis Bibliothecarii. Item *Breviarium fidei adversus Arrianos*, quod evulgavit Anonymum Sirmondus, & Alchuino adjudicant MSs. Codices, ut habet Franciscus Chifflet in præfatione ad opera Ferrandi Diaconi. Item *Confessio fidei quadripartita ex sanctis Patribus*, quam evulgavit idem Franciscus Chifflet in 4. Divione anno 1656. cum excerptis variis ex decem libris sancti Fulgentii Ruspensis Episcopi contra Fabianum Arrianum, cum Rhabani Mauri libro adversùs Judæos, & Anonymi Commentariolo De Hæresi & damnatione Berengarii. Pro confessione ista Alchuino asserenda, prolixam nuper Dissertationem cons-

cripsit Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 178. & sequentibus.

Homiliæ tres 1ª. *De silentio* in quo missum est Incarnatum verbum, 2ª. *De Nativitate B. Mariæ Virginis*, 3ª. *in Festo omnium Sanctorum*, non sunt Alchuini, sed sunt desumptæ ex Homiliario Pauli Diaconi, quod Andræas Ducheſnius credidit esse Alchuini; ubi cùm certo nomine non adnotentur, has Alchuini esse opinatus est. *Prima* enim abest omninò à stilo hujus Auctoris, *secunda & tertia* sunt posteriores illo; cùm neutrum horum Festorum extaret in Ecclesia tempore illius. Horum loco substituenda insignis Homilia *De Purificatione B. Mariæ Virginis*, hucusque ad calcem operum sancti Ambrosii Mediolanensis impressa illique adscripta; indubius Alchuini fœtus, quem auctori suo legitimo asseruit Stephanus Baluzius tom. 2. Miscellaneorum pag. 382.

Incompletus liber *De septem artibus* non est Alchuini, sed præfatio Cassiodori Senatoris in suum librum De septem artibus, ut rectè annotavit Domnus Joannes Guaretius in præludiis suis ad opera Cassiodori pag. 8. impressionis Rothomagensis sumptibus Antonii Dezallier anno 1679.

Item Epistolis cxv. Alchuini, adjungi deberent aliæ, quæ passim vagantur in ejusdem operibus & aliis in locis. 1. Epistola de illo Canticorum loco, *Sexaginta sunt Reginæ* &c. 2. *Quid sit æternum & sempiternum, & immortale & perpetuum, & sæculum & tempus &c.* 3. Ad filiam in Christo carissimam. 4. De ratione Septuagesimæ Sexagesimæ & Quinquagesimæ. 5. Responsum Caroli Magni. 6. De Baptismi Ceremoniis ad Odui-

num Presbyterum. 7. Ad pueros sancti Martini De confessione peccatorum. 8. Caroli Magni ad Alchuinum, quam habet Stephanus Baluzius tom. 1. Capitularium pag. 414. 9. Responsio Alchuini ad eandem, eodem tomo sub finem, pag. 1442. 10. 11. 12. quas idem habet Baluzius tom. 1. Miscellaneorum pag. 305. & seqq. denique Epistolæ XXVI. quas habet Joannes Mabillon tom. 4. Analectorum pag. 272. & sequentibus, ex Ms. Germanico. Carminibus verò variis Alchuini, addendum quod habetur *De Cuculo* tom. 1. Analectorum ejusdem Joannis Mabillon pag. 369. aliáque duo inserta tom. 4. eorumdem Analectorum pag. 522. Hæc habui addenda impressis Alchuini operibus, de quo plura Joannes jam citatus sæculo 4. Sanctorum Ordinis D. Benedicti parte 1. pag. 145. & seqq.

USUARDUS Monachus, Ordinis D. Benedicti & sancti Salvatoris Vice-Comitis Abbas, quem Labbæus collocat ad annum 806. quærendus ad annum 870. ubi de illo agetur plenius.

LUDGERUS seu LIUDGERUS primus Monasterienſis Episcopus in Vvestphalia, scripsit *Vitam Magistri sui sancti Gregorii Ultrajectensis Episcopi*, quam ex Ms. Cod. Fuldensi Christophorus Brovverus evulgavit anno 1615. Moguntiæ, cum historica narratione De primordiis adventus sancti Bonifacii Moguntini Archiepiscopi atque Ordinationis, quæ fuerant in alio opusculo scilicet sancti Vvillibaldi prætermissa, quam eodem sermone seu opusculo concluſit. Eandem Vitam refert Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti parte 2. pag. 319. impresso Parisiis 2. tomis in fol. anno 1672. apud Ludo-

vicum Billaine in Palatio Regio. Extat ejusdem Ludgeri *Epistola ad Rixfridum Ultrajectensem Episcopum De vita & miraculis S. Suitberti Episcopi*, apud Surium & Bollandistas Calendis Martii. Obiit autem sanctus Ludgerus anno 809. die 26. Martii, ut testatur Ditmarus in Chronico. Ludgeri porro Magistri sui Vitam libris duobus *Othelgrimus* contexuit, quos integros adeóque Surianis pleniores ex manuscripto Fuldensi, Brovverus anno 1616. publicos fecit, & Bollandistæ ad diem 26. Martii, quos consulere potes. Plura de sancto Ludgero Surius & Bollandistæ ad diem citatam Martii, & Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 2. pag. 319. Itemque sæculo 4. tomo 1. pag. 15. Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 231. pag. 226.

ARNO Salisburgensis in Germania Archiepiscopus, Carolo Magno & Ludovico Pio Imperatoribus carissimus, ut constat ex variis Capitularibus Regum Francorum, ubi nomen ejus comparet, concinnavit Opusculum seu *Indicem eorum quæ Ecclesiæ Salisburgensi data sunt à Theodone, Othilone, Tassilone, aliisque Bavaricæ Ducibus ac Proceribus*, editum Ingolstadii in 4°. anno 1602. tomo 2. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii. Item apud eundem Canisium tomo 6. ibidem anno 1611. impresso, habetur etiam notitia donationum factarum Ecclesiæ Salisburgensi, cum Chronico Salisburgensi & Catalogo Episcoporum Salisburgensium, Vitisque aliquot Præsulum ejusdem Sedis: quæ juvant ad illustrandum Arnonis Opusculum. Ejusdem porro Epitaphium in tomo 4. Analectorum Joannis Mabillonii, Parisiis

anno 1684. in 8°. apud Viduam Edmundi Martini, via Jacobæâ, sub Sole Aureo. Claruit ab anno 800. ad 818. de quo Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 317. pag. 239. Henricus Canisius loco citato.

ETHELVOLFUS Monachus Anglus, Ordinis Divi Benedicti, scripsit circa id tempus metricè *De Abbatibus & Viris piis Monasterii sancti Petri in insula Lindisfarnensi*, quod edidit Joannes Mabillon anno 1680. apud Ludovicum Billaine, sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 2. pag. 302. Floruit ab anno 800. ad 820. ut ibidem probat dictus Mabillonius; de quo etiam in *Apparatu sacro* Possevinus, qui perperam eum floruisse ait anno 730. ac cognominatum fuisse Bernicium & Lupum, quod me latet.

TILPINUS ex Monacho Sancti Dionysii Parisiensis, Archiepiscopus Remensis, de quo plura apud Sammarthanos in Gallia Christiana in Archiepiscopis Remensibus. Obiit anno 811. cujus Commenta sæculo demùm illabente duodecimo prodierunt. 810.

LEIDRADUS Lugdunensis Archiepiscopus scripsit anno 811. jussu Caroli Magni insignem librum *De Sacramento & ritibus Baptismi* quem ex variis MSs. evulgavit Joannes Mabillon tomo 3. Analectorum pag. 1. & seqq. anno 1683. Item *& duas Epistolas*, quas habes impressas tom. 2. operum Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi ex impressione ultimâ procurata Parisiis, cura & studio Stephani Baluzii, de qua agemus in Agobardo. Cessit oneri atque Honori simul Primatus & Archiepiscopatus Lugdunensis anno 813. de quo Aubertus Miræus in Auctario De Scrip-

toribus Ecclesiasticis cap. 240. pag. 228. dum agit de Agobardo qui ei successit in Sede Lugdunensi ; Sammarthani tom. 1. Galliæ Christianæ in Archiepiscopis Lugdunensibus.

Odilbertus Mediolanensis Archiepiscopus mandante eodem Carolo magno, scripsit anno 811. *unum librum de Sacramento Baptismi & ejus ceremoniis*. Epistola Caroli magni ob eam rem ad Odilbertum, habetur tom. 1. Analectorum Joannis Mabillon: Responsio autem Odilberti cum opere huic annexo habetur Ms. in Bibliotheca Augiensis intra Constantiam Monasterii in Germania, cujus epistolam cum specimine libri refert jamdictus Mabillon tom. 4. eorumdem Analectorum pag. 317. claruit hic Archiepiscopus Odilbertus sub Carolo magno & Ludovico pio Imperatoribus, ab anno 808. ad circiter 820. de quo Capitularia Regum Francorum Stephani Baluzii, & Ferdinandus Ughellus in Italia sacra, dum de Mediolanensibus Archiepiscopis agit.

AMALHARIUS Fortunatus Trevirensis Archiepiscopus scripsit libellum anno eodem 811. ad ejusdem instantiam de eadem materiâ, qui legitur inter opera Alchuini, ut supra diximus in Alchuino, ex annotationibus Jacobi Sirmondi & Stephani Baluzii quos ibi allegavimus. Obiit Amalharius Treverensis Archiepiscopus anno 814. de quo plura possunt legi apud Christophorum Brovverum Soc. Iesu Presbyterum in Annalibus Treverensibus, Sammarthanos fratres in Gallia Christiana, verbo *Treverenses Archiepiscopi*, & alios.

CAROLUS MAGNUS Rex Francorum ab anno 768. Longobardorum ab anno 774. & Roma-

norum Imperator ab anno 800. die 25. Decembris, locum meretur inter Scriptores Ecclesiasticos, ut potè fautor Litterarum ac Litteratorum, restitutor Disciplinæ Ecclesiasticæ, Damnorum Ecclesiæ in anterioribus sæculis reparator, de quo ita Sigebertus pag. 81. De Scriptoribus Ecclesiasticis: *Carolus Imperator, per manum hujus Pauli Diaconi sui, decerpens quæque optima de Scripturis Catholicorum Patrum, Lectiones unicuique festivitati convenientes, per circulum anni in Ecclesia legendas, compilari fecit in duobus voluminibus.* Egimus jam de hoc Opere dum locuti sumus de Scriptis Pauli Vvarnefridi Aquileiensis Diaconi, quod impressum diximus in fol. Basileæ an. 1482. apud Petrum Drach; & Coloniæ Agrippinæ annis 1517. & 1539, apud Maternum Cholinum; denique Parisiis in fol. annis 1535. & 1569. *Capitularia sive Edicta Caroli Magni & Ludovici Pii*, à se in 4. libros digesta, Ansegisus Abbas Fontanellensis anno 827. publicavit, quæ Petrus Pithoeus Parisiis anno 1588. edenda curavit, ibidem postea recusa anno 1603. Sed insigni prælo in fol. duobus voluminibus, *cum tribus Libris eorundem Capitularium à Benedicto Levita collectis*, impressa tertiò Parisiis anno 1677. apud Franciscum Muguet Regium Typographum, viâ Citharæ, sub Adoratione trium Regum, curis & studiis Stephani Baluzii doctissimi Antiquarii. Præter opus à Sigeberto commemoratum, extant libri quatuor *De Imaginibus* ad Adrianum Pontificem Maximum, qui nomine Caroli Magni non immeritò editi sunt Parisiis anno 1555. procurante editionem Joanne Tillio Meldensi Episcopo, quos Rogerus Houeden in gestis anni 792. attribuit. Al-

chuino Caroli Magni Magistro. *Ijdem lib.* 4. *contra imagines*, cum Notis Melchioris Goldasti Haiminsfeldii; editi Francofurti anno 1608. in 8°. & in Opere inscripto, *De Imaginum cultu varia Decreta Imperatorum in utroque Imperio, &c.* Extat & *Codex Carolinus seu Epistolarum Caroli Magni ad Paulum, Stephanum, & Adrianum Romanos Pontifices, & aliorum ad ipsum*, quem edidit Ingolstadii apud Angermariam Jacobus Gretzerus Societatis Jesu Presbyter anno 1613. Item *innumera Diplomata* Donationum, Fundationum, & Confirmationum, quæ leguntur in Collectionibus Antiquarum Lectionum Henrici Canisii, in Collectaneo Historicorum Franciæ Andreæ Duchesnii, in Spicilegio Dacherii, Analectis Mabillonii, Miscellaneis & Capitularibus Stephani Baluzii, Rebus Diplomaticis, & aliis locis. Adde Epistolam insignem *De gratia septiformis Spiritus*, quam edidit Joannes Mabillon tomo 4. Analectorum pag. 312. & alias plures Epistolas de diversis Argumentis; quæ leguntur in Collectione nupera Conciliorum, in volumine *Rerum Diplomaticarum* ejusdem Mabillonii, & *Capitularibus* Baluzii, quas sigillatim recensere operosum esset & superfluum simul. Quantùm autem ad libros quatuor *contra Adorationem Imaginum*, & *Decreta Nicænæ Synodi* quæ adorandas censet, impressos in Gallia anno 1555. directosque Adriano Papæ Summo Pontifici, qui eos confutat insigni Opere seu Epistolâ quæ legitur in Conciliorum Collectionibus: non videntur esse opus unius hominis, sed facti de communi consilio Episcoporum Galliæ, tunc temporis de Imaginum cultu contendentium. Multi damnarunt olim suppos-

tionis hos Libros, ut Bellarminus & alii; sed qui sunt hujusmodi novæ notæ homines, contra Hincmarum contemporaneum, & tot manuscriptos Codices ejusdem sæculi, qui videntur in Galliarum Bibliothecis? Vide doctissimum Sirmondum in tom. 7. *Conciliorum* novissimæ editionis ad annum 794. pag. 1054. Obiit Carolus Imperator cognomento Magnus Aquisgrani anno 814. die 28. Januarii: de quo plurima Andræas du Chesne in *Collectaneo Historicorum Franciæ*, Collectores veterum Historicorum Germaniæ, Joannes Bollandus in *Vitis Sanctorum* ad dictam 28. Januarii diem, Aubertus Miræus in *Bibliotheca Ecclesiastica ad caput* 81. Sigeberti pag. 143.

THEOPHANES primùm Monachus, inde Agri Abbas, Georgio Syncello contemporaneus & familiaris fuit, cujus *Chronicon à temporibus Maximiani & Maximini Imperatorum continuavit usque ad Michaëlis & Theophili ævum*, hoc est, ad annum 813. quod cum Chronico ejusdem Georgii de quo supra dictum est, impressum Parisiis in fol. anno 1652. typis Regiis, studio Jacobi Goar Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui observationes ei adjecit. Habetur autem Opus istud græcè Ms. in Bibliotheca Regia unde prodiit, & in Vaticana ex manuscripto Codice Heidelbergensi 395. Ex illo suam Historiam Ecclesiasticam concinnavit Anastasius S. R. E. Bibliothecarius, uti ex duobus aliis Georgio Syncello & Nicephoro Patriarchâ Constantinopolitano, quos ferè ad verbum transcriptos latinè reddidit; & ita sequitur, ut merum Interpretis nomen mereri videatur: atque id constare etiam potest ex fragmentis, quæ Dionysius Petavius in suis ad Nicephorum Notis insc-

ruit. De Theophane alio loquitur Photius in ſua *Bibliotheca* Cod. 64. de noſtro Georgius Cedrenus & Michaël Glycas in ſuis *Hiſtoriis* narrant: atque ex recentioribus Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 223. paginâ 223. Philippus Labbeus in Protreptico ad Hiſtoriam Byzantinam.

820. BENEDICTUS Fundator & primus Abbas Anianæ circa annum 800. quod Cœnobium eſt nobile Diœceſis Magalonenſis in Gallia Narbonenſi, Ordinis Divi Benedicti, claruit temporibus Pipini Regis Francorum, Caroli Magni & Ludovici Pii Imperatorum, à quibus poſtremis ob ſanctitatem notiſſimam ac eminentem ſcientiam eximiè cultus eſt, factus etiam Abbas ac Pater plurium Abbatiarum, ut Gellonis, Maſciaci, &c. Ad Ordinem in eis conſervandum, atque reſtaurandas regulares Obſervantias, lapſu temporum ac corruptione morum disjectas, inter varias occupationes quibus à ſcribendo impeditus non eſt, compoſuit inſigne volumen *Concordiam Regularum* appellatum, ad facilitandam omnibus Monachis profeſſionem Regulæ Benedictinæ. Impreſſum Opus Pariſiis in 4°. anno 1638. curâ & ſtudio Domni Hugonis Menard Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri, cum ſuis doctiſſimis Obſervationibus ac Notis. Idem Abbas Benedictus collegit in unum volumen *omnes Regulas Cœnobiticas*, quæ uſque ad ſua tempora remanſerant, quas ex manuſcripto Codice evulgavit in 4°. Lucas Holſtenius, cum nonnullis ab eo adjunctis poſterioribus Regulis, anno 1663. Pariſiis apud Ludovicum Billaine in aula Palatii. Addidit & *Collectaneum ex variis Sanctorum Patrum Opuſculis*

Benedictus Anianensis, quod pariter editum ab eodem Holstenio. Denique *paucas etiam Epistolas*, quæ referuntur (nisi fallor) post Vitam sancti Benedicti Anianensis ab Ardone Smaragdo ejus discipulo & Anianensi Monacho conscriptam, à Bollando ad diem XI. Februarii, & à Joanne Mabillon tom. I. sæculi quarti Sanctorum Ordinis D. Benedicti. Obiit Benedictus Anianensis Abbas die undecima Februarii anno 821. ætatis 70. in Monasterio Indæ prope Aquisgranum : de quo Gallia Christiana Sammarthanorum fratrum tom. 4. pag. 54. ubi de Abbatibus seu Prælatis Anianensibus, Hugo Menardus post Ardonem Smaragdum quem edidit, in prolegomenis ad Concordiam Regularum ; Lucas Holstenius in iisdem prolegomenis ad Codicem Regularum, Bollandistæ ad diem undecimam Februarii, Joannes Mabillon sæculo quarto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tomo seu parte I. pag. 191. & sequentibus.

THEODULPHUS Aurelianensis Episcopus, de quo doctissimè post Bellarminum Labbeus, cui adde operibus à Jacobo Sirmondo editis, carmina quæ sunt in tomo I. Analectorum Joannis Mabillon pag. 376. nec aliud dicendum supereſt de Scriptis Theodulphi.

SEDULIUS natione Scotus de cujus conditione an Episcopus vel Presbyter tantùm fuerit, nihil constat : cautè distinguendus est ab alio Sedulio Poëta, qui floruit circà annum 430. tempore Theodosii II. & Valentiniani III. Imperatorum. De Sedulio doctissimam dissertationem instituit Labbeus occasione Sedulii Senioris, in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis tom. 2. pag. 224. &

seqq. ab illo mutuamus pauca quæ de Sedulio juniore dicenda sunt. Itaque Sedulius junior, Scotus, floruit circa annum 820. de quo Hepidannus Monachus sancti Galli in Annalibus Brevibus ab Andræa Ducheſnio editis tom. 3. Hiſtoricorum Franciæ hæc habet pag. 473. *anno* 818. *Sedulius Scotus clarus habetur.* Scripſit *Collectaneum* ſive *explanationem in omnes Epiſtolas ſancti Pauli*, ex Origene, Euſebio, Hilario Diacono, Ambroſio Ruffino, Joanne Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, Pelagio, Gennadio Conſtantinopolitano, aliiſque Patribus excerptam; imò ex ipſo etiam ſancto Gregorio Papa, cujus verba tranſcripſit tacito ejus nomine ex libro 19. Moralium in Job. cap. 21. ut rectè obſervavit Benedictus Juſtinianus Societatis Jeſu Theologus in 1. ad Corinthios cap. 6. verſu 5. prodiit primò Baſileæ apud Henricum Petri annis 1528. & 1534. tum poſtea in collectionibus & Bibliothecis Veterum Patrum. Hujus auctorem non ſecus ac *Collectanei in Matthæum* eodem filo contexti ac in capita ſeu lectiones 355. diviſi, arbitratur Labbeus loco citato fuiſſe Sedulium illum Scotum Preſbyterum, qui anno 818. florebat, teſte Hepidanno: eidemque tribuenda cenſet quæ Trithemius Sedulio Poëtæ adjudicabat opuſcula, nimirum in *majus volumen Priſciani* in *ſecundam editionem Donati*, *Epiſtolarum ad diverſos* librum unum &c. Addit contra Uſſerium Armachanum Archiepiſcopum Labbeus loco citato pag. 334. Ego verò contra ſentio Sedulium illum collectorum ex ſanctis Patribus Fragmentorum conſarcinatorem ſub Carolo magno, ejuſque filio Ludovico Pio floruiſſe, tum quòd ratio iſta expla-

nandi Codices sacros, sapiat omnino genium sæculi noni, ad quod ab Hepidanno, ut suprà observatum est, refertur. Tum quòd idem videatur auctor catenæ illius seu *Centonis in Paulum* cujus collectaneum *in Evangelium sancti Matthæi* ex diversis Patribus collectum possidet Bibliotheca Collegii nostri Parisiensis, in nitidissimis membranis elegantissimâ manu, & quod à 700. vel 800. annis supereſt descriptum. At in eo citantur non modò sanctus Eucherius, sanctus Leo, Arnobius Junior, Faustus Regiensis, sanctus Gregorius, sanctus Isidorus, Arculfus ubi de locustis quibus vescebatur in deserto sanctus Joannes-Baptista, ac Ven. Beda: sed & ipse Sedulius Poëta ad illa verba, *Et ne nos inducas in tentationem:* Hinc Sedulius egregiè versibus describit dicens,

Non quia nos Dominus, lucis vitæque repertor
In laqueos tentantis agat. &c.

EIGIL Fuldensis Abbas quartus ab anno 818. ad 822. vir pius & sanctus, litteris mandavit *gesta præcipua sancti Sturmii præceptoris sui*, in cujus *discipulatu*, ut ipse in prologo suo affirmat, *plus quàm viginti annos conversatus fuerat*, cui & morienti adfuit. Quin etiam opus suum censuræ Monachorum Fuldensium subjecit non semel. Nam lectionem libri illius, quem de vita supradicti Abbatis & origine Monasterii Fuldensis, Christi gratiâ largiente composuit, Fratribus ad mensam recitari præcepit, teste Candido Monacho in *ipsius Eigilis actis*: quatenus hi eadem mirabilia divinæ operationis audientes, gratias divinæ Majc-

„ ſtati referrent, & omnis jucunditas feſtivitatis
„ ipſius, in ejus laude perſonaret. Edidit illam Chriſtophorus Brovverus in collectione virorum illuſtrium Germaniæ, inde conjectam apud Surium ad diem 17. Decemb. tum denique apud Joannem Mabillon ſæculo 3. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* tom. 2. pag. 267. & ſeqq. de quo idem Mabillon ſæculo 4. *Sanctorum ejuſdem Ordinis* tom. 1. pag. 226. & ſeqq.

CANDIDUS Fuldenſis Ordinis Divi Benedicti Monachus, florebat anno circiter 826. qui ſcripſit carmine & ſoluta oratione *Vitam ſancti Eigilis quarti Abbatis Fuldenſis*, quam primus edidit Chriſtophorus Brovverus Soc. Jeſu Presbyter Theologus anno 1616. Moguntiæ in 4. inſertam *Syderibus Germaniæ*. Eandem habet Joannes Mabillon ſæculo 4. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* tom. 1. pag. 226. & ſeqq.

CLAUDIUS Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, natione Hiſpanus, non Scotus (ut placuit Jacobo Uſſerio Armachano Archiepiſcopo) de quo Labbeus & Bellarminus in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Quibus addo Claudium ſcripſiſſe inſignem Commentarium *in Leviticum* hortatu Theodemiri Abbatis anno 823. quem Ms. habent Benedictini Pariſienſes ſancti Germani à *Pratis*, ex codice ſancti Remigii Remenſis. Item Commentarium in *Evangelium Matthæi*, opus Juſto Carrofenſi Abbati nuncupatum, cujus præfatio jam impreſſa eſt, ſed integrum Ms. in Bibliotheca Cathedralis Laudunenſis. Item expoſitionem in *omnes Epiſtolas D. Pauli*, quarum Epiſtolæ ad Galatas commentarium Dructeranno Abbati Solemniacenſi dicavit, eum verò qui in epiſtolam ad Epheſios

Ephesios ab ipso elucubratus est, Ludovico Augusto inscripsit: habetur autem in 2. voluminibus MSs. Bibliothecæ Floriacensis. Hæc Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 46. ubi multa de scriptis Claudii Taurinensis. Nos etiam vidimus commentarium Claudii in *librum Ruth*, Ms. in Bibliotheca Bonæspei in Hannonia, dum illic MSs. Codices excuteremus De illo Possevinus in *Apparatu sacro*, verbo *Claudius Clemens Scotus*: Aubertus Miræus in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 242. pag. 228.

ADALHARDUS Comes Palatii, filius Bernardi Comitis qui Pippini frater fuit, Caroli autem Martelli majoris Domûs Franciæ nepos, postea Corbeiæ Galliarum Abbas, delegatur Romam ad Leonem Papam cum Bernario Episcopo in causa definitionis de Processione Spiritûs sancti, ut notant Annales Francorum Veteres ac Fuldenses sub annum 809. & Vita Caroli magni auctore incerto. Particeps fuit conjurationis Bernardi Regis Italiæ adversûs Ludovicum Pium Imperatorem, unde in Aquitaniæ partes retrusus apud sancti Philiberti Monasterium secessit. Post hæc revocatus ab exilio anno 822. & Ecclesiæ suæ restitutus, uti testantur Vita Ludovici Imperatoris & Eginardus in Annalibus. Inquit enim ad annum 821. *Adelhardum quoque de Aquitania ubi exulabat, evocatum, Corbeiæ Monasterio ubi prius fuerat, Abbatem ac Rectorem esse jussit, & Bernardum fratrem ejus reconciliatum eidem Monasterio reddidit.* Scripsit *Statuta Corbeiensis Ecclesiæ*, quæ ex Ms. Codice eruta habentur tom. 4. *Spicilegii* Domni Lucæ Dacherii, apud Dionysium Bechet & Ludovicum Billaine Parisiis in

4. anno 1661. Hincmarus Remensis Archiepiscopus Epistola ad Episcopos Franciæ cap. 12. *Senem & Sapientem vocat, Domini Caroli Imperatoris Propinquum, Corbeiæ Abbatem, inter primos Consiliarios, & auctorem libelli De ordine Palatii Regii.* Vitam ejus conscripsit Paschasius Radbertus Corbeiensis Abbas, de quo infrà; decessit verò anno 826. ad diem 2. Januarii. Ab Hildemanno Episcopo Bellovacensi, quem Monachum ipse nutrierat, traditus sepulturæ in Basilica sancti Petri, eóque condecoratus Epitaphio.

Hic jacet eximius meritis, venerabilis Abbas,
Noster Adelhardus, dignus honore senex.
Regia prosapies, Paradisi jure Colonus,
Vir caritate probus, moribus atque fide,
Quem dum sub tumulo recolis, tu quisque viator,
Cerne quid es, quid eris: mors quia cuncta rapit.
Nam post octavas Domini hic carne solutus,
Succedente die Astra petivit ovans.

Plura de sancto Adhelardo clarissimus Paschasius Ratbertus qui Vitam scripsit; atque ex recentioribus Joannes Bollandus in *Vitis Sanctorum* ad diem 2. Januarii, Lucas Dacherius in Prolegomenis ad citatum tomum *Spicilegii*, Joannes Mabillon sæculo 4. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* tom. 1. pag. 306. & seqq.

JOSEPHUS Thessalonicensis Archiepiscopus frater sancti Theodori Studitæ, cum ipso exilium passus est anno Nicephori Logothetæ 7. Christi 809. ut testatur Cedrenus verbis sequentibus: *Anno 7. Imperii Nicephori Theodorus Studiani*

Monasterii Præpositus, ejusque frater Josephus Archiepiscopus Thessalonicæ, cum Platone incluso & reliquis Monachis, se à Communione Nicephori Patriarchæ segregarunt, propter Josephum Oeconomum, quòd is contra leges Constantinum & Theodoram coronasset. Imperator eâ arreptâ occasione jussit contra eos Concilium institui, quod eos & Monasterio & Urbe ejecit. Quâ de re & ipse Theodorus Studites Oratione in sanctum Platonem. *Exilium* (inquit) *jam decretum fuit, & Pater ipse Plato circumscriptus est in unâ quadam Insulâ, ex his quæ ante Urbem sunt: quemadmodum & frater noster in alia quadam valdè aspera, munito quodam carcere ad exilium accedente.* Manserunt autem teste Zonara tres isti, Plato, Theodorus, & Josephus, in exilio usque ad Imperium Michaëlis Rangabi, seu ad annum 811. qui eosdem cum Patriarcha in gratiam reductos, liberos ad propria abire permisit. Hic autem Josephus scripsit *Orationem in exaltationem Crucis Dominicæ*, quam Jacobus Gretzerus tom. 2. De Cruce Græco-latinam edidit, cum Oratione sancti Theodori Studitæ in *Adorationem vivificæ crucis mediâ Quadragesimâ*, ibidem pariter impressâ. Mortuus est circà annum 828. cujus anniversariam memoriam celebrant Græci quotannis die 13. Julii, ut ex Typico sancti Sabæ datur intelligi. Ita Miræus in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 244. pag. 229.

ANSEGISUS Abbas non Laubiensis uti hactenus creditum fuit, sed Fontanellensis seu sancti Vandregisili in Normannia collegit anno 827. *Capitula Caroli Magni & Ludovici Pii ad sæcularem & Ecclesiasticam politiam spectantia lib.* 4. quos Pe-

trus Pithoeus primùm edidit Parisiis anno 1588. in 8, tùm recudendos curavit ibidem anno 1603. Ansegisi exemplo Jacobus Sirmondus Capitula *Caroli Calvi* unum in fascem collegit, & Parisiis anno 1623. edidit in 8. apud Sebastianum Cramoisy viâ Jacobæâ sub Ciconiis. Hæc autem omnia Capitularia cum aliis aliorum Regum plurimis hinc inde Comparatis capitularibus 2. in fol. tomis evulgavit, collatis inter se compluribus MSs. Exemplaribus, Stephanus Baluzius anno 1677. apud Franciscum Muguet, Typographum Parisiensem Regium. Credunt plerique Ansegisum hunc Abbatem fuisse Laubiensem in Cameracensi tractu, persuasi auctoritate Sigeberti qui de eo ita scripsit ad annum 827. *Ansegisus Abbas Laubiensis Edicta Imperatoris Caroli magni & Ludovici Pii ad Ecclesiasticam legem pertinentia in duobus libellis digessit. Item Edicta eorumdem ad mundanam legem pertinentia in duobus æquè libellis digessit.* Sed nullus antiquior Sigeberto reperitur, qui ista referat : imò Fulcuinus vetustus auctor qui originem & historiam Monasterii Laubiensis ante Sigebertum descripsit, veterumque Abbatum Laubiensium seriem dedit, nullam Ansegisi mentionem facit. Neque etiam Ægidius Vaulde qui anno hujus sæculi 1618. Vitam sancti Vrsmari & historiam ejusdem Monasterii vulgavit, collectam ex veteribus monumentis Laubiensibus, vicinarúmque Ecclesiarum & Monasteriorum. Ita exactissimus Baluzius in præfatione ad lectorem præmissâ suis præcitatis Capitularibus num. 39. & 40. ubi ea adjudicat Ansegiso Fontanellensi Abbati, qui floruit sub Carolo magno & Ludovico Pio, mortuúsque est anno 834. 13. Calen-

das Augusti. His addidit Benedictus Levita *Libros tres alios*, ibidem impressos cum variis additionibus tom. 1. pag. 801. & seqq : quorum Epitomen scripserunt *Isaac Lingonensis Episcopus, Herardúsque Turonensis Archiepiscopus*, ibidem pag. 1233. & 1283. itemque in Conciliis nuperæ impressionis tom. 8. *Epitome Isaaci* pag. 598. & *Herardi* ibidem pag. 627. De Ansegiso quem uterque Laubiensem Abbatem scribit, Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 245. pag. 229. cum aliis qui dicta Capitula ediderunt, Sigebertum amplexi in suo Chronico ad annum 827. Plura Joannes Mabillon sæc 4. Sanctorum Ord. D. Benedicti tom. seu parte 1 p. 630. & sequentibus.

VUFINUS BOETIUS Episcopus Pictaviensis clarus temporibus Ludovici Pii Imperatoris circa annum 830. scripsit ad Godolenum Abbatem Nobiliacensem *Vitam sancti Juniani Abbatis Mariacensis*, quam habet Ioannes Mabillon sæculo 1. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 307. quod editum apud Ludovicum Billaine in fol. Parisiis anno 1668. in Palatio Regio.

JESSE Ambianensis Episcopus, à Carolo magno Constantinopolim ad Nicephorum Imperatorem Legatus anno 802. missus fuit & Caroli testamentarias tabulas anno 811. signavit. Longam scripsit *Epistolam Catecheticam ad Sacerdotes, & omnes in sua Diœcesi Christo militantes*, quam Ioannes Cordesius Hincmari Opusculis pag. 664. Lutetiæ Parisiorum anno 1615. editis subtexuit. Obiit autem Jesse anno 836. de quo Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 266, fratres Sammarthani tom. 830.

2. pag. 94. Galliæ Christianæ in Episcopis Ambianensibus.

AMALHARIUS Metensis Diaconus & Abbas in antiquis MSs. Codicibus appellatus, sub cujus nomine extant *Lib.* 4. *De Officiis divinis seu Ecclesiasticis*, anno 827. Iussu Ludovici Pii Imperatoris compositi. Item *Liber unus de ordine Antiphonarii* in Bibliotheca Ss. Patrum editionis Lugdunensis anni 1677. itemque *Libri* 2. *Institutionum seu Regulæ Canonicorum & Sanctimonialium canonicè viventium*, in Conciliis impressionis ultimæ anni 1671. tom. 7. pag. 1307. de quibus Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica Scholio ad caput 3. libelli 4. Honorii Augustodunensis pag. 128. ac post eum doctissimè Labbeus in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis, quibus addo. Item ejusdem Amalharii *Ecloga in Canonem Missæ* tom. 2. Capitularium Baluzii pag. 1352. Itemque *Epistolæ nonnullæ* ad Episcopos, de quibus Stephanus Baluzius in notis ad opera Agobardi tom. 2. pag. 143. quas evulgavit Lucas Dacherius tom. 6. Spicilegii pag. 164. & seqq. Observandum porrò est librum 4. Officiorum divinorum Amalharii non extendi ultra caput XLVII. ut patet ex libro sancti Agobardi adversùs prædictum Amalharium, ubi dum refutat caput ultimum libri quarti, ea refert quæ conveniunt capiti XLVII. ut videre est tom. 2. operum Agobardi per Baluzium pag. 119. Hinc patet *Supplementum* ad libros quatuor Amalharii de Officiis divinis, quod caput XLVIII. inscriptum est tom. 2. Analectorum pag. 96. à Joanne Mabillon impressum; esse assumendum, quod proprio capite his libris adjunxit Ad-

hemarus Monachus Benedictinus; dum hos libros transcribi faceret, ut habet Ioannes Mabillon in Annotationibus pag. 140. nec sanè cohæret hoc Supplementum cum aliis & ultimis horum librorum capitibus, ut legenti clarum est. Itaque hoc Amalharii Opusculum est inscribendum *Supplementum Adhemari ad libros Amalharii de Officiis divinis*, quod conscripsit ex amore singulari in Regulam D. Benedicti quam profitebatur. Floruit & vixit Amalharius Metensis usque ad annum 840.

FROTARIUS Tullensis Episcopus florebat anno circiter 830. qui scripsit *librum Epistolarum ad varios Præsules*, à quibus & alias acceperat, quem ex Ms. Codice Carnotensis Ecclesiæ eductum evulgavit Andræas Ducheſnius tom. 2. Historicorum Franciæ pag. 719. & seqq. qui apud omnes Galliæ Bibliothecas noti sunt. Habetur nomen Frotarii Tullensis Episcopi in Cartulario Arremarensi ad annum 837. de quo Sammarthani fratres in Gallia Christiana tom. 3. verbo *Tullenses Episcopi*.

HILDEMARUS Monachus Gallus, evocatus circà annum 830. à Ramperto Brixiensi Episcopo in Italiam, cui & Leutgario Abbati commisit sanctorum Faustini & Iovitæ Ecclesiam, in qua Sacra neglecta erant, restituendam ad severioris vitæ normam. Scripsit *insignem commentarium in Regulam sancti Benedicti*, Ms. in Bibliotheca sancti Benigni Divionensis, quem habet editioni paratum Ioannes Mabillon, ut ait tom. 2. Analectorum pag. 84. Hic autem Commentarius eo quod in Monasterii Cassinensis Bibliothecâ à multis temporibus conservaretur, Paulo Diacono

Cassinensi Monacho à sexcentis annis adscriptus est, primùm à Leone Marsicano Cardinale in Chronico Cassinensi lib. 1. cap. 15. tum à Petro Diacono & Bernardo Cardinale & Abbate Cassinensi & aliis : quamvis viri doctissimi nostro tempore Benedictus Haeftenus & Angelus de Nuce Abbas Cassinensis, istud opus Paulo Diacono meritò abjudicent, imò idem Ioannes Mabillon tom. 4. Analectorum pag. 638. asserit vidisse se opus istud Ms. in Bibliotheca Monasterii Augiensis seu Augiæ divitis in Germania cum hoc Lemmate : *Incipit expositio Basilii Abbatis, super Regulam sancti Benedicti Abbatis primitus.* Sed auctori suo legitimo reddit codex Ms. Divionensis, & in pluribus MSs. Gallicanis expositio hæc Hildemaro tribuitur, favetque *Epistola ipsius Hildemari ad Ursum Episcopum Beneventanum*, quæ in expositione capitis 38. Regulæ integra refertur. vixit Hildemarus usque ad annum 840. ut credimus : de quo Ioannes Mabillon locis citatis.

THEOSTERICTUS sancti Niceteæ Confessoris & Hegumeni Medicensis in Bythinia discipulus, scripsit *Vitam Magistri sui* anno 824. mortui, paucis post mortem annis, quam græcè & latinè habes apud Bollandistas ad diem tertiam mensis Aprilis.

HATTO sive HETTI vel HETTO, Basileensis Episcopus, unà cum aliis aliquot Nobilibus viris, jussu Caroli Magni ad Nicephorum Constantinopolitanum Legationem obiit anno 811. ut in Annalibus Francorum legitur, quos Petrus Pithoeus edidit. Hac occasione Hodoeporicon, sive Itinerarium contexuit, quo iter à se in Græciam

susceptum descripsit, quod lapsu temporum interiit. Scripsit quoque *Librum de Visionibus, sive de Vita Vvettini Monachi*, quam Visionem expressit Carmine heroico Vvalafridus Strabus anno 825. Utrumque autem Opus impressum à Joanne Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 1. pag. 263. & 272. Item longè antea Opus Hattonis prosaicum *de Visione Vvettini Monachi* impressum fuerat, cum Visionibus sanctæ Mechtildis Abbatissæ, Hildegardis, & aliorum Visionariorum, Parisiis in fol. anno 1513. ex officina Henrici Stephani, de quibus ad annum 1300. *in sancta Mechtilde* dicemus. Edidit item *Capitulare* quod impressum extat ad calcem tomi 6. Spicilegii Lucæ Dacherii in Conciliis ultimæ editionis Parisiensis anni 1671. tomo 7. p. 1522. Obiit Hetti seu Hatto anno 836. in Augiensi Monasterio prope Constantiam ad Rhenum, in quo primùm Abbas fuerat, reversus ad suam solitudinem, ut Hermannus Contractus in Chronico testatur: de quo Aubertus Miræus in Auct. *De Script. Ecclesiast.* capite 249. pag. 229. Lucas Dacherius in prolegomenis ad 6. tomum Spicilegii, Joannes Mabillon loco citato.

THEGANUS Trevirensis Ecclesiæ Corepiscopus sub clarissimis Archiepiscopis Amalhario, Fortunato, & Hertone seu Hetti, ibidem gratiâ prædicationis variisque dotibus floruit ab anno circiter 810. ad 840. Scripsit autem unum librum *de gestis Ludovici Pii*, quem Andræas Ducheſnius tomo secundo Historicorum Franciæ veterum inseruit, qui continet gesta tantùm dicti Imperatoris usque ad annum 837. unde credere est vel manuscriptum Codicem mutilum fuisse, vel Auctorem non vi-

xisse ultra hunc annum. De illo plura Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 250. pag. 230. Duchesnius loco citato, Sammarthani fratres in Gallia Christiana tom. 1. pag. 720. ubi de Episcopis Trevirensibus.

AGOBARDUS natione Gallus, Ecclesiæ Lugdunensis Corepiscopus primùm fuit sub Leidrado, & Canonum Gallicanorum acerrimus propugnator sub Ludovico Pio & Lothario Imperatoribus. Rexit cedente viro clarissimo Leidrado, Metropolim Lugdunensem ab anno 813. cujus electionem declarat Ado cùm in Chronico ait: *In loco ejus.* (Leidradi) *Agobardus ejusdem Ecclesiæ Corepiscopus, consentiente Imperatore & universâ Gallorum Episcoporum Synodo, Episcopus substitutus est: quod quidam deffendere volentes dixerunt, eundem venerabilem Agobardum à tribus Episcopis in Sede Lugdunensi, jubente Leidrado fuisse ordinatum. Sed canonica auctoritas est, in una Civitate duos Episcopos non esse, nec vivente Episcopo, successorem sibi debere eligere; ac idcirco illâ quâcumque causâ Regulæ Ecclesiasticæ præteriri in tanto ordine fixæ, non debent.* Adfuit Agobardus Concilio apud Attiniacum celebrato anno 822. & alteri Lugdunensi 828. Fuit etiam de numero illorum Episcoporum qui Ludovicum Imperatorem anno 833. apud Compendium Palatium indignè habuerunt, quòd ob crimen sententiam passus est an. 835. in Concilio Theodonis-Villæ, ubi Ebbo Remensis de suo gradu dejectus est. Tandem anno 836. Conventus apud Stramiacum in Pago Lugdunensi fieri cœptus, in quo ventilata est causa Ecclesiarum Lugdunensis & Viennensis vacantium, quæ absentibus reis Episcopis peragi non

potuit. Eos autem in gratiam postea rediisse cum Ludovico, & Ecclesias suas recepisse, docet Ado in Chronico: *Ambo* (ait) *postmodum piis Imperatoribus agentibus, Agobardus Lugdunensem & Bernardus Viennensem Sedem recepit; post paucos annos Agobardus apud Santonas in Expeditione Regia positus defungitur.* Quod accidisse volunt quidam anno 840 vel sequenti. Scripsit plures tractatus breves seu opuscula, quæ summis curis collegit, Annotationibusque illustravit Stephanus Baluzius, impressa 2. tomis in 8°. anno 1666. apud Franciscum Muguet, Parisiis sub signo trium Regum. Adjunxit Operibus Agobardi tom. 2. ad calcem, Epistolas Leidradi & Opuscula Amolonis, Lugdunensium itidem Archiepiscoporum inter sanctos Lugdunenses Confessores 8. Id. Junii memoria ejus anniversariis honoribus colitur in fastis Ecclesiæ Lugdunensis, ejusque vita amplior legitur apud Theophilum Raynaudum in *suo Indiculo Sanctorum Lugdunensium.* Plura de Agobardo ejusque Scriptis Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 240. pag. 228. Sammarthani fratres in *Gallia Christiana* tomo 1. pag. 301. & 302. ubi *De Archiepiscopis Lugdunensibus*, Stephanus Baluzius in præludiis ad suam editionem Operum Agobardi, & alii quos brevitatis causâ omittimus.

MODOINUS Augustodunensis Episcopus claruit temporibus Ludovici Pii Imperatoris, à quo privilegium obtinuit anno Imperii sui secundo, Christi Domini 816. quod refertur in Gallia Christiana fratrum Sammarthanorum, ubi de Episcopis Æduensibus: adfuitque Concilio apud Theo-

donis Villam anno 835. ubi Ebbo Remensis Episcopus depositus est, lataque sententia dejectionis in alios absentes. Scripsit *Epistolam Elegiaco Carmine* ad Theodulphum Aurelianensem Episcopum, quam edidit Henricus Canisius tom. 6. Antiquarum Lectionum. Mortuus circa annum 839. vel 840. de quo agunt dictus Canisius & Sammarthani locis citatis.

840. JONAS Episcopus Aurelianensis, Theodulphi successor ab anno circiter 822. floruit imperante Ludovico Pio, scripsit varia, de quibus sufficient Bellarminus & Labbeus loco sæpius allegato, quibus adjicio eundem Jonam scripsisse *libros tres De institutione Laicali* immixtos tomo primo Spicilegii Lucæ Dacherii impresso in 4°. Parisiis anno 1655. apud Dionysium Bechet. Item *Viam Regiam* tom. 5. ejusdem Spicilegii pag. 57. cum Via Regia Smaragdi Abbatis ibidem pag. 960. Hic Auctor cautè legendus est, quoniam laborat eodem errore, quo Agobardus & reliqui ejus ætatis Galli, qui negabant sacris Imaginibus ullum deberi cultum religiosum, Qua de re Anastasium Bibliothecarium lege præfatione in septimam Synodum. Ita Bellarminus in Catalogo. Obiit Jonas anno 843. de quo plura apud Labbeum citatum, & Sammarthanos fratres in Gallia Christiana tom. 2. verbo *Aurelianenses Episcopi.*

ARDO, SMARAGDUS dictus, Cœnobii Anianæ in Septimania Diœcesis Magalonensis Monachus, Discipulus sancti Benedicti Anianæ Abbatis, scripsit *Vitam sui Magistri*, quam è tenebris eruit, præmisitque Concordiæ Regularum ejusdem Benedicti, Hugo Menardus Monachus Benedictinus ex Congregatione Sancti Mauri in Gallia, de

quo vide supra ad annum 820. quam etiam habes recusam apud Bollandistas ad diem 12. Februarii; & tertiò apud Joannem Mabillon tom. 1. sæculi quarti Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Obiit Ardo Smaragdus anno 843. die 7. Martii, de quo qui plura cupit, volvat dictum Hugonem Menardum loco indicato, & Joannem Mabillon tom. 2. Analectorum pag. 418. ubi fusè de Smaragdo Ardone & altero sequenti.

SMARAGDUS Abbas Sancti Michaëlis ad Mosam in Lotharingia, Episcopatus Virdunensis multa scripsit, de quibus agunt doctissimè Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cui addere aliquid omninò superfluum, excepto Opusculo Smaragdi, quod *Viam Regiam* inscripsit, insertam tom. 5. Spicilegii Lucæ Dacherii pag. 960. quam Labbeus nondum editam ignoravit. Qui voluerit plura, legat Aubertum Miræum in Bibliotheca Ecclesiastica Scholio ad caput 6. libri quarti Honorii Augustodunensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 128, Labbeum citatum supra, Joannem Mabillon tom. 2. Analectorum pag. 418. & seqq. ubi prolixè de Scriptis utriusque Smaragdi. Claruit sub Ludovico Pio Imperatore circa annum 840. & sequentes, ut constat ex Chronico Monasterii sancti Michaëlis ad Mosam antiquo, quod edidit Joannes Mabillon in citatis Analectis suis.

METHODIUS Patriarcha Constantinopolitanus, quem doctrinâ ac moribus insignem anno 842. dignitate ista auctum fuisse, Cardinalis Baronius narrat in Annalibus ad annum 842. num. 11. & seqq. de quo etiam anno 843, num. 1. & seqq. cujus Scripta à multis antiquitatem plus æquo aman-

tibus, attributa sunt alteri Methodio Patarensi Episcopo, quem seniorem appellamus. Hujus junioris Methodii sunt Orationes. Prima *De Simeone & Anna, quo die Domino in templo occurrerunt, ac de sanctissima Deipara*, quam tanto æstu seniori Methodio asserere conatur Franciscus Combefis. Secunda *In Ramos Palmarum* græcè & latinè impressa, inter Opera senioris Methodii, de quo suprà. Tertia, *Encomium sancti Dionysii Areopagitæ & Martyris*, quod græcè & latinè legitur ad calcem operum Divi Dionysii Areopagitæ, Antuerpiæ & Parisiis in fol. sæpe impressorum. Quarta, *Encomium sanctæ Agathæ Virginis & Martyris*, latinè tantùm impressum in Bibliotheca Sanctorum Patrum Concionatoria Franciscí Combefis, sed græcè Ms. Venetiis in Sancti Marci Bibliotheca, ut ait dictus Combefis pag. 50. Apparatus sui ad Bibliothecam Concionatorum. Obiit Methodius Constantinopolitanus Archiepiscopus anno 847. die 14. Junii, ut habet Baronius ad an. 847. num. 32. & in Martyrologio ad diem 14. Junii, de cujus Scriptis Aubertus Miræus in *Auctario suo de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 263. pag. 230. Leo Allatius & Jacobus Goar Ordinis Fratrum Prædicatorum in *Euchologio*, Franciscus Combefis in Auctoribus recensitis seu Apparatu ad Bibliothecam Concionatorum, verbo *S. Methodius Patriarcha Constantinopolitanus* pag. 50.

ERMANRICUS seu ERMENRICUS, primùm Monachus, postea Elevvangensis Abbas Monasterii in Diœcesi Augustana, quod medio sæculo decimo ad Canonicos vertisse dicitur. Scripsit *Vitam sancti Soli* eo tempore, quo HRabanus Maurus Abbas præerat Fuldensi Monasterio, ut pa-

tet ex capite sexto, ac proinde ante annum 847. quo HRabanus Maurus Sedi Moguntinæ impositus est. Hermanicus Fuldæ Litteris operam dedit sub Præceptore Rudolfo Monacho, cui hanc lucubrationem dedicat, quam primus edidit Henricus Canisius tomo quarto Antiquæ Lectionis, ac post eum Joannes Mabillon tomo secundo sæculi tertii Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 429. & sequentibus. Hic etiam ornavit seu interpolavit *Vitam sancti Magni seu Magnoaldi*, qua de re idem Joannes Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti ad annum 665.

AMULO sive Amulus Agobardo in Lugdunensi Pontificatu suffectus, inquit Codex Ms. S. Benigni Divionensis. *In Lugdunensi Pontificatu sanctæ memoriæ Agobardus Lugdunensis Episcopus obiit 8. idus Junii, Amulo præfati Episcopi Diaconus ordinatur Episcopus Lugdunensis 17. Kalendas Februarii.* Variant in ejus appellatione MSs. Codices, nam antiqua Capitularia Regis Caroli Calvi ad annum 846. *Amalonem* legunt, alia ut Ado Viennensis & fragmentum antiquum historiæ Franciæ *Amulonem*, Flodoardus lib. 3. historiæ Remensis cap. 21. *Amolum* vocat. Ei scribit Vvenilo seu Guenilo Senonensis Archiepiscopus, quem clarissimum Præsulem indigetat, apud Lupum Ferrariensem Abbatem Epist. 81. ubi agitur de negotio Augustodunensis Ecclesiæ, ac præficiendo ipsi Antistite Berno; & consecratione Godelsadi in Episcopum Cabilonensem: & in altera *ad Theobaldum Episcopum Lingonensem*, Agobardum nominat pium patrem, antecessorem ac nutritorem suum Amulo Episcopus. Hujus opera impressa cum Agobardo tomis 2. in 8. Parisiis

apud Franciſcum Muguet anno 1666. curâ & ſtudio Stephani Baluzii. Sunt autem 1°. *Liber in formam Epiſtolæ ad Godeſchalcum vel adverſus eum*, cujus libri 1°. pars tom. 2. pag. 149. & cujus altera ſeu continuum (quod benè notandum eſt) ſpeciale opuſculum inſcribitur ſeu ſecundum pag. 179. incipiens *gratiam itaque Dei credere debemus.* Ita ſenſit clariſſimus Præſes Gilbertus Mauguinus in Vindiciis ſuis prædeſtinationis & gratiæ, ac poſt eum Stephanus Baluzius loco citato in notis pag. 130. unde in Ms. Codice quo uſus eſt Sirmondus, hoc prætenſum opuſculum ſequebatur dictam primam partem abſque titulo novo; & cum ſeparatione modicâ. Nam *primum opuſculum* pag. 172. eſt Sermo quem Florus Lugdunenſis de prædeſtinatione fecit, ut benè monent idem Mauguinus diſſertationis cap. 22. & Baluzius locis citatis. Item *Collectaneum ſententiarum ſancti Auguſtini de prædeſtinatione & gratia Dei & de libero hominis arbitrio*, pag. 189. & ſeqq. quas probabile pluſquam eſt ab eodem Amulone contra Godeſchalcum collectas 3. *Liber contra Judæos* incipiens, *Deteſtanda Judæorum* &c. quem ſub nomine Rhabani Mauri, cum aliis Fulgentii & aliorum Patrum operibus evulgavit Petrus Franciſcus Chifflet Divione anno 1656. apud viduam Philiberti Chavancé, eſt certò noſtri Amulonis, cui eum attribuit Joannes Trithemius, & Codex Ms. Bibliothecæ Colbertinæ, ut mihi fidem fecit Baluzius. 4. *Epiſtola ad Theobaldum Lingonenſem Epiſcopum*, dicto tom. 2. operum Agobardi pag. 135. Sedebat adhuc anno 848. quo damnatus Godeſchalcus. Vide Flodoardum libro tertio capite vigeſimo primo, Epiſtolam 163. Joannis

nis VIII. Sublatus est circa annum 850. die 31. Martii.

ALTFRIDUS Episcopus Monasterienſis tertius factus anno 839. claruit doctrinâ & moribus, *Vitam ſancti Patris Ludgeri primi Monaſterienſis Epiſcopi* aggreſſus ſcribere, quam duobus libris complevit: *Quatenus tam veneranda illius exempla multis ad ædificationem proficerent, nefas putans tanti viri latere virtutes*, inquit in prologo Vitæ iſtius, quam edidit Bollandus ad diem 26. Martii, & Joannes Mabillon ſæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 1. pag. 15. & ſequentibus. Eſt autem cautè diſtinguendus iſte Altfridus, qui obiit anno 849. die 22. Aprilis, ab alio Altfrido Epiſcopo Hildesheimenſi, qui iſto etiam ſæculo floruit, cujus elogium texuit Joannes Mabillon ſæculo quarto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 259.

PASCHASIUS RATHBERTUS Corbeienſis Abbas, de quo Bellarminus & Labbeus. Hujus operibus à Sirmondo editis atque à Labbeo recenſitis adde *Opuſculum De Partu Virginis* lib. 2. tom. 12. Spicilegii à Luca Dacherio evulgati, pag. 1. & ſeqq. Itemque *Vitam ſancti Vualæ Comitis & Abbatis Corbeienſis*, ſub titulo *Epitaphii Arſenii*, quod edidit ex manuſcripto Codice ſancti Martini de Campis Joannes Mabillon, ſæculo 4. tomo 1. paginâ 453. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Plura de ſancto Paſchaſio apud Labbeum citatum, & ſæculum quartum dicti Joannis Mabillon tom. 2. pag. 122. Galliam Chriſtianam fratrum Sammarthanorum tomo 4. de Abbatibus Corbeienſibus, Sirmondum in præludiis ad Opera ejus à ſe edita Pariſiis, & alios.

850. HAIMO Discipulus Alchuini cum Rhabano Mauro, & ex Monacho Fuldensis Cœnobii Hirsfeldensis Abbas; & Ecclesiæ Halberstatensis in Saxonia Episcopus, de cujus Scriptis, eorumque impressionibus variis, abunde Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino agnitis tom. 1. pag. 417. & in addendis & corrigendis pag. 788. His addo *Libellum de Corpore & Sanguine Domini*, tom. 12. Spicilegii Dacheriani pag. 27. apud Ludovicum Billaine, in 4°. Parisiis anno 1675. in aula Palatii. Obiit anno 853. die 27. Martii, de quo plura Joannes Mabillon sæculo quarto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 1. pag. 618.

Lupus Ferrarienſis Abbas, de quo Bellarminus & Labbeus ad plenum, quibus addo omnia hujus Lupi Opera cum Annotationibus egregiis edita curis Stephani Baluzii in 8°. Parisiis anno 1664. apud Franciscum Muguet, viâ Citharæ, sub signo Adorationis trium Regum. Extant ejusdem Lupi Sermones Mss. aliqui Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti Cod. 284. quorum unus *de incursu Danorum ad Anglos*. Item unus *in festivitate sancti Judoci* in Bibliotheca Lumleii Codice 165 De quibus libro 2. pag. 45. Eclogæ Oxonio-Cantabrigienſis, Londini in 4°. anno 1600. Impressæ apud Joannem Norton. De illo plura apud Aubertum Miræum in *Auctario* suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 247. & 268. & in Scholio ad caput 94. libri Sigeberti *De viris illustribus* pag. 145. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, ubi malè distinguit in Lupum Servatum Moguntinensem Presbyterum, & Lupum Ferrarienſem Ordinis Divi Benedicti Abbatem, unum eundem-

que hominem. Immò Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Lupus*, ex uno & eodem Auctore tres constituit: nempe Lupum, qui *De rebus sancti Maximi Trevirensis Episcopi* scripsit, alterum Ferrariensem Abbatem, quem gratis & absque vero Episcopum instituit, eò quòd certis Conciliis Episcoporum interfuerit, appellatus ob eminentem scientiam, etsi nusquam Insulas habuerit: & tertium Servatum Lupum Moguntiacensem Presbyterum. Sammarthani de eodem, tomo quarto Galliæ Christianæ, in Abbatibus Ferrariensibus.

VVANDALBERTUS Prumiensis in Archiepiscopatu Trevirensi Monachus & Diaconus, scripsit metrico stilo (ut Sigebertus in Catalogo capite 128. loquitur) hoc est versu heroico *Martyrologium*, circa annum 853. ad Otricum illustrem Clericum, quod Joannes Molanus anno 1568. Lovanii cum Martyrologio Usuardi evulgavit: quodque falso titulo *Ephemeridum Bedæ* extat etiam tom. 1. Operum hujus Auctoris; illud denique ex manuscripto Codice editum à Luca Dacherio tomo 5. Spicilegii pag. 305. Scripsit & *Vitam sancti Goaris*, quam habes apud Surium editam die 6. Julii, & sæculo 2. Sanctorum Ordinis sancti Benedicti pag. 275. & alios. Florebat anno 855. quo Lotharius Imperator in eodem Cœnobio mortuus est. De quo plura Joannes Bollandus in præludiis ad suum Opus de Sanctis, dum de Martyrologiis agitur; Lucas Dacherius præludiis suis ad tomum 5. Spicilegii, Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 316. pag. 239. & in Scholio ad caput centesimum & vigesimum

octavum Sigeberti *De Viris illustribus*, pag. 149.

FLORUS Lugdunensis Ecclesiæ Diaconus, quem sæpe manuscripti Codices *Magistrum Florum* appellant, quòd forsitan ejusdem Ecclesiæ Scholis præfuerit, vir doctus & eruditus, Agobardi & Amulonis Archiepiscoporum temporibus celebris fuit. Collegerat ingentem manuscriptorum Codicum multitudinem, cujus ope ac subsidio se præcipuè usum fatetur Vvandalbertus Diaconus in præfatione metrici sui Martyrologii, ad Otricum illustrem Clericum. *Sancti & nominatissimi viri Flori Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi, qui ut nostro tempore re vera singulari studio & assiduitate in divinæ Scripturæ scientia pollere; ita Librorum autenticorum non mediocri varietate & copiâ cognoscitur abundare.* Breve quidem, sed & insigne hoc Flori elogium, cui favet & contemporaneus Auctor nobilis Vvalafridus Strabo in Carmine ad Agobardum, ubi hæc inter cætera Florum nostrum eximiè commendantia leguntur.

At de Flore novo, qui vos penes ortus, odorem
Prodit ubique sui, hæc loca rumor alit.
Flora venit quondam, dum singula quæque Deorum
Sunt afflata jugis prata, thymumque gerens.
Huic Floro melius sententia Christicolarum
Attribuit quicquid dogmate & ore viret.
Nam hic Florus florem sequitur de germine Jesse,
Et tradit quod amans attulit ille homini.
Quæ tam segnis erit, donis ingrata supernis,
Quæ se hoc non sponte nectare pascat apis?

Floreat haud flaccens hic flos, & florea fragrans
Spiramenta ferat, semper ubique Deo.
Donec in Astriferas porrecta cacumina sedes
Erigat, & fructum jam sine fine habeat.

Cùm autem juxta Divinam Incarnati Verbi Sapientiam, in ore duorum vel trium testium stet omne verbum : ex testimoniis tam luculentis insignium virorum Vvandalberti ac Vvalafridi, tam uberem doctrinam, quàm probitatem Flori notissimam habemus. Scripsit autem varia, ac primùm *Commentarium in Epistolas sancti Pauli ex* XIV. *Patribus*, nimirum ex Cypriano Carthaginensi, Hilario Pictavensi, Ambrosio Mediolanensi, Paciano Barcinonensi, Theophylo Alexandrino, Gregorio Nazianzeno, Ephrem Diacono, Leone Romano Pontifice, Cyrillo Alexandrino, Fulgentio Ruspensi, Paulino Nolano, Avito Viennensi Episcopo, & aliis, quod ex manuscripto Codice Carthusiæ majoris à Francisco Chiffletio Presbytero Soc. Jesu fideliter transcriptum, & prælo proximum obtulit, deditque Domno Lucæ Dacherio Monacho Benedictino S. Germani de Pratis Parisiensibus, ut habet Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 12. Item *aliud Commentarium in easdem sancti Pauli Epistolas ex puris & solis verbis Divi Augustini*, ut tradit Sigebertus in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 92. quod hucusque inter Opera Venerabilis Bedæ, & sub ejus nomine impressum est, quamvis sit Flori Lugdunensis: ut speciali Dissertatione enuntiat eruditus Joannes Mabillon tom. 1. citato Analectorum pag. 12. & seqq. Item *Librum De Prædestinatione contra Joannis Scoti erroneas*

Definitiones, ut tradit Matthæus Vueſtmonaſterienſis ad annum 883. quem accuratiſſimè edidit Gilbertus Mauguin Præſes Monetæ Pariſienſis anno 1650. tom. 1. Vindiciarum Gratiæ & Prædeſtinationis pag. 575. & ſeqq. *cum Sermone ejuſdem Magiſtri Flori de eadem materia*, eodem tomo pag. 21. Item *Commentarium in Canonem Miſſæ*, cujus manuſcripta exemplaria in variis Bibliothecis, ſed duo in Bibliotheca ſereniſſimæ Reginæ Sueciæ Chriſtinæ num. 927. & 1348. ex quibus ſuppleri poſſunt multa quæ in editis deſunt, ut ait Joannes Bona S. R. E. Cardinalis lib. 2. Liturgicarum rerum cap. 14. paragr. 1. pag. 643. Item *Martyrologium* quod hucuſque ſub nomine Bedæ evulgatum eſt, inter cujus etiam Opera legitur. Sed quod Bollandiſtæ Antuerpienſes Societatis Jeſu Presbyteri, reſtituerunt Floro ex manuſcriptis variis, collocaruntque ad frontem tomi 2. menſis ſui Martii, magno Litteratorum commodo. Item *Collectionem ex Lege & Canonibus de Coërcitione Judæorum, & auctoritate & firmitate judicii & teſtimonii Epiſcoporum*, quam evulgavit Lucas Dacherius tom. 12. Spicilegii, pag. 48. de qua loquitur Fr Chifflet in Notis ad Ferrandum Diaconum pag. 272. & 273. adde *Collectionem de Electionibus Epiſcoporum*, quam habet Stephanus Baluzius tom. 2. ſui Agobardi pag. 254. Scripſit etiam *Carmine aliquot Pſalmos, Hymnos & Epiſtolas*, quæ ſunt edita ſub nomine Drepanii Flori in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Lugdunenſis anni 1677. tomo 8. pag. 667. & ſeqq. ſapiuntque poëſim noſtri Lugdunenſis Flori, cujus etiam tempus indicat Epiſtola ad Modoinum Auguſtodunenſem Epiſcopum. Item *va-*

ria Carmina apud Joannem Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 388. & seqq. quibus adde *aliud Carmen ad Moduinum* in Collectione variorum Epigrammatum typis Morellianis, edita Parisiis anno 1550. incipiens ab his verbis,

Solvo, Pater, profluas hilari de pectore grates,
Quòd reseras Floro labra benigna tuo.

Item aliud *De titulo Altaris in persona Agobardi*, quod retulit Sirmondus in Notis ad Theodulfum Aurelianensem, de quibus idem Mabillon ibidem. Plura de Floro omnes qui ejus nonnulla Opuscula in publicum ediderunt, quos supra retulimus; Aubertus Miræus in Scholio ad caput 92. Sigeberti *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo 9. parte 1. pag. 220.

RHABANUS MAURUS Moguntinensis Archiepiscopus multa scripsit, quæ undique comparata ex Schedis Jacobi Pamelii, operâ & studio Georgii Colvenerii Academiæ Duacenæ Cancellarii, sex tomis in fol. Coloniæ typis Antonii Hierat anno 1627. edita prodierunt; de quo Bellarminus & Labbeus, quibus hæc pauca addimus annotantes

Quæstiones Canonum Pœnitentialium ad Heribaldum lib. 3. Itemque de Virtutibus & Vitiis, de peccatorum satisfactione & remediis sive pœnitentiis lib. 3. qui leguntur tom. 5. Operum Rhabani, spectare ad Halitgarium Cameracensem Episcopum, ac inscribi ad Ebbonem Remensem Archiepiscopum, quo nomine habentur tomo 5. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii, ut rectè annotat Stephanus Baluzius appendice ad Reginonem, *De Ecclesiasticis Disciplinis*, in præfatione ad Epi-

ſtolam Rhabani ad Heribaldum paginâ 449. *Commentarius etiam in Regulam Divi Benedicti*, non eſt Rhabani, ſed Smaragdi vel Abbatis ſancti Michaëlis ad Moſam in tractu Virdunenſi, vel Monachi Anianenſis ſub Benedicto Abbate ejuſdem loci, quam quæſtionem definire non eſt noſtri ingenii, ob probabiles ad utramque partem aſſertionis rationes. Tractatus etiam *adversùs Judæos*, quem cum aliis Operibus veterum Patrum Franciſcus Chifflet in 4°. evulgavit Divione anno 1656. non eſt Rhabani, ſed Amulonis Lugdunenſis Archiepiſcopi, ut ſupra in Amulone diximus. Poſſunt autem ſubſtitui in locum iſtorum indubia Rhabani Opera, quæ Colvenerius non habuit, alibi poſtmodum impreſſa: nempe *Liber de Computo Eccleſiaſtico ad Marcharium*; quem evulgavit tom. 1. Miſcellaneorum Baluzius Pariſiis anno 1678. apud Franciſcum Muguet. Item Opuſcula duo, *Unum de Corepiſcopis*, *alterum de Reverentia filiorum erga parentes*, edita ab eodem Baluzio in ultima editione Operis Petri de Marca Pariſienſis Archiepiſcopi, *De jure Sacerdotii & Imperii*, apud Franciſcum Muguet Pariſiis in fol. anno 1669. tomo 1. pag. 285. & ſeqq. Opus verum ſeu *Epiſtola Rhabani ad Heribaldum Autiſſiodorenſem Epiſcopum*, evulgata ab eodem Baluzio in ſui Reginonis Appendice pag. 465. apud eundem Muguet anno 1671. Pariſiis in 8°. cujus etiam nævos aliquot ſeu lacunas ex manuſcripto Codice corrigit Joannes Mabillon tomo 1. Analectorum pag. Item Epiſtolæ tres *De prædeſtinatione Dei*, 1. *Ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum*. 2. *Ad Notingum Veronenſem Epiſcopum*. 3. *Ad Eberardum Comitem in Italia*, quas

in 4°. publici juris fecit Jacobus Sirmondus Parisiis anno 1647. apud Sebastianum Cramoisy. *Aliæ duæ* quæ leguntur in Conciliis ultimæ impressionis Parisiensis anni 1671. tomo 8. pag. 1845. cum altera quam habet Stephanus Baluzius in Capitularibus Regum Franciæ tom. 2. pag. 1378. Si quis plura cupit de Rhabano, adeat præter Labbeum supra citatum, Georgium Colvenerium in præludiis ad Opera illius impressa, ubi Vita Rhabani à Rodulfo Monacho & Joanne Trithemio, cum variis aliorum testimoniis; itemque Bollandum in Vitis Sanctorum ad diem 4. Februarii, Joannem Mabillon sæculo 4. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* tom. 2. pag. 1. & seqq. Natalem Alexandrum in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo 9. parte 1. pag. 224. & parte 2. pag. 575. Dissertatione speciali, quæ xj. est.

ALVARUS Cordubensis florebat in Hispaniâ anno 859. quo Martyrium passus est sanctus Eulogius, cujus *Agonem* descripsit idem Alvarus Eulogii amicus & familiaris, tormentorum oculatus testis. Habetur hoc opusculum cum *Epistola* ejusdem Alvari *ad eundem Eulogium*, impressum cum Operibus sancti Eulogii Martyris, de quibus Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Sanctus Eulogius Episcopus & Martyr* tomo 1. pag. 527. Eadem Opera immissa etiam in Collectaneum Hispaniæ illustratæ, atque in Bibliothecam Veterum Patrum; ac quantum ad Martyrium sancti Eulogii, legitur etiam apud Surium & Bollandum ad diem 11. Martii tom. 2. pag. 89.

VVALAFRIDUS Strabo seu Strabus, ex Monacho sancti Galli Abbas Augiæ Divitis seu Majoris in Diœcesi Constantiensi ad Rhenum, quem

multi distinguunt à Strabo Fuldensi Monacho qui Glossæ ordinariæ primus auctor fuit, scripsit multa de quibus abundè Bellarminus & Labbeus. His addo *Vitam sancti Othmari Abbatis* à Vvalafrido Strabo compositam iterùm haberi sæculo 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 2. pag. 153. Itemque *Vitam sancti Blaitmaci Abbatis Hijensis* ibidem tom. 2. pag. 439. quæ etiam tom. 6. Antiquarum lectionum Henrici Canisii & apud Bollandum ad diem 19. Januarii. Item scripsit *carmine Visionem Vvettini Monachi*, quam ex Ms. Cod. erutam inseruit Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 1. pag. 272. & seqq.

Prudentius cognomine Galindus, natione Hispanus, dignitate Tricassinus in Campania Episcopus fuit. Appellatur sanctus in Ecclesia Trecensi, cujus festum quotannis eâ in Ecclesiâ die 6. Aprilis celebratur. Interfuit Concilio Parisiensi anno 846. Turonensi IV. anno 849. Suessionensi II. anno 853. Extat ad ipsum Epistola Lupi Ferrariensis Abbatis Ixiii. cujus etiam meminerunt Rhabanus, Hincmarus, & Flodoardus. Scripsit prolixum *tractatum de Prædestinatione contra Joannem Scotum Erigenam*, seu *librum Joannis Scoti Erigenæ de Prædestinatione* correctum ab ipso Prudentio, quem edidit Gilbertus Mauguin tom. 2. Vindiciarum prædestinationis & gratiæ pag. 191. & seqq. Item *collectaneum de tribus epistolis ad Hincmarum Remensem, & Pardulum Laudunensem Episcopos*, editum ad calcem historiæ Gotteschalci Prædestinatiani pag. 425. quam scripsit Ludovicus Cellot Parisinus Soc. Jesu Presbyter, impressam Parisiis in fol. anno

1655. apud Sebastianum Cramoisy Regium Typographum viâ Jacobæâ sub Ciconiis. Item *tractoriam Epistolam adversus* 4. *Capitula Conventus Carisiacensis*, editam tom. 2. Vindiciarum prædestinationis & gratiæ pag. 176. Hæ autem vindiciæ editæ curis Gilberti Mauguini Monetarum Præsidis in Curia Parisiensi, 2. tomis in 4. anno 1650. apud Joannem Billaine Parisiis viâ Jacobæâ sub signo Divi Augustini. Item *brevem Epistolam* ad quemdam Episcopum fratrem suum, quæ tom. 4. Analectorum pag. 324. Obiit Prudentius secundum Annales Bertinianos anno 861; die 6. Aprilis, de quo plura apud dictum Gilbertum Mauguin qui potiora illius opera Litterario orbi obtulit, Bollandistas ad diem 6. Aprilis, Sammarthanos fratres in Gallia Christiana tom. 3. *in Trecensibus Episcopis*.

RATRAMNUS Monachus Corbeiensis veteris in Gallia, claruit sub Ludovico Pio & Carolo Calvo Galliarum Regibus, discipulus Paschasii Rathberti ejusdem Corbeiæ Abbatis, contemporaneus Prudentio, Hincmaro Rhemensi, Gotteschalco Orbacensi Monacho, Lupo Ferrariensi Abbati, & aliis. Claruit anno 860. & sequentibus, qui multa reliquit posteris ingenii sui monumenta: Nimirum *contra errores Græcorum lib.* 4 qui habentur in Spicilegio Domni Lucæ Dacherii tom. 2. pag. 1. & seqq. *De Nativitate Christi lib.* 1. tom. 1. dicti Spicilegii Dacheriani pag. 218. *De duplici prædestinatione libros* 2. quos Gilbertus Mauguin supra citatus edidit tom. 1. pag. 29. Vindiciarum prædestinationis & gratiæ, de quibus *in Prudentio* locuti sumus. *De Corpore & sanguine Domini librum* 1. anno 1532. impres- 860.

sum in Germania sub nomine Bertrami, sed quem legitimum fœtum Corbeiensis nostri Ratramni agnoscit Joannes Mabillon, ex fide MSs. Codicum, in prologo ad tomum 2. sæculi quarti Sanctorum Ordinis D. Benedicti, quem legito. Idem antea senserat Jacobus Usserius Armachanus Archiepiscopus, quemeam ob rem immeritò carpit auctor Perpetuitatis Eucharisticæ de veritate substantiali Corporis & Sanguinis Domini, toto libro xij. contendens, hunc librum esse hæreticum ac Bertrami hæreseos condemnati. Idem scripsit Ratramnus *Librum de anima*, quem ex Ms. Codice sancti Eligii Noviomensis transcriptum, editioni paratum habet, idem Joannes Mabillon Benedictinus Congregationis sancti Mauri, in Monasterio sancti Germani de Pratis. Idem Ms. in Collegio sancti Benedicti Cantabrigiæ Cod. 301. in Anglia. Plura de tanto viro quem tamen in multis accusat Ludovicus Cellot in historia hæreseos Prædestinatianæ, alii omnes qui ejus Scripta ediderunt, Gilbertus Mauguin & Lucas Dacherius in præludiis ad tomos 1. & 2. Spicilegii sui, Joannes Mabillon in præfatione ad tomum 2. sæculi quarti Sanctorum Ordinis D. Benedicti, Natalis Alexander in selectis historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo 9. parte 2. pag. 597. dissertatione speciali, quæ XIII. est.

ÆNEAS Notarius sacri Palatii in Concilio Carisiaci anno 848. creatur Episcopus Parisiensis anno circiter 853. cujus electionis formula per Clerum Parisiensem extat Epistola 98. Lupi Ferrarienſis Abbatis ad Metropolitanum Senonensem, ejusque Suffraganeos. Leguntur *duæ ipsius Epistolæ formatæ*, edidítque *librum De erroribus Græco-*

rum jussu & rogatu Nicolai 1. Papæ, qui Ms. in membranis quarumdam Bibliothecarum reperitur, extatque impressus in Spicilegio Lucæ Dacherii tom. 7. pag. 1. & seqq. Cæterum Concilio apud Saponarias interfuit anno 859. Tuciacensi 860. Suessionensi 3. anno 866. Tricassino 867. vixítque circiter usque ad annum 870. De quo loquuntur fratres Sammarthani in Galliâ Christiana tomo 1. pag. 408. *in Episcopis Parisiensibus.*

ANSCHARIUS ex Corbeiæ Gallicæ Monacho, primus Bremensis Archiepiscopus, scripsit circa annum 860. *Vitam sancti Vvillehadi primi Bremensis Episcopi libris* 2. unà cum Actis sanctorum Anscharii & Remberti Episcoporum Bremensium Coloniæ Agrippinæ editam anno 1642. opera Philippi Cæsaris; Itemque à Joanne Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 2. pag. 401. & seqq. Qui cupit plura de sancto Anscharo, habet ejus acta ad annum 865. quo ipse obiit die 3. Februarii, apud Baronium in Annalibus anno 865. num. 101. & in Martyrologio Romano ad diem allegatam, Bollandum ad diem etiam 3. Februarii, Joannem Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 2. pag. 75. & seqq.

RUDOLFUS seu RODOLFUS Monachus Fuldensis claruit etiam his temporibus, Scriptor gravis, de quo hoc loquuntur Annales Fuldenses elogium ad annum 865. *Anno 865, Ruodulphus Fuldensis Cœnobii Præsbyter & Monachus qui apud totius penè Germaniæ partes Doctor egregius & insignis floruit Historiographus & Poëta, atque omnium artium auctor nobilissimus habebatur*, VIII. *Idus Martii diem ultimum fœliciter clausit* Scrip-

sit *Vitam sanctæ Liobæ Virginis & Abbatissæ Bischofheimensis* in Germania, quam habes editam apud Surium in editione illius secunda ad diem 28. Septembris, & apud Joannem Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 2. pag. 245. & seqq. Item scripsit *Vitam Rhabani Mauri Magistri sui*, postea Fuldensis Abbatis & Moguntini Archiepiscopi, quam habes editam in prolegomenis ad opera Rhabani Mauri edita Coloniæ anno 1627. & apud Bollandum in Vitis sanctorum ad diem 4. Februarii quâ obiit, & sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 2. pag. prima & seqq.

Iso Cœnobita Monasterii sancti Galli circa annum 690. descripsit duobus libris *Translationes & Miracula sancti Othmari*, quos habet sæculum 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tomo 2. pag. 162. hic laudatur multùm ab Ekkerardo juniore in libro de Casibus Monasterii sancti Galli cap. 2. ubi *Notkerum Balbulum*, *Tutilonem & Ratpertum* discipulos habuisse dicitur. Apud Hepidannum verò anno 871. *Iso Magister obiit pridie idus Maii*, quem itidem annum signat Hermannus Contractus.

Othelgrimus Monachus Vverthinensis, contemporaneus & socius sancti Ludgeri Monasterienſis Episcopi, scripsit *Vitam illius libris duobus*, admiscens subinde quædam nonnihil ab Altfridi narratione discrepantia, cujus scriptionem ex membranis Fuldensibus eruit Christophorus Brovverus, ediditque in Syderibus suis Germaniæ. Verùm cum auctor hujus Vitæ scriberet post annum 864. ut patet ex lib. 2. cap. 26. liceat non procul ab isto anno: difficile est concilia-

re hunc annum cum discipulatu sancti Ludgeri Episcopi, qui mortuus est anno 809. die 26. Martii; nisi valde senex Othelgrimus fuerit quando hanc Vitam scripsit, vel valdè juvenis fuerit traditus Disciplinæ sancti Ludgeri, sicut factum est in Ordine sancti Benedicti. Conditor tamen Litaniæ Vverthinensis primos vitæ Liudgerianæ Scriptores ait fuisse *Othelgrimum discipulum ejus, Altfridum Monasterienſem Episcopum, & Uffingum Cœnobitam Vverthinensem.* Eandem hanc Vitam reddidit cum alterâ ab Altfrido Monasterienſi Episcopo composita, Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 1. pag. 15. & sequentib: post Bollandum ad diem 26. Martii, quos quisque adire potest per otium.

ERMENTARIUS Abbas Trenorchiensis, *Translationem Corporis sancti Philiberti Abbatis ex Herienſi Monasterio in varia loca*, scripsit anno Domini 863. quam primus edidit Petrus Franciscus Chifflet in sua historia Monasterii Trenorchiensis, ac post eum Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 537. & seqq.

ODO Ordinis Divi Benedicti, Abbas Glannafolienſis in Diœcesi Cœnomanensi, & Fossatensis in Agro Parisiensi, scripsit anno 869. *Opusculum de translatione sancti Mauri Abbatis in Fossatense Monasterium Agri Parisiensis*, quod legitur editum apud Bollandum ad diem xv. Januarii, & in Actis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti sæculo 4. tom. 2. pag 165 & seqq.

MILO Monachus sancti Amandi, scientia Literarum clarus, scripsit metrico stilo *Vitam san-*

cti Amandi. Scripsit etiam ad Carolum Regem metricè *librum de Sobrietate*. Hæc Sigebertus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 105. breviter de Milone loquitur. Milo autem fuit Monachus apud sanctum Amandum in Pabula Ordinis Divi Benedicti, Avunculus & Magister Hugbaldi Elnonensis, vir eruditus ac clarus temporibus Ludovici Pii ac Caroli Calvi Imperatorum ultra medium sæculi IX. circa annum 866. scripsit *Supplementum ad vitam sancti Amandi* à Baudemundo conscriptam, atque *Historiam translationis & elevationis corporis sancti Amandi*. Itemque eandem Amandi vitam *quatuor libris metricè ad Hayminum Abbatem Vedastinum*, quæ omnia ex MSs. Cod. collecta edidit Joannes Bollandus ad diem 6. Februarii. Vivebat post medium sæculum IX. ut ex Supplemento *ad Vitam sancti Amandi* cap. 7. num. 22. & cap. 8. apparet. Item scripsit *Homiliam de sancto Principio Suessionensi Episcopo*, quam habes apud Surium ad diem 27. Septembris. Obiit Milo anno 871. in suo Monasterio, quem recenset Possevinus *in Apparatu Sacro* & Aubertus Miræus in Scholio ad caput 105. Sigeberti, pag. 146. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Joannes Mabillon in præludiis ad Vitam sancti Amandi sæculo 2. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 709. & seqq. *Conflictus veris & hiemis* est ejusdem Milonis Monachi Elnonensis ex Auberto Miræo Scholio ad Catalogum Sigeberti cap. 105. pag. 146. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, quem damus ex Ms. Codice Bibliothecæ Colbertinæ.

CONFLICTUS

CONFLICTUS VERIS & Hyemis.

Conveniunt subito cuncti de montibus Altis
Pastores pecudum, vernali luce sub umbrâ,
Arboreas pariter latas celebrare camœnas.
Omnes hic cuculo laudes cantare parabant.
Ver quoque florigero succinctus stemmate venit,
Frigida venit hyems rigidis hirsuta capillis,
His certamen erat cuculi de carmine grande.
Ver prior allusit ternos modulamine versus:
Ver. *Opto meus veniat cuculus, carissimus Ales,*
Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes,
Intret is modulans rutilo bona carmina rostro.
Hyems. *Tum glacialis hyems respondit voce severa,*
Non veniat cuculus, nigris sed dormiat antris:
Iste famem secum semper portare suescit.
Ver. *Opto meus veniat cuculus cum germine lato,*
Frigora depellat, phœbo comes almus in ævum,
Phœbus amat cuculum, crescenti luce serena.
Hyems. *Non veniat cuculus, generat qui forte labores,*
Prælia congeminat, requiem disjungit amatam,
Omnia disturbat, pelagi terræque laborant.
Ver. *Quid tu tarda hyems cuculo convicia cantas?*
Qui torpore gravi tenebrosis tectus in antris,
Post epulas Veneris, post stulti pocula Bacchi.
Hyems. *Sunt mihi divitiæ, sunt & convivia lata,*
Est requies dulcis, calidus est ignis in æde,
Hæc cuculus nescit, sed perfidus ille laborat.
Ver. *Ore refert flores cuculus, & mella ministrat*
Ædificatque domos, placidas & navigat undas,
Et generat soboles, lætos & vestiet agros.
Hyems. *Hæc inimica mihi sunt, quæ tibi læta videntur:*
Sed placet, optatas gazas numerare paratas,

Et gaudere cibis, simul & requiescere semper.

Ver. *Quis tibi tarda hyems, semper dormire parata*
Divitias cumulat, gazas vel congregat ullas
Si ver aut æstas tibi nulla vel ante laborat.

Hyems. *Vera refers, illi nunquam mihi multa laborant,*
Sunt etiam servi nostrâ ditione subacti,
Jam mihi servantes Domino quæcumque laborant.

Ver. *Non illis Dominus, sed pauper inopsque superbus,*
Nec te jam poteris per te tu pascere tantùm,
Ni tibi quis veniat cuculus, alimonia præstet.

Palemon. *Tunc respondit ovans sublimi à sede Palemon,*
Et Daphnis pariter, pastorum & turba piorum:
Desine plura hyems, rerum tu prodigus atrox
Et veniat cuculus pastorum dulcis amicus,
Collibus in nostris erumpant germina læta,
Pascua sit pecori requies & dulcis in arvis,
Et virides rami præstent umbracula festis
Uberibus plenis, veniantque ad mulctra capellæ,
Et volucres variâ phœbum sub voce salutent.
Quapropter citiùs cuculus nunc ecce venito,
Tum jam dulcis amor, cunctis gratissimus hospes.
Omnia te expectant, pelagi tellusque salutant:
Salve dulce decus cuculus, per sæcula salve.

GOTTESCALCUS Monachus Orbacensis in Episcopatu Suessionensi (cujus occasione hoc nostro sæculo ingentes quærelæ inter doctissimos viros commotæ sunt) cum aliquandiu per varias pro-

vincias excurriſſet variiſque in locis docuiſſet, damnatus fuit hæreſeos à Rhabano Moguntinenſi Archiepiſcopo in Concilio illuc collecto anno 848: & ab aliis Galliæ Epiſcopis ſollicitante potiſſimùm Hincmaro Remenſi Metropolitano, anno ſequenti 849. in conventu Cariſiacenſi. Scripſit *brevem fidei ſuæ confeſſionem & prolixam*, quas evulgavit Gilbertus Mauguin tom. 1. pag. 9. & 19. Vindiciarum Prædeſtinationis & gratiæ. Item *Epiſtolam ad Ratramnum Corbeienſem Monachum* Condiſcipulum, quam eduxit Ludovicus Cellot Pariſinus Soc. Jeſu Presbyter in *Hiſtoria Gotteſcalci Prædeſtinatiani* pag. 415. Mortuus eſt Gotteſcalcus in carcere, quo jubente Hincmaro detentus fuit, apud Altum-Villare Cœnobium anno circiter 870. Qui plurima cupit de Gotteſcalco & ejus doctrina, legat *Vindicias prædeſtinationis & gratiæ* quas conſcripſit Gilbertus Mauguin doctiſſimus Præſes Rei Monetariæ Pariſienſis, cum Collectaneo variorum hujus ſæculi Scriptorum, impreſſas 2. tomis in 4. Pariſiis apud Joannem Billaine anno 1650. ſub ſigno Divi Auguſtini: Hiſtoriam Gotteſcalci Prædeſtinatiani à Ludovico Cellot jam ciratam atque in fol. editam Pariſiis anno 1655. contra prædictum Gilbertum Mauguin, quæ proſtat apud Sebaſtianum Cramoiſy viâ Jacobæâ ſub Ciconiis. Paucioribus verò omnia complectitur Natalis Alexander Dominicanus in *ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus* ſæculo IX. parte ſeu tom. 2. diſſertatione V. pag. 264. & ſeqq.

THEODORUS ABUCARA Archiepiſcopus Cariæ, vixit temporibus Baſilii Macedonis Imp. 870.

Constantinopolitani & VIII. Synodi. Scripsit *Varia opuscula contra Hæreticos, Judæos & Saracenos*, seu disputationes contra Infideles editas græcè & latinè per Jacobum Gretzerum Soc. Jesu doctissimum virum, Ingolstadii in 4. anno 1606. cum Anastasii Sinaitæ libro qui *Dux viæ* inscribitur. Extant autem interpretibus, Gilberto Genebrardo, Francisco Turriano & Jacobo Gretzero, ex quibus non pauca Colonienses in tomum 9. Bibliothecæ Patrum anno 1618. retulerunt. Arbitratur porro Gretzerus hunc Theodorum Abucaram (cujus opera græcè manuscripta extant inter Codices Græcos Mss. quos Franciscus Turrianus obtulit Societati Jesu, quando ipsam ingressus est) non fuisse alium quam illum, qui cum partes Photianas contra Ignatium legitimum CP. Patriarcham secutus fuisset, atque adeò cum Zacharia Episcopo Chalcedonensi pro Photio ad Ludovicum II. Imperatorem legationem objisset (ut in Vita Ignatii narrat Nicetas Paphlago) postea Photii fraudibus in apertum prolatis, vela retrorsum verterit, & in VIII. Synodo Oecumenica admissi facinoris veniam impetravit. Plura de Theodoro Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 255. pag. 230.

PETRUS Siculus vixit anno post Christum natum circiter 870. quo tempore ex mandato Basilii & filiorum Constantini ac Leonis Imperatorum Orientis, Legatus Tibricam Armeniæ urbem missus est, ut de captivorum permutatione ageret: qui causam fœliciter transegit, cùm novem Tibricæ mensibus substitisset, ut ipse in ex-

tremis historiæ suæ paginis narrat. Scripsit autem græcè Historiam *De varia & stolida Manichæorum hæresi*, cujus partem à Sirmondo translatam Baronius suis Annalibus tom. 9. pag. 31. inseruit, qui eum male vocat *Lucam Siculum*. Exinde libellum hunc integrum ex Ms. Codice Bibliothecæ Vaticanæ descriptum, Marco Velsero Româ Augustam Vindelicorum idem Sirmondus misit; & Velserus Matthæo Radero, eâ lege, ut latinè redderet, quod & præstitit & notis illustravit, editum græcè & latinè Ingolstadii anno 1604. in 4. typis Sartorii: atque inde postea immissus est in tomum 9. Bibliothecæ SS. Patrum editionis Colonienſis anni 1618. Vide Antonium Possevinum in *Apparatu sacro*, verbo *Petrus Siculus*, Aubertum Miræum in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 256. pag. 230.

AIMOINUS Monachus sancti Germani *De pratis Parisiensibus*, dictus senior ut distinguatur ab altero juniore, qui Floriacensis Cœnobii Monachus fuit; claruit circa annum 870. ut doctè edocet Philippus Labbeus speciali dissertatione quam *De Abbonibus & Aimoinis* inseruit tom. 1. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 20. & seqq. Nam in Charta veteri quam edidit Jacobus du Breüil Monachus sancti Germani in præfatione ad Aimoini Floriacensis Historiam; quæ facta est anno 872. Regni verò Caroli 32. Aimoinus Monachus & Notarius hanc scripsit & subscribit pridie nonas Octobris. Scripsit autem hic Aimoinus sancti Germani seu senior, libros 2. *De Inventione & translatione corporis Beati Vincentii Levitæ & Martyris* ex Hispania in Castrense san-

cti Benedicti Cœnobium, prosaïcos ipsos ac totidem metricos, quos primus edidit dictus Jacobus du Breüil anno 1603. ad calcem historiæ per Aimoinum Floriacensem Francicæ: ac post ipsum Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 1. pag. 643. & seqq. Item libellos duos *De miraculis sancti Germani Parisiensis Episcopi*, ab anno 846. Caroli Calvi sexto, usque ad annum circiter 874. sub Abbatibus sancti Germani Ebroino, postea Pictavienſi Episcopo, Hilduino secundo & Gozlino postmodum Parisiensi Episcopo: quos habes apud Surium ad diem 25. Julii inseruitque Joannes Mabillon sæculo 3. *Sanctorum Ord. Divi Benedicti* tom. 2. pag. 104. item librum 1. *De translatione sanctorum Martyrum Georgii Monachi, Aurelii & Nataliæ*, cui duos libros *De eorumdem miraculis* subjecit: quos tres edidit idem Joannes Mabillon sæculo 4. *Sanctorum Ord. D. Benedicti* tom. 2. pag. 45. & seqq. Plura de illo Labbeus in dissertatiuncula citata, sicut & de altero Aimoino qui circa annum 1004. floruit.

JOANNES S. R. E. Diaconus (postea Pontifex Romanus illo nomine octavus, si Heriberto Rosvveido credimus) à Sigeberto in Catalogo cap. 106. laudatus, Anastasio S. R. E. Bibliothecario familiaris, sub annum 874. scripsit *Vitam sancti Gregorii magni Romani Pontificis* libris IV. quos habes sæpius impressos ante opera ejusdem Pontificis. Item scripsit *Eclogas seu breves Commentarios in Heptateucum* desumptos omninò ex verbis Divi Augustini, quos vidi MSs. in folio in Bibliotheca sancti Germani Parisien-

sis, atque illos editioni parari. De illo agunt Possevinus in *Apparatu*, Aubertus Miræus in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 271. pag. 231 & in *Scholio* ad caput 106. *Sigeberti*, de quo suprà.

ÆLFREDUS seu ALFREDUS Anglorum Rex, olim à Patre Ethelvulfo Romam missus & à Leone IV. Pontifice Maximo Rex unctus, regnum adiit anno salutis 872. qui continuis novem annis cum Frizonibus & Danis pugnans, variam expertus est atque ancipitem fortunam. Cæterùm iste Rex doctus fuit & addictus studiis Litterarum Ecclesiasticarum & Legum civilium, qui scripsit *Saxonicam versionem Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum* venerabilis Bedæ Presbyteri, impressam Cantabrigiæ anno 1643. & unà *cum legibus ejusdem Alfredi saxonicè & latinè* per Abrahamum Vvelocum Cantabrigiæ in fol. anno 1644. Extant eædem leges Ælfredi Regis in Chronico Joannis Brompton, & in editione nova Conciliorum Labbeana tom. IX. pagina 583. & seqq. Mortuus est Ælfredus Rex anno Christi 900. Regni 30. & Vvintoniæ in Basilica sancti Petri sepultus est, cui in regno successit Eduardus filius, senior ex omnibus quos habuerat liberis. Plura de Ælfredo Rege Anglorum Natalis Alexander in *selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitib.* è sæculo IX. parte 1. cap. 9. art. 3. pag. 851. quæ excerpsit ex Asserio Schireburnensi Episcopo in libro *De Ælfredi Rebus gestis*, Alredo seu Ailredo Abbate Rievallis Ord. Cisterc. in libro *De Genealogia Regum Anglorum*, Vvilhelmo Malmesburiensi lib. 2. *De gestis Regum Anglorum* cap. 4. Rogerio de Houeden parte priori *Annalium*, ex Chronico Ioan-

nis Brompton & Polydoro Virgilio lib. v. *Historiæ.*

ISAAC cognomento *Bonus*, Diaconus olim Parduli Laudunensis Episcopi, discipulus Hilduini sancti Dionysii Abbatis, ad Lingonensem Episcopatum post Theobaldi obitum promotus, interfuit Concilio seu Synodo Tullensi apud Saponarias anno 859. Tusiacensi anno 860. Suessionensi III. anno 866. Pontigonensi anno 876. Tricassinæ anno 878. Adornavit collectionem Canonum ex Decretis Synodorum à sancto Bonifacio Sedis Apostolicæ per Germaniam & Gallias Legato congregatarum, Zachariæ Pontificis maximi auctoritate confirmatis, & ex capitularibus Regum nostrorum: præcipuè verò ex tribus libris posterioribus, quos Benedictus Levita ad Ansegisi Abbatis collectionem adjecit. Id autem præstitit Isaac, ut sui in restauranda Ecclesiastica Disciplina & procuranda Canonum executione severioris studii obtrectatores comprimeret, seque novatorem non esse probaret, ut in præfatione asserit. Hanc in titulos XI. distributam ex codice Archiepiscopi Tolosani primus in lucem edidit Sirmondus tom. 3. Conciliorum Galliæ, ac post eum Stephanus Baluzius tom. 2. Capitularium Regum Franciæ. Ex hac collectione Canonum perspicuum est, publicam pœnitentiam pro publicis criminibus in usu fuisse Gallicanæ Ecclesiæ, usque ad hoc tempus. Prolixam ejusdem Isaaci Lingonensis Episcopi *Epistolam de Canone Missæ*, edidit tom. 1. pag. 345. Spicilegii sui, Lucas Dacherius. Plura de illo Lupus Ferrariensis epistola LXXXI. ad Amolonem Lugdunensem, Capitularia Caroli Calvi Titulo XXV. num. V. Flodoardus Historiæ

lib. 3. cap. 21. & 24. Chronicon ſancti Benigni Divionenſis; ex recentioribus verò Sammarthani fratres in fuſiori Gallia Chriſtiana tom. 3. in Lingonenſibus Epiſcopis, Natalis Alexander in ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus ſæculo IX. tom. 1. cap. 3. art. 22. pag. 146. & ſeqq.

HERARDUS Turonenſis Archiepiſcopus factus eſt anno 855. qui in Concilio Tullenſi apud Saponarias anno 859. Judex eſt conſtitutus Venilonis Senonenſis Archiepiſcopi, contra quem Rex Carolus Calvus Libellum proclamationis dederat. Subſcripſit Synodis Tuſiacenſi & Sueſſionenſi anno 866. Trecenſi anno 867. & Conventui Præſulum Remenſis Provinciæ ab Hincmaro Metropolitano habito, ad examen Vviliberti Turonici Pagi Indigenæ, qui ordinandus erat in Epiſcopum Catalaunenſem, ac reſtaurandam Eccleſiaſticam Diſciplinam in ſua Provincia. *Capitula ex Corpore Canonum excerpta* anno 858. Presbyteris ſuis XVIJ. Kalendas Junii in Synodo congregatis obſervanda tradidit: ex quibus conſtat pœnitentiam publicam pro publicis criminibus indictam fuiſſe. Habetur autem iſta Herardi Collectio tomo 8. Conciliorum noviſſimæ editionis Pariſienſis à Philippo Labbeo anno 1671. procuratæ. Item apud Stephanum Baluzium tomo 2. Capitularium Regum Franciæ pag. 1285. de qua jam ſupra diximus in Anſegiſo Fontanellenſi ad annum 820. vel circiter. Ad ipſum extat Epiſtola *Nicolai primi* Pontificis Maximi. Item Epiſtola *Hincmari* apud Flodoardum libro 3. cap. 20. & Epiſtola CXVIIJ. *Lupi Abbatis Ferrarienſis*. Mortuus eſt Herardus anno 871. ut teſtantur Sammarthani fratres, qui plura de eo in Gallia Chriſtiana tomo 1. p. 744.

dum de Archiepiscopis Turonensibus agunt.

VVALTERIUS seu VVALTERUS Aurelianensis Episcopus anno circiter 870. sedebat, subscripsit Concilio Duziacensi anno 871. Condidit *quædam Capitula* suæ Diœceseos Presbyteris in Synodo apud Bullensem Fundum, 8. Kalendas Junii, ordinationis suæ anno II. quæ tomo 8. Conciliorum Labbeanæ editionis habentur, cum Notis Ludovici Cellot doctissimi Soc. Jesu Presbyteri. Hæc Capitula cum Caroli Magni Capitularibus, & Capitulis Theodulfi & Herardi magna ex parte conveniunt: atque ob hanc causam hos tres Collectores Capitalium consequenter collocavimus, ob subjectæ materiæ & temporis convenientiam. Plura de Vvalterio Sammarthani ante citati in Gallia Christiana tomo 2. pag. 239.

VULFADUS Bituricensis Archiepiscopus Rodulfo suffectus est anno 866. ab Imperatore Carolo Calvo, cujus filium Carolomannum educaverat, ut patet ex Epistola ejusdem Regis ad Nicolaum Papam paulò ante Synodum Suessionensem scripta, ubi ait: *Rodulfus Bituricensis Ecclesiæ Archiepiscopus nuper defunctus est, & ipsa Ecclesia sapienti & strenuo, virilique Pastore indiget, propter quorumdam levitatem morum & inconstantiam ipsius gentis. Unde consilio accepto, omnes Episcopi & Fideles Regni nostri, ipsaque etiam Diœcesis, unanimiter in electione Prælati Vulfadi consenserunt.* Qui primò Canonicus B. Mariæ & Remorum Metropolis Oeconomus, eo nomine interfuit Synodo apud Carisiacum anno 849. Clericus autem ordinatus ab Ebbone Remensi. Excusat etiam Carolus Imperator anno 868. acceleratam Vulfadi promotionem apud Summum Pon-

tificem, & Pallium pro eo petit ex alia Epistola edita tomo 3. Conciliorum Galliæ, quæ Sirmondus edidit. Porro Vulfadus ut eruditus Episcopus scripsit *Insignem Epistolam ad Presbyteros sua Diœceseos*, quam ex manuscripto codice erutam edidit hoc anno 1684. Joannes Mabillon tomo 4. Analectorum pag. 602. Subscripsit cum aliis Galliarum Præsulibus privilegio à Synodo Suessionica collato Solemniacensi Monasterio in Lemovicibus, ubi S. Metropolis Bituricensis Ecclesiæ indignum Episcopum se vocat. Clausit diem extremum calendis Aprilis anno 876. corpusque mandatum sepulturæ in Monasterio sancti Laurentii, cùm præfuisset annis decem. Plura de Vulfado in Gallia Christiana fratrum Sammarthanorum tom. 1. pag. 153. in Archiepiscopis Bituricensibus.

REMIGIUS Lugdunensis Archiepiscopus & sacri Palatii Lotharii Imp. summus Capellanus, Synodo Valentinæ III. anno 855. interfuit, Tullensi apud Saponarias præfuit anno 859. itemque Lingonensi adfuit præsente Carolo Rege, ut est apud Flodoardum lib. 3. Historiæ cap. 16. ex Hincmari Epistolâ. Subscripsit quoque Concilio Tullensi secundo anno 860. Suessionensi tertio anno 866. in qua Synodo nomen appposuit cum aliis Episcopis privilegio Solemniacensis Monasterii. Denique Cabillonensi cum Leuboino Chorepiscopo Lugdunensi anno 873. interest, qui erat tertius Caroli Calvi in Burgundia regnantis, post mortem Lotharii nepotis sui, ut est in Cartulario S. Marcelli. At verò in ejusdem Imperatoris Diplomate commendatur S. Remigius, & sancta Lugdunensis Ecclesia ditissima, rebus latè florentissima, ac Reli-

gione præclariſſima. Idem confirmavit anno 858 fundationem Abbatiæ Monialium ſancti Andochii Auguſtodunenſis, atque, ut ex veteri tabula liquet, ſub annum 868. Congregationem Canonicorum in Baſilica ſancti Irenæi conſtituit, & ſancti Juſti Sodales in ſæcularem Ordinem reduxit. Scripſit inſignem Librum *De tribus Epiſtolis* inſcriptum, qui legitur tomo 2. Vindiciarum Prædeſtinationis & Gratiæ pag. 67. Item *Abſolutionem cujuſdam quæſtionis De generali per Adam damnatione, & ſpeciali per Chriſtum ex eadem ereptione Electorum*, ibidem pag. 148. Denique Librum unum *De tenenda immobiliter veritate ſacræ Scripturæ*, tomo eodem pag. 178. quæ quantum in Theologicis valeret ingenium Remigii, ſatis dant intelligendum. Eſt enim magni habitus ab hominibus ſæculi IX. illuſtribus & doctis, de cujus laudibus abundè Gilbertus Mauguinus tomo 2. Vindiciarum Prædeſtinationis & Gratiæ pag. 62. & in Hiſtoria Flodoardi. Itemque apud Lupum Ferrarienſem Epiſtola 112. Baronium in Annalibus, & Theophylum Raynaudum in Sanctis Lugdunenſibus. Ultima editio Bibliothecæ Sanctorum Patrum Lugduni facta apud Aniſſonios fratres anno 1677. XXVIJ. voluminibus in fol. dum procedit ad ſæculum IX. attribuit Remigio Lugdunenſi *Commentarium in Epiſtolas Divi Pauli*, quod olim jam aliis duobus Remigiis, nempe Remenſi Archiepiſcopo, & Altiſſiodorenſi Monacho attributum fuit; & quod ad nullum ex his tribus Remigiis ſpectat, ſed ad Haimonem Halberſtatenſem Epiſcopum, cui fuit attributum & ſub cujus nomine impreſſum, antequam etiam ulli horum Remigiorum attribueretur. Sed paulò

amplius istud punctum critices excutiamus, occasione Remigii Lugdunensis.

Joannes Baptista Villalpandus Societatis Jesu Theologus, eruditissimis in Ezechielem Prophetam Commentariis notus, has Explanationes in Paulum edendas curavit in fol. Romæ an. 1598. quæ postea iterum recusæ Moguntiæ anno 1614. easque vindicare studuit ex titulo veteris manuscripti codicis S. Cæciliæ trans Tiberim, S. Remigio Remensi Archiepiscopo, qui anno 496. Regem Francorum Clodovæum salutaribus Baptismi undis tinxit, & ante annum 536. è vivis jam excesserat. Sed infelici planè successu, ut doctissimi quique Catholici, ac nominatim Societatis Jesu Doctores, Sirmondus, Petavius, Theophylus Raynaudus, aliique odorati sunt: adeò ut ipse Bellarminus, qui cùm aliàs junior ex Tonstalli & Joannis Garetii fide semel citavisset, doctior postea factus, in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* nullum ipsi locum dederit. Ut minùs necesse fuerit Andreæ Riveto Orthodoxorum Critico in calamum quassatum operosiùs incumbere, & laureolam, quod aiunt, in Mustaceo quærere: quem vanissimè nugantem, hærentemque diutiùs in re facillimâ, quam uno verbo poterat absolvere, ipsi etiam vix tolerare possunt Heterodoxi Lectores. Neque enim potuit sanctus Remigius Antistes Remensis, qui circa annum 530. obiit, citare Regulam sancti Benedicti, nec Venerabilem Bedam, nec sanctum Gregorium Papam, nec acta Vitæ sancti Cæsarii Arelatensis Episcopi à Cypriano post annum Christi 544. conscripta. Adde quod stilus ipsaque scribendi ratio Auctorem sæculi noni referat, nec ab Haymonis Halberstatensis

Epiſcopi Scriptis vulgatis, aut à Remigii Autiſſiodorenſis Monachi Commentariis in Pſalmos ac minores Prophetas abludat. Sanè ſi valeant impreſſiones annorum 1598. & 1614. cum inſcriptione unius manuſcripti codicis, ad hanc Explanationem Remigio Remenſi aſſerendam (quod tamen ego non conceſſerim) : cur non eadem argumenta militent pro Haymone Halberſtatenſi, qui eam ſibi vendicat in multis manuſcriptis codicibus diverſarum Bibliothecarum, quos vidimus? Cujus ſub nomine etiam impreſſæ ſunt variis locis, maximè Pariſiis anno 1608. Carolo Villerio procurante editionem, ibidemque anno 1556. annis quadraginta antequam prodirent ſub nomine ſancti Remigii Remenſis. Quis ergo hujus Commentarii eſt Auctor?

Noviſſima Bibliotheca Sanctorum Patrum anno 1677. edita xxvij. ſpiſſis voluminibus, Lugduni apud Aniſſonios fratres, opera Philippi Deſpont Presbyteri & Doctoris Theologi Pariſienſis, hunc Commentarium inſcripſit nomine noſtri Remigii Lugdunenſis. Theophylus in Indiculo Sanctorum Lugdunenſium, Jacobus Uſſerius in Hiſtoria Godeſcalci, & quidam alii naſutiores apud Miræum Critici Remigio Lugdunenſi Archiepiſcopo tribuunt: multò plures Remigio Autiſſiodorenſi Monacho, quem ideò Remenſem in quibuſdam manuſcriptis codicibus appellatum ſuſpicantur, quòd à Fulcone Remenſi Archiepiſcopo circa annum Chriſti 900. evocatus, Remenſis Scholæ curam per aliquot annos geſſerit. De illo tamen altum apud Sigebertum, Trithemium alioſque ſilentium, quamvis Sigebertus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum cap. 123.

diligenter referat Opera Remigii Autissiodorensis. Ego verò (cum Labbeo, à quo hoc omne accepi) iis accedendum esse censeo, qui parentem hujusce Explanationis docent esse Haymonem Halberstatensem Episcopum, de quo suo loco: tum quòd jam à pluribus annis sub ejus nomine Parisiis prodierit, tum quia tempore Fulberti Carnotensis Episcopi, vix elapsis centum ab obitu Remigii Autissiodorensis annis, jam Haymoni Halberstatensi tribuebatur, ut patet ex pagina 169. editionis Parisiensis à Carolo Villerio anno 1608. procuratæ: tum quòd in manuscriptis codicibus modò *Haymo*, modò *Raymo* dicatur illius Auctor, & à Sigeberto Trithemioque *Haymonem* exposuisse totum Paulum Apostolum doceamur: tum denique quòd illius stilum, dictionem, methodumque redoleat, ut non sit gutta guttæ similior, inquit Theophylus pag. 154. Erotematum.

Sanè Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Colonienſis anni 1618. Explanationem hanc sub nomine Remigii Autissiodorensis edidit, de cujus Auctore Edmundus Albertinus in libro de Sacramento Eucharistiæ, varia variis in locis asserit. 1°. Pag. 886. docet contra Villalpandum Commentarium in Paulinas Epistolas non esse Remigii Remensis, sed paulò modestiùs ac breviùs, quàm Symmista ejus Andræas Rivetus, prolatis duntaxat sancti Gregorii Papæ ac Venerabilis Bedæ testimoniis. 2°. Paginis 916. 926. & 937. adjudicat Remigio Autissiodorensi Librum de Divinis Officiis, Alchuino aliàs attributum. Sed si Auctor ille Helperico posterior est qui anno 1005. scripsit, longè opinione sua falsus est Albertinus. 3°. Alicui Remigio vindicandos esse Commenta-

rios in Paulum, tum ex fide Platinæ & aliorum qui id disertis verbis docent, tum ex pluribus codicibus manuscriptis Romanis, Cassinensibus, ac Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, qui omnes præ se ferunt Remigii nomen. 4°. Remigium illum videri Autissiodorensem, tum ob allatam à Labbeo conjecturam ex Flodoardo petitam, tum ob validiora, ut putat, argumenta: *Sigebertus enim & Bergomas*, inquit, *notant Remigium Autissiodorensem in Paulum scripsisse & in Canonem Missæ, quorum duorum postremorum conscriptionem nemo Haymoni aut Remigio Lugdunensi tribuit.* Sed hæc non concedimus Albertino; nam quantùm ad id quod dicit, plures manuscriptos codices attribuere hanc Commentationem Remigio Autissiodorensi: Respondemus longè plures attribuere Haymoni Halberstatensi in variis Bibliothecis Galliæ, Angliæ & Germaniæ, quorum plurimos vidimus, ac duos in sola Bibliotheca modica Bellæ-vallis Ord. Præmonstratensis, alium in Signiacensi Cisterciensis in tractu Remensi. Imò tres codices ejusmodi Explanationis Haymoni attributæ recensentur in Eclogа Oxonio Cantabrigiensi, edita in 4°. Londini anno 1600. lib. 2. pag. 36. nempe Oxonii in Biblioth. Magd. vol. 12. Ball. vol. 165. & Cantabrigiæ in Biblioth. publica vol. 1. Denique, ut supra diximus, jam tempore Ivonis Carnotensis Episcopi, qui anno 1125. ad Superos abiit, codices Mss. in Gallia militabant in gratiam Haymonis Halberstatensis: nec mihi dubium, quin reperiantur (ut ita loquar) innumeri sub ejusdem nomine in Bibliothecis Germaniæ, si excutiantur. Videat autem Minister Albertinus, cui magis credendum sit, vel quænam præponderet auctoritas, vel *Platinæ recentis*

tis attribuentis Commentarium in Epistolas Divi Pauli Remigio Autissiodorensi: vel *Sigeberti* Platinam annis ferè quater centum superantis, qui attribuit Haimoni? Denique quod 4. loco Aubertinus ait *tradi à Sigeberto Remigium Autissiodorensem scripsisse in Paulum*: Falsum est, ut patet evolventi Sigebertum, qui cap. 123. enumerat diligenter Scripta Remigii Autissiodorensis, & *de Commentario in Canonem Missæ* mentionem facit, sicut & de aliis modicis ejusdem Operibus, sed omnino silet de Commentario in Paulum, uti constat ex Bibliotheca Auberti Miræi Ecclesiastica pag. 148. ubi Sigeberti dictum caput legitur. Quantùm verò ad Philippum Bergomensem, recentior est ad stabiliendum aliquid in gratiam Remigii Autissiodorensis contra Haimonem Halberstatensem, cui ipse Sigebertus loco citato capite 135. expressè attribuit Commentationem in totum Apostolum Paulum. Unde constat allegatum fuisse ab Albertino Sigebertum, quem non legerat: vel si legisset, falsò allegavit.

Maneat itaque Commentarius iste Haimoni, sub cujus nomine prodiit antequam ederetur sub nomine cujuscunque Remigii, sive Remensis, sive Lugdunensis, sive Autissiodorensis, ad quos nullatenus spectat: conjecturis omnibus quæ faciebant in gratiam duorum Remigiorum Lugdunensis & Autissiodorensis, facientibus etiam ac validiùs pugnantibus pro Haimone Halberstatensi Episcopo, qui sæculo nono floruit. Jam redeamus ad Remigium Lugdunensem, qui plenus dierum & meritorum ad meliorem vitam translatus est anno 875. quinto Kalendas Novembris, conditus in Ecclesia sancti Justi. Plura de illo Aubertus Mi-

ræus, sed multis respersa mendis quæ non excutimus, in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 262. fratres Sammarthani tomo 1. Galliæ Christianæ in Archiepiscopis Lugdunensibus, Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo nono, parte seu tomo 1. cap. 3. art. 16. pag. 234. Ludovicus Cellot in Historia Gotteschalci Prædestinatiani lib. 2. cap. 24. lib 3. cap. 15. lib. 4. capp. 14. & 15.

USUARDUS Monachus Ordinis Divi Benedicti, Cœnobita sancti Germani Parisiensis, ut testatur codex manuscriptus ejusdem insignis Abbatiæ, qui Autographus esse creditur, de quo Sigebertus capite 85. de Viris illustribus: *Provocatus*, inquit, *studio Hieronymi & Bedæ, & animatus jussu Caroli Magni Imperatoris integrum Martyrologium effecit.* Condidit itaque Martyrologium, sancti Hieronymi, Bedæ & Flori vestigia premens, quo diu Romana & pleræque aliæ Ecclesiæ usæ sunt. Illud Martyrologium, cum Additionibus ex Martyrologiis Romanæ Ecclesiæ & aliarum potissimùm Belgii, & Annotationibus Auctorum qui de Sanctorum Vita, Confessione vel Martyrio, fusè vel aliquando obiter nonnulla scripserunt, operâ Joannis Molani Lovanii sacræ Theologiæ Regii Professoris, unà cum Tractatu ejusdem Molani De Martyrologiis, & Indiculo Sanctorum Belgii: prodiit Antuerpiæ anno 1583. in 8°. apud Philippum Nutium, post Lovanienſem editionem anni 1568. apud Hieronymum Vvallæum. Omitto cæteras ejusdem Martyrologii editiones, atque ex præfatione brevem hanc duntaxat lacinam adtexo, ut omnes videant quodnam fuerit hujus ab aliis discrimen.

Venerabilium, inquit, Hieronymi ac Bedæ « Presbyterorum piis, quamvis succinctis, super « hoc provocabar descriptis. Quorum prior brevi- « tati studens, alter verò quamplures Kalendarum « dies intactos relinquens (unde colligitur quod Be- « dæ modò dicitur Martyrologium, multis subinde insertis fuisse post annum Christi 800. auctum ac locupletatum) multa inveniuntur hujus Operis præteriisse necessaria. Quos tamen secutus, cen- sui & Flori memorabilis viri latiora jam in eo ipso « negotio sequi vestigia, præsertim in secundo ejus « libro : ibi enim multa quæ in priori omiserat, & « correxit & edidit. At si quid præter quod ab illis » accepi, in hoc tempore auctum vel mutatum est, « sagaci à me indagine id perquisitum agnosci po- « terit. Hæc Usuardus. Nuncupatum Usuardi Mar- « tyrologium *Carolo Calvo*, ut constat ex prologo, qui quamvis appellet Carolum Magnum; *Carolum* tamen *Calvum* intelligit, quem Scriptores hujus sæculi passim Magnum appellaverunt : præsertim ab anno 875. quo exeunte Romæ Imperator coronatus est, usque ad annum 877. quo obiit die 6. Octobris. Itaque *Carolum Magnum Imperatorem* perperam intellexerunt Cæsar Baronius & Bellarminus, Labbeus & alii : nam codices Usuardi tum manuscripti cùm excusi, sanctum Eulogium Martyrem commemorant, qui die undecima Martii Cordubæ in Hispania passus est anno Christi 859. Alios etiam celebrat qui tempore ejusdem persecutionis Arabicæ Martyrii coronam consecuti sunt. Præterea Aimonius in libello De translatione sanctorum Martyrum *Gregorii Monachi*, *Aurelii*, *&c.* Usuardum Patrem hujus Translationis auctorem facit, anno 858. Etsi verò

Sigebertus jussu *Caroli Magni Imperatoris* Martyrologium composuisse scribat in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 85. id movere nos non debet: quia, ut supra diximus, *Magni Caroli* nomine *Calvum* intelligit, ut alias in cap. 99. ubi ait Hincmarum rescripsisse ad Ecclesiam Ravennatem *sub persona Magni Caroli Imperatoris*. Plura de Usuardo citatus Sigebertus cap. 85. De Scriptoribus Ecclesiasticis, Joannes Trithemius qui *Isuardum* corruptè nominat, & anno 770. alligat. Joannes Molanus in præfatione ad illius editionem, Cæsar Baronius, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus Scholio ad caput 85. Sigeberti *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Joannes Gerardus Vossius in opere suo *De Latinis Historicis*, Andræas Saussaius in præludiis ad Martyrologium Galliæ, Joannes Bollandus in præludiis suis ad Acta Sanctorum totius Ecclesiæ, Philippus Labbeus in Dissertatione historica De Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo *Usuardus Monachus* tomo 2. pag. 490. ubi cum cæteris deceptus est in assignanda Usuardi Epocha, designans eum vixisse ac floruisse *Carolo jam Augusto* paulò post annum 800. Joannes Mabillon in præfatione ad secundam partem seu tomum sæculi 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, qui primus ætatem Usuardo temporibus Caroli Magni Imperatoris attîgit, ac post eum Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo IX. parte 1. cap. 3. articulo 17. pag. 238.

CAROLUS CALVUS Ludovici Pii ex Juditha filius, ab anno 840. Rex Francorum, coronatus Romæ Imperator exeunte anno 875. multa scripsit Statuta seu Capitularia, quæ collecta legun-

tur tomo 2. Capitularium Regum Francorum pag. 1. editionis quam procuravit Stephanus Baluzius, & quæ antea ediderat Jacobus Sirmondus, Parisiis in 8°. anno 1623. cum Notis, apud Sebastianum Cramoisy. Obiit Carolus Calvus anno 877. die 6. Octobris, de quo Scriptores omnes Historiæ Francicæ ac Germanicæ, & ex recentioribus Natalis Alexander supra citatus sæculo IX. parte 1. cap. 7. art. 3. pag. 763. & seqq. ubi multa de ejus gestis.

NICETAS PAPHLAGO, qui cognominatur *David*, Rhetor profundus & eloquens, scripsit circa annum 880. vel ultra, cum omni fide ac diligentia *Vitam sancti Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani*, qui obiit anno Christi 878. ætatis 70. die 23. Octobris, quam græcè & latinè habent Concilia editionis ultimæ tom. 8. pag. 1180. & seqq. Item scripsit *Orationes elegantissimas in singulos quosque Apostolos; in Marcum Evangelistam, in Nativitatem sanctæ Mariæ, in Exaltationem sanctæ Crucis, in sanctum Gregorium Theologum*, & alias in quibus insignis *Oratio panegyrica & historica simul Hyacinthi Amastrensis Martyris*. Quæ omnia suggessit egregius Eminentissimi Cardinalis Mazarini Codex manuscriptus, vixque alias habens Orationes, quam Nicetæ Paphlagonis. Inserta tamen iis sanctæ Barbaræ laudatio est, quam Franciscus Combefis nomine sancti Joannis Damasceni repræsentat, fateturque videri plus referre Nicetam quàm Joannem Damascenum. Inest etiam Historia sancti Bacchi junioris, ejus temporis Hierosolymis Martyris, à Turcis seu Arabibus Mahumetanis, cujus ipsius Auctor fortasse Nicetas sit. Hæc omnia Franciscus Combefis Or- 880.

dinis Fratrum Prædicatorum, græcè & latinè poſtea evulgavit in fol. Aureliæ anno 1672. in Auctario ſuo ultimo Græco-latino Bibliothecæ veterum Patrum, typis Caroli Foſſet apud Ægidium Hotot Aurelianenſem Bibliopolam. Idem ſcripſit *Orationem panegyricam ſancti Euſtachii & ſociorum ejus*, quam idem Combefis edidit in ſelectis triumphis Martyrum græcè & latinè editis in 8°. Pariſiis apud Antonium Berthier anno 1660. Claruit dictus Nicetas ultra annum 880. de quo plura dictus Franciſcus Combefis tam *in Apparatu* ſeu Auctoribus recenſitis ante ſuam Bibliothecam Sanctorum Patrum Concionatoriam paginâ 32. quàm in præludiis & Obſervationibus ſuum ad Auctarium ultimum.

THEOPHANES CERAMEUS, Tauromenii in Sicilia Epiſcopus, vixit etiam circa annum 880. & ſcripſit Homilias plures, quas habes græcè & latinè impreſſas in fol. Pariſiis anno 1644. apud Sebaſtianum Cramoiſy, viâ Jacobæâ ſub Ciconiis, ex interpretatione & cum Annotationibus Franciſci Scorſi Societatis Jeſu Theologi. Porro Theophanis ætatem multis venatur Scorſus in prolegomenis, putatque ſpectare ad nonum ſæculum, ſub Leone Imperatore Baſilii filio, dum adhuc Græcis obediret Tauromenium cum Sicilia. Extant autem & *Gregorii Ceramei Tauromenitani etiam Epiſcopi* Homiliæ manuſcriptæ Græcæ in dies Dominicos & Feſta per annum in Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Mazarini, nunc in Regia Gallica; de quibus loquitur Franciſcus Combefis in Auctoribus recenſitis ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam, verbo *Gregorius Cerameus Tauromenitanus Epiſcopus* pag. 14. & verbo

Theophanes Cerameus Tauromenitanus Episcopus, pag. 46. Utrumque Opus est Homiliarum, sed omnino diversum, & ad Auctores diversos spectans, nisi quis dicat esse unum eundemque Binominem *Gregorium & Theophanem*.

HERRICUS sive HEIRICUS Monachus Ordinis Divi Benedicti in Monasterio sancti Germani Autissiodorensis, floruit circa annum 880. habuitque adolescens Præceptores in Litteris clarissimos viros Haimonem postea Halberstatensem Episcopum & Lupum Ferrariensem Abbatem, ambos scriptis insignes, ut ipse testatur in præfatione sua metrica, in Collectanea ex ore Præceptorum suorum excerpta, ad Hildebaldum Autissiodorensem Episcopum. Scripsit Herricus *Libros duos prosaicos De Miraculis sancti Germani Autissiodorensis Episcopi*, quos ex manuscriptis codicibus edidit Labbeus tomo 1. novæ Bibliothecæ Mss. Codicum sect. 3. numero 4. Itemque *Libros sex Carminum de Vita ejusdem Sancti Germani*, quos Carolo Calvo jam Imperatori obtulit, de quibus vide Laurentium Surium ad diem 31. seu ultimam Julii. Iidem *sex Libri Carminum de Vita sancti Germani Autissiodorensis*, impressi primùm Parisiis anno 1543. apud Colinetum in 8°. simulque compacti cum *Claudio Mario Victorino in Geneſim*, cujus libros tres Carminum à principio libri Geneseos usque ad obitum Patriarchæ Abrahami edidit anno 1560. in 8°. Parisiis Guillelmus Morellius ex manuscripto Codice sancti Juliani Cœnomanensis. Edidit præterea *Collectaneum* Herricus *ad Episcopum Autissiodorensem Hildebaldum*, complectens varia excerpta ad mores informandos spectantia, manuscriptum in co-

dice Corbeiensi, qui nunc asservatur in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis. Item in Homiliario quod Paulus Diaconus jussu Caroli Magni ordinavit, inveniuntur *tres Homiliæ Herrici* à posteris haud dubium insertæ, de quibus diximus supra in *Paulo Vvanafrido*. Ipsum commendat Sigebertus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 104. & in Chronico ad annum 877. quo florebat. Plura de Herrico Aubertus Miræus in Scholio ad dictum cap. 104. Sigeberti Gemblacensis, Joannes Mabilllon tom. 1. Analectorum sæpius allegatorum pag. 413. & seqq. Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo nono parte 1. pag. 268. Possevinus in Apparatu sacro, Franciscus Combefis in Auctoribus recensitis ante Bibliothecam Sanctorum Patrum Concionatoriam pag. 11. ubi eum anno 880. floruisse asserit.

GEORGIUS primùm Monachus, ac Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Cartophilax, tumque Nicomediensis Archiepiscopus, ut ex variis ejus Orationum inscriptionibus collegit, vir horum sagacissimus Allatius. Claruit circa annum 880. eodem tempore quo Photius Constantinopolitanus, cui Syncronus atque familiaris extitit. Scripsit *Orationes varias elegantes*, quas habes græcè & latinè productas à Francisco Combefis tom. 1. Auctarii Græco-latini Bibliothecæ veterum Patrum, pag. 995. & seqq. in fol. Parisiis an. 1648. sumptibus Antonii Berthier, viâ Jacobæâ, sub signo Fortunæ. Porro Georgius non est Auctor Heraclianorum temporum, ut visum quandoque Francisco Combefis incertâ conjecturâ: dum eundem cum Georgio Pisida, cujus extat Carmen

De creatione mundi, existimaret. Productæ enim in publicum Photii Epistolæ, æqualem ei & familiarem docuerunt, quem proinde ejus partiarium fuisse suspicione non vacat: unde gratis & perperam hucusque à nonnullis Scriptoribus Beatæ Mariæ devotis, *Sanctus Georgius Nicomediensis Archiepiscopus appellatus est.* Plura prædictus Combefis in recensitis Auctoribus ante Bibliothecam Patrum Concionatoriam pag. 13. & 14. & in Notis ad citatum Auctarium Bibliothecæ Sanctorum Patrum.

HINCMARUS Remensis Archiepiscopus, cujus omnia quotquot extabant opera procuravit imprimi Jacobus Sirmondus duobus tomis in folio Parisiis anno 1645. apud Sebastianum Cramoisy sub Ciconiis, de quo Bellarminus & Labbeus in Opere de Scriptoribus Ecclesiasticis. Quibus addo *Concilium Duziacense primum*, quod purum Hincmari Opus est, evulgatum à Ludovico Cellot, ex manuscripto Sirmondi anno 1648. in 4°. typis ejusdem Sebastiani Cramoisy, tum in Conciliis ultimæ impressionis Labbeanæ Parisiensis anni 1671. tom. 8. pag. 1542. & seqq. cum Notis Cellotii, *& omnibus amborum Hincmarorum Opusculis & Epistolis*, usque ad paginam 1845. Adde varia quæ habentur in Appendice ejusdem tomi 8. Conciliorum, ut *Epistola Lotharii Imperatoris ad Leonem IV. Papam* contra Ebbonem pro Hincmaro, cui pallium petit, & quam Hincmarus ipse dictavit. Habetur ibi paginâ 193. & apud Ludovicum Cellot in Historiâ prædestinatiana pag. 407. cum præludio & Notis. Item *Epistolam Caroli Calvi nomine ad Adrianum Pontificem de causa Hincmari Laudunensis*,

& rescriptum Concilii Duziacensis ad eundem Pontificem de eodem negotio : quæ absque dubio sunt ejusdem Hincmari Remensis, & quas habet integras Appendix ad librum *De Causis majoribus*, Auctore Joanne Gerbasio Doctore Parisiensi, apud Franciscum le Cointe Parisiis in 4°. anno 1679. viâ Jacobæâ, è regione Collegii Remensis. Item *Epistolam* quam habet Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 59. quibus omnibus Opera Hincmari multùm amplificantur. Plura de illo Jacobus Sirmondus qui ejus Operum editionem procuravit, fratres Sammarthani tomo 1. Galliæ Christianæ in Archiepiscopis Remensibus, Ludovicus Cellot in Historia Gotteschalci Prædestinatiani passim, Natalis Alexander sæpe allegatus sæculo IX. Historiæ Ecclesiasticæ parte 1. cap. 3. articulo 23. pag. 248. & parte 2. Dissertatione v. de Gotteschalci causa ejusque erroribus ac damnatione, impugnatoribus ac patronis pag. 264. & seqq. & Dissertatione viij de causa utriusque Hincmari Laudunensis ac Remensis, paginâ 428. & seqq.

JOANNES SCOTUS Erigena seu Eriugena, vir perspicacis ingenii & multæ doctrinæ, de quo multa ultro citroque nostris temporibus, maximè Antonius Arnaldus vel Anonymus Canonicus Regularis lib. 12. integro *Perpetuitatis Fidei* quoad realitatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, quæ impressa Parisiis in 4°. anno 1668. & alibi postea, ubi specialem de Joanne Scoto Erigena, doctissimamque Dissertationem instituit. Hic concrepantibus bellorum fragoribus, circa annum 870. ad Carolum Calvum in Franciam transfretaverat, ubi ab eo dilectus, magnam

nominis famam comparavit. Tumente tamen animo communem doctrinam aspernatus, incidit in novitates plurimas, ob quas, ut credimus, redire in Angliam compulsus est. Ibi obiit circa annum 886. nec enim annus mortis, nec dies, neque genus constant. Scripsit Joannes Scotus multa, atque ex iis *Libros quinque De Naturis*, ampliſſimos, & ut audio, multis infartos novitatibus, Mss. bis in Bibliotheca S. Germani Parisiensis Ordinis Divi Benedicti, sed nuperrimè impressos in fol. in Anglia Oxonii anno 1681. Item *De Prædestinatione contra Gotteſcalcum librum* 1. impressum tomo 1. Vindiciarum prædestinationis & Gratiæ, de quibus egimus in *Prudentio Tricaſſino* supra. Transtulit in linguam Latinam *Scholia Græca ſancti Maximi Monachi in locos difficiles ſancti Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi*, Mss. in Bibliotheca Regia Gallica, & in Cluniacensi, at ait Franciscus Combefis apud Labbeum tom. 2. De Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo *Maximus Monachus*. Sed tandem hæc edita cum libris quinque de Naturis, græcè & latinè Oxonii in Anglia in fol. anno 1681. ex theatro Sheldoniano. Item transtulit *Opera græca Divi Dionyſii Areopagitæ in Latinam linguam*, translatione inscriptâ Carolo Calvo Francorum Regi & Imperatori, Mss. in Bibliotheca Collegii Societatis Jesu Bituricensis, de qua Labbeus De Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo *Anaſtaſius Bibliothecarius*; & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 111. Item scripsit *Librum De Viſione Dei*, quem Ms. asservat Bibliotheca Clarimariſci Ordinis Cistercienſis, in tractu & juxta Audomaropolim, ut testatur Joannes Mabillon. Huic pariter *Liber*

De Corpore & Sanguine Domini, qui sub nomine Bertrami editus est, attributus fuit: sed perperam, cùm spectet ad Ratramnum Corbeiensem Monachum, ut in *Ratramno* diximus. Agunt pluribus de Joanne Scoto Angligena Gilbertus Mauguinus Monetæ Parisiensis Præses in Collectaneo suo Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ, Ludovicus Cellot in Historia Gotteschalci Prædestinatiani, Natalis Alexander in selectis Ecclesiasticæ Historiæ capitibus sæculo IX. parte 2. Dissertatione 14. pag. 621. & seqq. Joannes Mabillon sæculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tom. 2. in Elogio Historico Joanis Scoti Abbatis Æthelingiensis, à Joanne Scoto Erigena distincti.

PHOTIUS, de quo Bellarminus & Philippus Labbeus, quorum ab ultimo omnia ferè commodabimus ad verbum quæ hîc dicemus, paucis additis ad pleniorem Operum illius intelligentiam, vel editionem proximè futuram emendatiorem: recensitis eorum manuscriptis Codicibus, quos consulere possint & conferre, qui Photio amplificando operam impendere voluerint. Hic igitur sancti Tharasii Patriarchæ Constantinopolitani ex sorore nepos, vir doctissimus, Imperatori primùm à secretis, Protospatarius, atque Urbis Senator, Eunuchus & laicus, Sedem Constantinopolitanam, ejecto per Bardam Cæsarem sancto Ignatio viro sanctissimo invasit die 25. Decembris anno 858. vel, ut alii numerare malunt, omissâ duntaxat dierum ogdoade, ut plenior computatio videatur, anno 859. quam tenuit per summum scelus usque ad annum 869. quo in Synodo VIII. Oecumenica, Constantinopoli celebrata, restituto sancto Ignatio expulsus. Deinde post ejusdem

Ignatii mortem restitutus à Basilio Macedone anno 878. perseveravit thronum illum sanctissimum fœdare usque ad annum 885. quo à Leone Sapiente Basilii filio iterùm ejectus, in secessu seu secreto Monasterii Acœmitarum periisse dicitur : sed quo anno, quave die non liquet. Quoad Opera ejus spectat, nemo hactenus in unum omnia collegit : quare quæ hinc atque inde impressa sunt, vel latent manuscripta in Bibliothecis, hæc lector accipe.

1. Bibliotheca, seu μυριόβιβλος dicta, cùm tamen CCLXXIX. vel CCLXXX. duntaxat contineat, sive fragmenta & excerpta non vulgaria diversorum librorum à se lectorum, quam scripsit rogatu fratris sui Tharasii, cùm ab Imperatore Constantinopolitano missus esset Legatus in Assyriam ; jam iterùm & semel prodit græcè & latinè ex interpretatione & cum Scholiis R. P. Andrææ Schotti Antuerpiani Societ. Jesu Presbyteri, primùm Genevæ anno 1613. tum Rothomagi anno 1653. Græcus verò textus cum Notis Davidis Hoeschelii excusus fuerat Augustæ Vindelicorum anno 1601. in folio, latina autem versio Schotti in eadem Urbe anno 1606. Habetur etiam græcè manuscripta in multis celebrioribus Europæ Bibliothecis, Sfortiana Codd. 100. & 101. Bavarica Cod. 191.

2. *Epistolæ Photii numero* CCXLVIII. ex manuscripto codice Bodleiano, cum Auctario quinque ejusdem Auctoris Epistolarum *De rebus in jure Orientalium dubiis*, græcè & latinè interprete Richardo Montis-Acuti, pseudo-Episcopo Norvicensi Protestante, cum ejusdem Notis seu brevibus Scholiis, Londini in fol. anno 1651. ex offi-

cina Rogeri Danielis. Quàm verò exosus fuerit ipsis quoque Heterodoxis saltem Calvinicolis Richardus ille Montis-Acuti, discès ex Andrææ Riveti Critico. Habes etiam tomo quinto Antiquarum Lectionum Henrici Canisii pag. 180. *Epistolam Photii ad Michaëlem Principem Bulgarorum*, latinè à Francisco Turriano, qui jam sæpè laudatus est, redditam, cum *Dissertatiunculis sex De Divinitate & Incarnatione Christi*: quæ habentur græcè manuscriptæ inter libros dicti Francisci Turriani, quos ingressus Romæ in Societatem Jesuiticam, eidem legavit Societati.

Baronius etiam in Annalibus ad annum 863, *Encyclicam Epistolam ad Patriarchales Orientis Sedes ab eo scriptam* exhibuit, latinitate donatam à Federico Metio ex duobus manuscriptis codicibus Vallicellano, & Bibliothecæ Collegii Græcorum Romæ, quam Richardus Montis-Acuti cum suo Codice contulit. & in quibusdam emendandam annotavit. Alias quoque Epistolas Photii à Petro Morino Theologo Parisiensi latinè redditas reperies in eisdem Annalibus Ecclesiasticis: sed quas omnes utraque Dialecto Richardus Norvicensis Episcopus citatus habeat in editione sua Epistolarum Photii. Post dictam Richardi editionem, edidit Franciscus Combefis unam græcè & latinè *Epistolam ejusdem Photii ad Aquileiensem Archiepiscopum* in ultimo suo Auctario Bibliothecæ Patrum, edito in fol. anno 1672. Aureliæ apud Ægidium Hottot, pag. ibidem 527. Item Joannes Baptista Cotelerius anno 1681. tom. 2. veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ paginâ 104. ex manuscripto Regio 2576. *Alias duas*

Photii Epistolas græcè & latinè in 4°. apud Franciscum Muguet, Parisiis.

3. *Nomocanon titulis quatuordecim comprehensus*, hoc est, Canones Apostolorum, veterumque Conciliorum, cum legibus Imperatorum Romanorum collecti, & in unum digesti volumen; græcè & latinè cum Commentariis Theodori Balsamonis, interprete Gentiano Herveto Aurelianensi, editi in fol. cum reliquis Balsamonis Operibus anno 1620. Parisiis. Latina versio prodierat anno 1561. quo etiam anno Basileæ typis Joannis Oporini emissa fuit versio Latina ejusdem Nomocanonis, & Scholium Balsamonis in fol. ex interpretatione Henrici Agylæi. Nec omittenda ejusdem Operis ex Canonibus Legibusque compacti nova editio Græco-latina anno 1615. in 4°. curâ & studio Christophori Justelli Parisiis emissa, cum *ejusdem Photii libello De septem Synodis*, seu *Actis Conciliorum septem Generalium in Epitomen redactis*, quæ græcè pariter & latinè extant etiam in tomis Conciliorum Generalium Severini Binii, & in ultima editione eorumdem Labbeana. Denique & *Nomocanon* collatus cum manuscriptis codicibus Bibliothecæ Regiæ & aliis, & *Libellus Photii de septem Synodis*, prodierunt græcè & latinè anno 1663. apud Ludovicum Billaine in fol. Parisiis, tom. 2. hujus Operis, quod inscriptum fuit, *Bibliotheca Juris Canonici veteris*, studio doctissimorum virorum Henrici Justelli qui Christophori filius fuit, & Guillelmi Voelli Sorbonici Theologi, cum pluribus aliis ad Jus antiquum spectantibus.

4. *Ejusdem* etiam Photii *De voluntatibus in Christo quæ dicuntur Gnomicæ*, latinè tantùm,

interprete Franciſco Turriano Soc. Jeſu Theologo, cum Diſſertatione ſeu *Libello De ſeptem Synodis Oecumenicis*, pag. 437, tomi à Petro Stevartio Leodienſi additi ad ſex tomos Antiquarum Lectionum Henrici Caniſii, ex Schedis quæ ab Antonio Poſſevino plurimæ olim miſſæ, poſt obitum ejuſdem Turriani, repertæ ſunt Mss. græcè in Bibliotheca Vallicellana Romæ, itemque in Collegio Societatis Jeſu, ex libris à Turriano datis, in Bavarica cod. 103.

5. *Sermo in Natalem Beatæ Mariæ Virginis*, quem tom. 1. pag. 1583. Auctarii Græco-latini primi quod edidit Fr. Combefis Domini anno, Pariſiis an. 1648. apud Ant. Berthier. Item Ms. Græcè in Biblioth. Auguſtana Cod. 58. *ejuſdem Photii Amphilochia*, quæ ſic inſcripta Fr. Combefis exiſtimavit perperam, quòd Amphilochii Iconienſis Epiſcopi ſententias eo in opere complecteretur. Sed nequaquam ita ſe res habet. Nomen enim habent *ab Amphilochio Epiſcopo Cyziceno Photii amico*, cujus dubia tredecim ſupra ter centum diſſolvit. Opus eſt varium & multiplici eruditione plenum, Theologis ac divinæ Scripturæ Interpretibus maximè neceſſarium, in Bibliothecam Vaticanam ex libris Lollianis ſub Urbano VIII. invectum: quem inde *ab Arcudio* elegantiſſimis caracteribus deſcriptum in ſua Bibliotheca repoſuiſſe Franciſcum Cardinalem Barberinum, bonarum omnium artium & Diſciplinarum reſtauratorem, teſtatur Allatius libro 2. De perpetuo Conſenſu Eccleſiæ Græcæ & Latinæ capite 6. Habetur etiam hoc Opus manuſcriptum in Bibliotheca Regis Galliarum, ad quam tranſierunt omnes manuſcripti codices Bibliothecæ Julii Mazarini S. R. E. Cardinalis

dinalis; in Bavarica cod. 175, in Vaticana, ex codice Palatino 281.

De Photio Constantinopolitano Nicetas David in Vita sancti Ignatii, Anastasius Bibliothecarius tam in Vitis Romanorum Pontificum, quam in præfatione ad octavam Synodum generalem, aliique Veteres, quos citant recentiores: præsertim Baronius sæculo 9. passim in suis Annalibus, Possevinus *in Apparatu sacro*, Andræas Schottus in præfatione ad Bibliothecam Photii, Dionysius Petavius in Theologicis Dogmatibus, Franciscus Combefis in Apparatu seu Auctoribus recensitis ad Bibliothecam Sanctorum Patrum Concionatoriam, verbo *Photius Patriarcha Constantinopolitanus* pag. 35. & seqq. Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo IX. parte 1. cap. 3. articulo 25. pag. 260. & parte 2. Dissertatione 4 pag. 100. & seqq, qui instar omnium esse possunt.

ADELHELMUS, ADELMUS seu ADELINUS Sagiensis in Normannia Episcopus, scripsit *Vitam sanctæ Oportunæ Abbatissæ*, quæ fuit soror Godegrandi primi Sagiensis Episcopi, quam habet Laurentius Surius ad diem 22. Aprilis, sed imperfectam & mutilam: Bollandistæ ad eandem diem, Ioannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti, tom. seu parte 2. pag. 220. & seqq. Labbeus in Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum malè assignavit Adelino annum 790. quo floruisse dicitur; nam Sammarthani doctissimi fratres in Gallia Christiana tom. 3. pag. 962. docent Adelinum in Episcopatu Sagiensi successisse Hildebrando & non Godegrando Sagiensi primo Episcopo, sed ab illo tantùm fuisse

sextum. Primus enim Godegrandus, 2. Ragemfridus, 3. Patratus, 4. Reginaldus, 5. Saxobodus, 6. Hildebrandus, 7. Adelinus seu Adelhelmus. Porro Hildebrandus sæculo tantùm nono floruit, interfuitque Concilio Bonolienſi in agro Parisiensi anno 834. ut probat Stephanus Baluzius tomo secundo Capitularium Regum Francorum pag. 1267. Item Vermerienſi anno 853. ibidem tom. 2. pag. 57. & Ticinenſi Conventui an. 877. ibidem pag. 244. Imò Joannes Mabillon in præludiis ad dictam sanctæ Oportunæ Vitam Adelhelmum ad annum 910. rejicit, sed ex conjecturis tantùm, non certis indiciis: alioquin vixisset plusquam centenarius, cùm enim esset Episcopus anno 834. & haberet tunc temporis annos ætatis triginta vel amplius; si attigisset annum 910. senilem ferè ætatem habuisset 110. annorum.

REMBERTUS Bremenſis Archiepiscopus scripsit *Vitam sancti Anscharii prædecessoris sui*, quam cum Vitis aliorum Sanctorum Bremensium edidit Primus Coloniæ Philippus Cæsar, de qua diximus suprà *in sancto Anscharo*. Eandem habes etiam apud Bollandum ad diem tertiam Februarii, & apud Joannem Mabillon sæc. 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 75. Plura de sancto Remberto, qui obiit anno 888. die 4. Februarii vel ex aliis die 11. Junii, *in Vita Remberti* apud eundem Mabillon, eodem sæculo eademque sæculi quarti parte, pag. 471. & seqq.

HEREMPERTUS Cassinenſis Monachus vivebat anno 888. scripsitque *Chronicon*, editum in 4°. Neapoli anno 1626. operâ Antonii Caraccioli Congregationis Theatinorum, cum nomenclatore & propylæo, cum aliis antiquis Chronolo-

gis rerum Neapolitanarum historiam continentibus, nempe Lupo Protospata, Anonymo Cassinensi, Falcone Beneventano, & Appendicibus historicis.

GUILLELMUS S. R. Ecclesiæ Bibliothecarius, ex fide manuscriptorum Codicum addidit Historiæ Romanorum Pontificum, quam Anastasius finivit in Nicolao primo, *Vitas quinque Pontificum*, nempe *Adriani II. Joannis VIII. Martini II. Adriani III. & Stephani V:* quas vide post Anastasium sæpe impressum, maximè Parisiis ab Annibale Fabroto anno 1648. in fol. typis Regiis. Claruit circa annum 896. 890.

ALTMANNUS Altivillarensis in tractu Catalaunensi Monachus, vixit eo tempore quo à Normannis Gallia vastabatur circa annum 890. scripsit *vitam sancti Memmii Catalaunensis primi Episcopi*, seu potiùs veterem emendavit ad petitionem Theudoini Catalaunensis Præpositi, cujus præfationem seu epistolas prævias evulgavit Joannes Mabillon tom. 2. suorum analectorum pag. 86, Vitâ restante manuscriptâ in urbe Catalaunensi & in Cœnobio Altivillaris, ut ibidem legitur. Scripsit etiam *Vitas Sanctorum Nivardi Remensis Archiepiscopi, Sindulphi Presbyteri solitarii, Translationem corporis sanctæ Helenæ Imperatricis ab urbe Româ ad Cœnobium Altivillaris*, de quibus videas Laurentium Surium & Continuatores Bollandi suis diebus & locis. De Altmanno dictus Joannes Mabillon abundè tom. 2. analectorum pag. 93. & seqq, itemque sæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 2. pag. 158, pst Sigebertum cap. 99. De Scriptoribus Ecclesiasticis.

JOANNES magnæ Dei Ecclesiæ Constantino-

politanæ Diaconus & Orator, circa annum 890. scripsit *Vitam sancti Josephi Hymnographi* qui floruit anno circiter 880. quam habes græcè & latinè, apud Bollandi Continuatores Henschenium & Papebrochium ad diem 3. Aprilis, quos consulere potes.

ABBO Poëta Monachus sancti Germani Parisiensis ad muros ejusdem urbis olim, atque ut ipse ultrò profitetur, Aimoini ejusdem Cœnobii Monachi, viri ut ea ferebant tempora, eruditi discipulus extitit. habentur illius *libri duo metrici ad Gozlenum Parisiensem Episcopum atque ejusdem celeberrimi Asceterii alumnum & Abbatem, de obsidione Lutetiæ Parisiorum à Normannis factâ annis* 886. *&* 887. cum quibusdam aliis ad Odonis Regis bella variasque victorias pertinentibus; opus jam sæpiùs excusum à Petro Pithoeo, Jacobo Breulio, Joanne Boucheto, sed novissimè inter auctores historicos Normanniæ, quos in fol. evulgavit Parisiis Andræas Duchesnius anno 1619. apud Sebastianum Cramoisy viâ Jacobæâ sub Ciconiis. Vivebat Abbo tempore præfatæ obsidionis, exeunte sæculo Christi nono, & aliquot post eam annis superfuit usque ad annum 891. aut 892: quantùm ex fine libri secundi atque ex ipsa præfatione colligi potest. Tertius autem liber alicubi etiamnum delitescit in membranis descriptus. Scripsit pariter idem Abbo *aliquot Selectos sermones*, quos evulgauit tom. 9. Spicilegii pag. 79. Lucas Dacherius, quod editum in 4. Parisiis anno 1669. apud Ludouicum Billaine. De illo Labbeus tom. 1. De Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 24: Natalis Alexander in selectis Hist. Eccl. capitibus sæc. IX. tom. 1. cap. 3. arti-

culo 30. pag. 273. Hunc verò Abbonem Miræus, aliique nonnulli perperàm confuderunt cum altero Abbone Abbate floriacensi & Martyre, qui mortem passus est anno Christi 1004. die 13. Novembris.

VVOLFHARDUS Presbyter Monachus Monasterii Hasenriedani seu Haserensis, Ord. Divi Benedicti in Diœcesi Eistetensi, quod conditum à Carolo Magno, postea Arnulfus Imperator ad sæculares Canonicos transtulit. Hic scripsit *Vitam sanctæ Vvalpurgis*, suámque scriptionem nuncupavit Erchanbaldo Eistetensi Episcopo, ab anno (ut aiunt) 884. ad 902. cui scriptioni postea *tres libros miraculorum* adjecit, promisso insuper Dialogo de S. Vvalpurge in lib. IV. præfatione, quem an composuerit, incertum est. Extant hi quatuor libri tom. 4. Antiquæ lectionis Henrici Canisii, & apud Bollandum ad diem 25. Februarii, & sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 287 & seqq. ubi de dicto Vuolfhardo Joannes Mabillon.

HUGBALDUS seu Hucbaldus Elnonensis Monachus, Milonis Monachi pariter Elnonensis nepos, claruit anno 890. imò & longè ante, temporibus Caroli Calvi Imperatoris & Francorum Regis; & longè post, si verum est vixisse illum, usque ad annum 930. ut scribunt Joannes Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 937. in præludiis ad vitam sanctæ Rictrudis Abbatissæ Marchianensis, quam scripsit anno 907. Ad Hugbaldi honorem spectat & famam doctrinæ, id quod Joannes Iperius in Chronico cap. 17. Paragrapho 1. refert de Bodulfo Abbate Sithivensi seu sancti Bertini *qui modicè litteratus*

ab Abbate ſancti Amandi Gauſcelino Monachum ejus Hucbaldum virum litteratum impetravit ad ſe mitti, ut ab eo inſtrueretur. Et paragrapho 2. *conceſſit in præſtariam Hucbaldo Monacho ſancti Amandi, qui eum inſtruerat in litteratura, villam hujus Monaſterii Sithivenſis in pago Viromandenſi dictam Heldini-Curtem cum villulis ad eam pertinentibus, tam pro temporalis ſolatio neceſſitatis: quam pro mercede laboris.* Hæc refert Joannes Mabillon ſæculo 2. SS. Ordinis Divi Benedicti pag. 710. Scripſit autem primò Hugbaldus librum trecentorum carminum *in laudem Calvitii ad Carolum Calvum*, cujus omnia verba incipiunt à littera C.

Carmina clariſonæ Calvis cantate Camenæ, &c.

Hoc editum in adverſariorum commentariorum Gaſparis Barthii libris lx. pag. 2175. anno 1624. Francofurti impreſſis. Scripſit *Vitam ſanctæ Aldegondis Abbatiſſæ Malbodienſis*, quam habes apud Surium & Bollandum ad diem 30. Januarii, & Joannem Mabillon ſæculo 2. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 710. & ſeqq. item anno 907. *Vitam ſanctæ Rictrudis Abbatiſſæ Marchianenſis*, quam habent Surius & Bollandiſtæ ad diem 12. Maii, & citatus Mabillon ſæc 2. Ss. Ordinis Divi Benedicti pag. 937. & ſeqq, dedicatam grandævo viro & miræ ſanctitatis Stephano Leodienſi Epiſcopo. Item *Vitam ſancti Lebuini ad Albricum Ultrajectenſem Epiſcopum*, quam habet Surius ad diem 12. Novembris, & hanc circa annum 920. Dicitur Hugbaldus vixiſſe uſque ad annum 930. die 25. Junii, cujus corpus in ſepulchro Milonis avunculi & Præceptoris ſui, in Elnonenſi Monaſterio conditum eſt. De eo Sige-

bertus in Catalogo cap. 107. Aubertus Miræus in Scholio ad dictum caput, Antonius Possevinus in Apparatu sacro, Joannes Mabillon in Actis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Quantùm autem *ad Vitas sanctæ Madalbertæ Virginis, Abbatissæ Malbodiensis, & sanctæ Ciliniæ matris sancti Remigii*, de quibus loquitur citato loco Aubertus Miræus; nihil certum habemus, nec hucusque comparent.

AUXILIUS claruit circa annum 900. de quo Sigebertus lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis capite 12, ita loquitur: *Auxilius scripsit Dialogum sub persona infensoris & defensoris, divinis & canonicis exemplis munitum, contra intestinam discordiam Romanæ Ecclesiæ, scilicet De Ordinationibus, Exordinationibus, Superordinationibus Romanorum Pontificum, &c.* cujus Opus evulgavit ex manuscriptis Codicibus Joannes Morinus doctissimus Presbyter Congregationis Oratorii Gallicani, ad calcem voluminis suarum Dissertationum de sacris Ordinationibus, quod impressum in fol. Parisiis, passim in Bibliothecis habetur. Alium etiam *Libellum Auxilii De negotio Formosi Papæ*, habet Joannes Mabillon tom. 4. Analectorum pag. 610. de quo post Sigebertum faciunt mentionem Miræus ad dictum caput 112. Sigeberti; Natalis Alexander in selectis Ecclesiasticæ Historiæ capitulis sæculo IX. patte 1. cap. 3. articulo 54. pag. 290: Joannes Morin & Mabillon citatis locis. 900.

JOANNES ASSERUS natione Anglus: patriâ Menevensis, Sacellanus fuit sancti Regis Anglorum Elfredi, & Schireburgensis postea ab ipso factus Episcopus. Scripsit Asserus non multò post

obitum ipsius Elfredi, qui incidit in annum 900, *Acta seu Vitam hujus Regis*, quam Londini anno 1574. in fol. edidit Matthæus Parker litteris Saxonicis, sed linguâ Latinâ, unà cum præfatione linguâ Saxonicâ, & quæ iterum prodiit litteris Latinis per Camdemum in suo Collectaneo veterum Scriptorum Historiæ Anglicæ, impresso in fol. Francofurti anno 1602. Habetur etiam Ms. in Bibliotheca privata Lumleiana apud Anglos, codicibus 23. & 24.

ADREVALDUS Floriacensis Monachus Ordinis Divi Benedicti, Carolo Calvo æqualis fuit, & clarus ab an. 870. ad 910. vel circiter. Scripsit *Librum unum De Corpore & Sanguine Domini contra Joannis Scoti ineptias*, sive dum Joannes Scotus adhuc in Galliis ageret & clareret, sive postquam in Angliam reversus fuit, vel ipso etiam mortuo: habesque Opusculum istud tom. 12. Spicilegii Dacheriani. Item circa annum 890. scripsit *Opusculum de Translatione Corporis sancti Benedicti in Galliam*, quem ex Biblioth. Floriacensi Joannis à Bosco ediderunt Bollandistæ ad diem 21 Martii, & Joan. Mabillon sæc. 2. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 253. Item *prolixum librum De Miraculis à sancto Benedicto in Gallia factis*, quem habes etiam impressum in dicta Floriacensi Bibliotheca, & apud Bollandistas ad diem 21. Martii, & apud dictum Mabillon loco citato. Item *Vitam sancti Aigulfi* Abbatis, quæ itidem paginâ 656, quam etiam Laurentius Surius edidit ad diem 3. Sept. De Adrevaldo habent mentionem Aimonius Floriacensis prologo suo in 2. libros miraculorum S. Benedicti, Sigebertus in Catalogo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*.

VVALTRANNUS sive VVALDRAMNUS Argentinensis Episcopus claruit circa annum 900. qui etiam adfuit Concilio Triburiensi anno 895, & scripsit *nonnulla Poëmata*, quæ habentur tom. 2 Antiquæ Lectionis Henrici Canisii. Obiit anno 905. ut scribit Regino ad dictum annum in Chronico suo, his verbis, *Per id tempus Baltrannus Strasburgensis, & Luidhelmus Tullensis Ecclesiæ Præsules migraverunt à sæculo, quibus successerunt in Pontificali dignitate, Otbertus in Strasburgensi civitate, & Drogo in Tullensi.* Floruit eodem tempore *Salemon* nominis *tertius Constantiensis Episcopus*, ortu Suevus, evectus ad Sedem Episcopalem Constantiæ anno 890. ut tradunt Annales Fuldenses. Hic Isoni primùm Sangallensi Monacho Disciplinæ regulari traditur imbuendus, dein Capellanus Ludovici Regis efficitur, tum Archimandrita Campidonensis & Sancti Galli, mox Episcopus Constantiensis; quam Ecclesiam summa laude rexit per 29. annos. Scripsit *ad Dadonem Virdunensem* (ut opinor) *Episcopum Carmina quædam*, quæ habentur tom. 1. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii, cum Carminibus Vvaldranni Episcopi Argentinensis; unde ambos Auctores unà collegimus ac colligavimus. In Concilio Triburiensi anno 895. memoratur in transactionis charta, quam affert Goldastus tom. 2. Antiquitatum Alamanniæ, inter eundem Præsulem & Hartmotum Cœnobii S. Galli Abbatem, anno Imperii Caroli secundo. Hic moritur anno 919. apud Hermannum Contractum in Chronico, de quo Trithemius agit in Chronico suo Hirsaugiensi, & in lib. De Viris illustribus Germaniæ.

REGINO Monachus Prumiensis, & Abbas

electus anno 892. sed æmulorum potentiâ dejectus, vixisse videtur usque ad annum 908. de quo fusè Bellarminus & Labbeus. Quibus addo *libros duos De Disciplinis Ecclesiasticis*, jam impressos esse ex fide manuscriptorum Codicum curâ & studio Stephani Baluzii Tutelensis, Parisiis in 8°. anno 1671. apud Franciscum Muguet, cum variis Appendicibus & Annotationibus. Qui plura de Rheginone optat, habet qui mentionem ejus faciunt, Sigebertum in Catalogo cap. 111. Aubertum Miræum in Scholio ad idem caput, Labbeum tom. 2. Scriptorum Ecclesiasticorum pag. 288. Natalem Alexandrum in selectis Ecclesiasticæ Historiæ capitibus sæculo IX. tom. 1. capite 3. articulo 32. pag. 283. ubi invenientur quæ consultò omittimus.

RHADULPHUS Flaviacensis, cognomento *Niger*, quem in brevi Scriptorum Chronologia Labbeus ad annum 912. collocat, quærendus ad annum 1157. ex eodem libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tom. 2. verbo *Zacharias Chrysopolitanus*, fol. 504.

910. ARETAS Cæsarienſis Presbyter claruit anno circiter 910. & sequentibus, ut statim ostendam. Hinc patet quantùm erraverint qui eum ad sæculum VI. alligarunt, ut novissimus editor Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis Lugdunensis, qui ejus Commentarium in Apocalypsim Latinum edidit sæculo 6. parte 1. pag. 518. Peccavit pariter Philippus Labbeus, qui in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum ad annum 700. assignat. Scripsit Commentarium seu *Explanationem in Apocalypsim*, quæ interprete Joanne Hentenio Mechlinienſi Monacho Hieronymitano, Emendatore

verò & prælectore illius editionis Federico Morellio, edita est græcè simul & latinè ad calcem Operum Oecumenii Parisiis in fol. 2. tomis impressi anno 1631. apud Claudium Sonnium. Aliæ versiones Latinæ Commentariorum ejusdem Aretæ in Apocalypsim, eodem interprete Hentenio, antea prodierant Antuerpiæ anno 1545. in ædibus Joannis Steelsii, & Parisiis apud Carolam Guillard: textus verò Græcus Veronæ in fol. anno 1532. & postea anno 1568. Idem scripsit insignem Orationem *in Translationem Euthymii Patriarchæ Constantinopolitani*, qui pulso Nicolao Mystico anno 901. evectus est ad Constantinopolitanam Ecclesiam gubernandam, ut habet Cardinalis Baronius ad annum 901 num. 2. unde post Leonis mortem expulsus, atque in exilium delatus, obiit in exilio anno 911, ut idem habet Baronius ad annum 911 num. 18. tandemque anno 920 Constantinopolim cum honore & pompa deportatus, ut idem Baronius narrat ad annum 920 num. 2. Inde igitur ætas certa Aretæ Cæsarienſis oculati testis, qui hanc sancti Euthymii translationem Oratione insigni descripsit, quam habes græcam in Collectaneo Vitarum seu Legendarum Metaphrastico, Latinam verò t. 3. apud Aloysium Lipomanum Veronensem Episcopum. Floruit igitur Aretas sæculo Ecclesiæ x. ab anno circiter 900. ad 920. quo ista Euthymii honorifica translatio contigit, atque ulteriùs etiam. Hunc citat Ludovicus Maimbourg Societatis Jesu Theologus Presbyter & Historicus, *in Schismate Græcorum*, edito in 4°. Parisiis anno 1677. apud Sebastianum Mabre-Cramoisy, viâ Iacobæâ sub Ciconiis: citat inquam ad annum Schismatis 911 pag. 233 & 237.

NOTHKERUS ſancti Galli Monachus cognomento *Balbulus*, à linguæ impedimento quo tenebatur, ſcripſit cum Hiabano condiſcipulo *Martyrologium* quod evulgavit in Antiquarum Lectionum tom. 6. Henricus Caniſius, de quo ſæpius actum eſt. Dicitur Notkerus obiiſſe anno 912. cujus Vitam ſcripſit Eckerhardus minimus ſancti Galli Monachus;, quam habes in Collectaneo Hiſtoricorum Germaniæ Marquardi Freheri, Francofurti in fol. Vechelianis typis, annis 1600. 1602. & 1611: & apud Bollandiſtas die 6. Aprilis, Joannem Mabillon ſæculo quinto *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* pag. 11. De illo etiam Aubertus Miræus ad caput 108. Sigeberti De Viris illuſtribus pag. 147. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ.

STEPHANUS Salmenſis Comitis Filius, ex Canonico Remenſi Monachus & Abbas Lobienſis, tum poſtea Leodienſis Epiſcopus anno 903. de quo Chronicon Sigeberti ad dictum annum ita habet: *Francone Leodienſium Epiſcopo mortuo, Stephanus Epiſcopus ſubrogatur, vir ſanctitate & ſcientiâ clarus, qui Vitam & paſſionem ſancti Lamberti Martyris ad Hermannum Archiepiſcopum urbaniùs ædidit, Cantum quoque nocturnum de eodem Martyre, de S. Trinitate, & Inventione Stephani Protomartyris compoſuit.* Hanc Vitam edidit Joannes Chapeaville in Opere ſuo *De Epiſcopis ſeu Hiſtoria Epiſcoporum Leodienſium*, 3. in 4. tomis Leodii edita anno 1612 & ſeqq: de qua diximus in Godeſcalco Leodienſi Canonico ad annum 770. Mortuus anno 920 14. Kalendas Junii, jacet in Eccleſia ſancti Lamberti, de quo Sigebertus in libro de Viris illuſtribus cap. 125.

BERTHARIUS Presbyter Virdunenſis ſcripſit

Commentariolum de Virdunenſibus Epiſcopis, oblatum Dadoni ejuſdem Urbis Epiſcopo Nutritori ſuo, quem cum Appendice unius Anonymi, & altera Continuatione Laurentii Leodienſis, Monachi ſancti Vitonis in eadem Urbe, evulgavit Lucas Dacherius tom. 12. Spicilegii. Claruit Bertharius anno circiter 920. 920.

HERIVÆUS Caroli Simplicis Cancellarius, Regis commendatione & meritorum præſtantiâ ad Sedem Archiepiſcopalem Remenſem promotus anno 900. conſecratur ab Epiſcopis Provinciæ Remenſis, & Pallium recipit à Benedicto IV. Papa, cujus Pontificatûs initia prorſus dilaudanda exponit Flodoardus libro 4. Eccleſiæ Remenſis cap. 2. Eodem die conſecrationis ſuæ in conſeſſu Epiſcoporum lecta fuit in templo Beatæ Mariæ, Excommunicatio hominum Balduini Flandriæ Comitis, ob cædem Fulconis Remenſis ab illis perpetratam anno 901. retulit corpus ſancti Remigii ab Eccleſia Cathedrali ad ſuum Monaſterium, adſtante Carolo Rege & Richardo Burgundiæ Principe. Extat & reſcriptum Joannis IX. Papæ ad eundem Herivæum anno 902, pro conſultis qualiter pœnitentia debeat injungi Gentilibus. Duas etiam Synodos celebravit, anno 907 creatus à Summo Pontifice Sergio III. Sedis Apoſtolicæ Legatus. Scripſit *Opuſculum De pœnitentiis injungendis ad Archiepiſcopum Rothomagenſem Vuidonem* circa annum 910, quod extat tomo 9 pag. 484 Conciliorum Labbeanæ ultimæ editionis. Scripſit *& Concilium Troſleianum* ſeu *Acta ejus habita* anno 909 ſexto die ante Kalendas Julii, cui etiam Vvido Rothomagenſis Archiepiſcopus interfuit & ſubſcripſit, quod habe-

tur etiam tomo citato Conciliorum pag. 520. Vixit usque ad annum 923, quo mortuus est sexto Nonas Julii; de quo plura Flodoardus in Historia Remensi lib. 4 cap. 2, Sammarthani in Gallia Christiana tom. 1. *De Archiepiscopis Remensibus*, pag. 490. & seqq.

ODILO sancti Medardi apud Suessiones Monachus, floruit ineunte sæculo x. circa annum 920. qui scripsit *Librum De Translatione Reliquiarum sancti Sebastiani Martyris, & sancti Gregorii Magni Papæ in suum sancti Medardi Monasterium*, circa annum 626. Est enim liber oblatus Ingranno Decano Medardensi seu Monasterii sancti Medardi, qui ut in Chronico Flodoardi legitur, ad annum 932 Episcopus Lauduni ordinatus fuisse perhibetur. Habetur autem Opusculum istud apud Bollandianum Januarium mensem die 20, & sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 1. pag. 383 & seqq. Edidit quoque *Historiam De Translatione Sanctorum Tiburtii, Marcellini, Petri & sociorum, in idem sancti Medardi Cœnobium* factam anno 828, quam habes ibidem sæculo 4 Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 1. paginâ 411. De Odilone isto pauca locis citatis reperies.

VVALTERIUS Senonensis Archiepiscopus, nepos alterius ejusdem nominis Aurelianensis Episcopi, scientiâ & nobilitate clarissimus, ex Chronico Autissiodorensi, obtinuit Senonensem Sedem anno 887, quo etiam anno Odonem Roberti Andegavensis Comitis filium Regem Franciæ consecravit. Testatur Flodoardus Senonas Garnerio Comite obsidione cinctas anno 896, à Richardo Burgundiæ Duce: quibus captis Vvalterius carceri

per novem menſes mancipatur, ob quaſdam quæ interceſſerant contentiones. Quod cùm Formoſus Papa reſciviſſet, omnes fautores hujus rei nefariæ anathemate percuſſit, nec priùs tamen Vvalterius è carcere liberatur, quàm fide & obſidibus datis. Scripſit *Conſtitutiones Synodicas*, quæ extant tom. 3. Bibliothecæ veterum Patrum, & in Collectaneo Conciliorum ultimæ impreſſionis Pariſienſis Labbeanæ, cum paucis Commentariis. Anno denique 923 mortuus eſt Vvalterius XIII Decembris; humatuſque eſt in ſancto Petro, cujus Eccleſiæ Monachis privilegium de Abbatis electione olim conceſſerat. Hæc Sammarthani in Gallia Chriſtiana tom. 1. *in Archiepiſcopis Senonenſibus* pag. 624.

BERNERUS hoc obſcuro ſæculo moribus probatis, ac ſcribendi peritiâ Latinus, Monachus in Cœnobio ſancti Remigii Remenſis Ordinis Divi Benedicti. Hic eductus anno 948. è Remigiano apud Remos Archicœnobio, coloniam Monachorum ſecum duxit Humolarias in Veromandicis partibus, ad reſtituendam Diſciplinam Regularem, quæ Monialibus ob ſcandalum vel extinctis vel pulſis, peſſum abierat. Præfectus Humolarienſi Cœnobio Bernerus, mirum eſt quantùm huic loco decorem ac bona contulerit, quippe ſub eo nobiliſſimi viri Monaſticen amplecti geſtierunt. Floruit autem & ſcientiâ in obſcuriſſimo ſæculo, quam teſtatus eſt *ſcribens Vitam ſanctæ Hunegundis Humolarienſis Abbatiſſæ*, quam habes apud Joannem Mabillon ſæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Item ſcripſit *Opuſculum De Tranſlatione corporis ſanctæ Hunegundis*, quod edidit idem Ioannes Mabillon ſæculo v. Sanctorum Ordinis 950.

jusdem, paginâ 214. in folio Parisiis an. 1685. apud Viduam Edmundi Martini. Anno 964 superstes florebat Bernerus, cùm alumnos suos ad Insulanum Quintiniani oppidi Monasterium dimisit, qui ejectis malesanis Clericis, Monasticas ibi leges instituerunt. Lucubratio Berneri de sanctæ Hunegundis translatione, desinit in descriptione Miraculorum, quæ ante annum 965 patrata sunt. Vide dictum Mabillon in præludiis ad citata Opuscula Berneri.

JOANNES natione Italus, patriâ Romanus, professione Canonicus, quem sanctus Odo Abbas Cluniacensis Romam anno 939. profectus, secum inde adduxit Ticinum usque; ibique Monachum instituit ex lib. 1. Vitæ sancti Odonis numeris 2 & 4. tum eum in peregrinationis socium assumens, deinde Priorem ordinavit, ut legitur non semel in libro 2. num. 4. 7. & 10 Cluniaci: an Romæ ad sanctum Paulum, quæ dubitatio oriri potest conferenti num. 10. & 21. Denique Joannes se Neapolim *Monasterii sui cogente necessitate missum* fuisse testatur num. 21. Biennium computat in lib. 3. num. 5. totum illud temporis spatium, quo sancti Odonis socius fuit. Scripsit Itaque *libris tribus Vitam sancti Odonis Abbatis Cluniacensis*, mandans litteris quidquid vel ipse per istud intervallum de ejus dictis aut factis vidit atque audivit, vel postea ab aliis assequi potuit. Porro cùm sanctus Odo mortuus sit anno 942, vix ante annum 650. Opus istud compositum est, quod Joannes dedicat Salernitanis Monachis. Eandem Odonis Vitam aggressus est circa annum 1120. Nalgotus Monachus Cluniacensis, redigens in Compendium melioremque ordinem, Joannicum Opusculum.

Opuſculum. Hæc autem habentur in Bibliotheca Cluniacenſi cum Notis Andrææ Ducheſnii, & ſæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, per Joannem Mabillon pag. 124. & ſeqq. 150. & ſeqq.

FRIDEGODUS natione Anglus, Diaconus, floruit juxta Poſſevinum circa annum 960. & ſcripſit Carmine *Vitam ſancti Vvilfridi Eboracenſis Archiepiſcopi*, qui obiit anno 709. die 12. Octobris, quam retulit Joannes Mabillon, ſæculo 3. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 1. pag. 169. ex fide manuſcripti Codicis. Supplementum autem Carminis Fridegodi ex manuſcripto Bibliothecæ Cottonianæ legitur ſæculo 4. Sanctorum ejuſdem Ordinis tomo 1. paginâ 722. Scripſit etiam alia Opuſcula, de quibus Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro tomo 1. pag. 601. quæ an alicubi impreſſa ſint, vel manuſcripta lateant, hactenus reſcire non potui. 960.

ADSO cognomine *Hermiricus*, poſt medium ſæculi x. Monachus & Abbas Luxovienſis in Burgundia, poſt Ralonoum Abbatem, ſcripſit circa annum 960. *Librum de Miraculis ſancti Vvaldeberti tertii Abbatis Luxovienſis*, quem edidit Joannes Mabillon ſæculo tertio Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tom. 1. pag. 451. & ſequentibus, ubi in præludiis de Adſone Luxovienſi loquitur.

ATTO nomine *Secundus* Aldegarii filius (inquit Ferdinandus Ughellus in Italia ſacra) Epiſcopus Vercellenſis fuit ab anno 945. doctiſſimus Theologus & Canoniſta, plura ſui ingenii doctrinæque monimenta reliquit, quæ continentur in antiquo Codice manuſcripto, in Vaticana Biblio-

» theca ac Vercellensi Archivio, &c. *Canones* rur-
» sùs, *Statutaque Vercellensis Ecclesiæ* eruta è Con-
» ciliis, Epistolisque Decretalibus, quod Opus in
» centum Capita aptè distinxit. Item De pressuris
» Ecclesiasticis Opus in tres partes divisum, qua-
» rum prima est *De Judiciis Episcoporum.* Secunda
» *De Ordinationibus eorumdem.* Tertia *De Facultа-*
» *tibus Ecclesiarum.* Hujus temporibus *Hugo & Lo-*
» *tharius* Reges Vercellensem Ecclesiam exornarunt,
&c. Attonis Opera vir clarissimus Joannes Bona Generalis Abbas reformatæ Congregationis sancti Bernardi, seu Fuliensium in Italia ex manuscripto Codice Vaticano num. 4322. eruit, describi curavit Romæ anno 1664. atque ad Lucam Dacherium Monachum Benedictinum transmisit, qui ea inseruit tomo 8. à pagina 1. ad 138. Spicilegii sui. Et sunt *Capitulare seu Capitula Attonis Episcopi, liber de pressuris Ecclesiasticis, atque Epistolæ variæ.* In iisdem autem Codicibus, tam Vaticano quàm Vercellensi, erant præterea Sermones septemdecim De diversis Argumentis, & Polypticus, quem *perpendiculum appellat*, quo noxia redarguere & honesta sancire decet, cum Scholiis. Sed quia vix legi possunt, ideo transcripti non sunt. Est autem dolendum, quòd manuscriptus Codex Vaticanus, lacunis pluribus in foliis laboret, unde integer omnino sanusque haberi non potuit, nec sanari etiam collatione manuscripti Codicis Vercellensis, quem denegarunt Canonici. Floruit Atto usque ad annum 960. & ultra, de quo Dacherius in prologo ad octavum tomum Spicilegii.

ROTGERUS Monachus sancti Pantaleonis, Ordinis Divi Benedicti in Urbe Colonienſi, elo-

quenti stilo litteris mandavit *Vitam sancti Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi*, qui ſcriptionem ſuam Folcmaro Archiepiſcopo Brunonis ſucceſſori nuncupavit circa annum 970. Cùm enim Bruno mortuus ſit anno 965. Remis; quarto Idus Octobris, in reditu à Conventu Compendienſi, ubi nepotes ſuos, id eſt, Lotharium Regem, & Hugonis Magni filios ab invicem diſſidentes ad concordiam revocavit: vix ante annum 670. hanc ſcriptionem notare poſſumus. Habes Opuſculum iſtud apud Surium ad diem XI. Octobris, de quo mentionem faciunt Trithemius *De viris Illuſtribus Ordinis Divi Benedicti*, Sigebertus in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, cap. 130. Ægidius Aureæ-Vallis Monachus cap. 34. *De geſtis Epiſcoporum Leodienſium*, & pleniſſimè Joannes Mabillon ſæculo quinto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti paginâ 334. in præludiis ad Tranſlationem ſancti Maurini Abbatis & Martyris, ubi de rebus geſtis ſancti Brunonis Colonienſis Epiſcopi.

RATHERIUS Monachus Laubienſis doctus, multas paſſus eſt antequam è vivis excederet, fortunæ injurias, quam ſibi ferè ſemper iratam, doctrinâ ſuâ compeſcere adverſam non potuit. Factus Veronenſis in Italia Epiſcopus, quam inſtitutionem in Sede Veronenſi ad annum 928. refert Sigebertus, à quo *Vir miræ ſimplicitatis, ſed experientiâ Liberalium Artium nominatus*, dicitur: & à Luitprando libro 3. cap. 11. *ob Religionem, ſeptemque Liberalium Artium peritiam Veronæ Epiſcopus creatus.* Poſt modicam tranquillitatem Hugone Rege perſequente, Veronâ decedens, Laubias Profeſſionis ſuæ locum ſeceſſit, ubi electus Leodienſis Epiſcopus. Inde Veronæ reſtituitur,

Veronâ iterùm exul ſolvit, miraſque patitur (ut verbo loquar) viciſſitudines rerum. Scripſit multa Ratherius, quæ ferè omnia habentur tomo 2 Spicilegii Lucæ Dacherii Monachi Benedictini, pag. 161. præter Epiſtolam ad Patricium *De Corpore & Sanguine Domini*, quæ in tomo 12. pag. 37. dicti Spicilegii evulgata eſt. Obiit Namuci anno 974. de quo pluribus agit Folcuinus Abbas Laubienſis in Chronico. Ejus autem Scripta ac laudes plurimis proſequitur Joannes Mabillon ſæculo v. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 478. ubi ejus Elogium hiſtoricum ampliſſimè contexuit.

680. ADSO Monachus Divi Benedicti, poſtea Dervenſis Abbas factus, circa annum 980. inſigni Litteraturâ, & in temporalibus œconomiâ refulſit, cujus laudes abundè exequitur pag. 849. Auctor libri *Miraculorum ſancti Bercharii* Abbatis Dervenſis, quem evulgavit Joannes Mabillon ſæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti paginâ 844. ibi num. XI. *Poſtmodum excedente vitâ Domno Alberico, Adſo Abbas effectus, Baſilicam Sanctorum à Beato Bercharo quondam extructam parviſſimam reputans, maximi Templi fundamenta jecit: duas Villas Drejam, & alteram quæ vocatur Puellare-Monaſterium incuriâ anteceſſorum amiſſas, Cœnobio recuperavit, &c.* Scripſit *Vitam ſancti Bercharii*, quæ habetur ſæculo 2. Sanctorum Ordinis D. Benedicti pag. 831. *Geſta quoque ſancti Baſoli Confeſſoris*, quæ ibdem pag. 67. *Tranſlationem & Miracula ejuſdem ſancti Baſoli*, quæ ſæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 2. pag. 137. Item *Vitam ſancti Frodoberti Abbatis primi Cellenſis* prope Trecas, quam

habes sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 626. cum *Historia Translationis Reliquiarum ejusdem sancti Frodoardi*, sæculo 4. istorum Sanctorum tom. 2. pag. 243. Denique *Vitam Mansueti primi Tullensium Episcopi*, quam nescio an edita sit. Mortuus est Adso anno 992. de quo in præludiis suis ad dictas legendas Joannes Mabillon.

GERARDUS (qui hucusque anonymus fuit) sancti Udalrici Episcopi Augustani Capellanus, & Presbyter ab illo ordinatus, primus circa annum 980. Scripsit *Vitam hujus sancti Episcopi libris duobus*, ipse oculatus testis plurimorum quæ scribit. Anonymum edidit Marcus Velserus Reipublicæ Augustanæ Duum-Vir clarissimus, Augustæ Vindelicorum anno 1595. in 4°. Sed Auctoris nomen exprimit manuscriptus Codex Monasterii sancti Emmerami Ratisponensis, ante annos quingentos scriptus, in quo hæc Vita reperitur sub titulo post Capitulationes ita expresso: *In nomine Domini incipit Vita sancti Udalrici Episcopi & Confessoris Christi, edita à Gerhardo, qui ab eo fuit Presbyter ordinatus.* Gerardum itaque imposterum licebit appellare Anonymum, qui nescio an idem cum Gerardo Udalrici Capellano, de quo in Vita num 63. seu Præposito num. 70. atque Presbytero num. 83. Hos Gerardi Libros de Vita & Miraculis sancti Udalrici cum simplici stilo scriptos legisset Gebehardus Augustanus Episcopus, eos novo Orationis genere expolire aggressus est, ut ipse in prologo suo testatur: sed morte præventus, opus perficere non potuit. Fuit is ab sancto Udalrico Episcopus IV. Liutolfo post septem Regiminis annos succedens anno 995. mo-

riens anno poſt milleſimum ſecundo. Hanc Gebehardi Commentationem edidit Velſerus cum aliis multis *ad Udalricum* ſpectantibus, anno & loco præcitatis; Gerhardi Opus iterùm obtulit ſub nomine proprii Auctoris Joannes Mabillon ſæculo v. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, pag. 419. & ſeqq. *De Gerardo Preſbytero & Gebehardo Epiſcopo*, ambobus ſancti Udalrici laudatoribus, eodemque tempore viventibus, citatus Mabillon in Obſervationibus prævviis ad Vitam ſancti Udalrici pag. 415. Bollandiſtæ ſuis temporibus ad diem 4. Julii.

JOANNES primùm Monachus, & Joannis Abbatis Gorzienſis diſcipulus, poſtea Abbas ſancti Arnulfi Metenſis Ordinis Divi Benedicti, floruit ſæculo Chriſti x. ſub Adalberone Metenſi Antiſtite, ſcripſitque *Vitam ſanctæ Glodeſindis Abbatiſſæ Metenſis*, *atque hujus Tranſlationem libris duobus:* quorum primus *De Vita ſanctæ Glodeſindis*, habetur ſæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 1087. Alter *De Tranſlatione ejuſdem*, quæ anno 830. contigit, habetur ſæculo quarto Sanctorum ejuſdem Ordinis Divi Benedicti, parte ſeu tomo 1. pag. 435. Item *Vitam ſancti Joannis Abbatis Gorzienſis*, ex mandato Deodorici ſeu Theoderici Metenſis Epiſcopi, qui ab anno 964. ad annum 984. Metenſi Eccleſiæ præfuit. Idem Auctor Joanni morienti inter alios adfuit, ut ipſe teſtatur in prologo num. 2. ubi ſe ex alio Monaſterio Gorziam accitum dicit. Et quidem ſub Anſteo Abbate vixit in Metenſi ſancti Arnulfi Monaſterio ex num. 66. unde Gorziam tunc acceſſiſſe dicendus eſt, jam tum Abbas. Siquidem inter Abbates, quos Joannes morti pro-

ximus advocavit, unum se nominat. Contigit mors Joannis Abbatis Gorzienſis anno 973. die Februarii 27. cujus Vitam ab noſtro Joanne ſcriptam habes apud Bollandum ad diem dictam Februarii tomo 3. & apud Joannem Mabillon ſæculo quinto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 363. ubi in Obſervationibus prævviis de hoc Joanne Abbate ſancti Arnulfi agit.

HELPERICUS Abbatiæ ſancti Galli in Helvetia Monachus & Decanus, ſcripſit anno 975. ad Aſprum *Tractatum de Computo Eccleſiaſtico*, quem habes manuſcriptum in Bibliotheca Viconienſi Ordinis Præmonſtratenſis, Bucilienſi ejuſdem Ordinis, in Bibliotheca S. Germani de Pratis Pariſienſibus, atque editioni habet paratum Joannes Mabillon, de quo ipſe agit tom. 1. Analectorum, pag. 113. & ſeqq. Creditur vixiſſe Hilpericus uſque ad annum 1000. & ultra, cùm in certis exemplaribus ejus computus deſignet annum 1005. at in quodam manuſcripto S. Germani, annus computi præſens deſignatur 975.

ROSVVEITA ſeu *Roſvveidis*, Gandersheimenſis in Germania Sanctimonialis, clara natalibus, ſed clarior in obſcuro ſæculo ob liberales in ſexu fœmineo Diſciplinas, quæ tunc à viris aberant, claruit anno circiter 980. de qua Joannes Voſſius De Hiſtoricis Latinis lib. 2. cap. 41. Scripſit ſolutâ oratione *Vitam ſancti Vvillibaldi Eiſtetenſis Epiſcopi.* Itemque *Vitam ſancti Vvnebaldi primi Heidenshemenſis Abbatis*, quas Surius habet in Vitis Sanctorum, Henricus Caniſius in tomis Antiquarum Lectionum, Joannes Mabillon ſæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 176. & ſeqq. 365. & ſeqq. Scripſit pariter *Carmine*

Elegiaco Martyrium ſancti Gangulphi Martyris : ſanctorum Dionyſii & ſociorum, & ſancti Pelagii, & alia, quæ in folio impreſſa Nurembergæ anno 1501. curâ & ſtudio Conradi Celtii. Denique, *Penegyricum Othonis primi Imperatoris Carmine heroico, ad preces Othonis ſecundi, & mandatum Gerbergæ Abbatiſſæ ſuæ*, impreſſum cum Hiſtoria Vitikindi Francofurti in fol. anno 1621. apud Aubrios. Itemque in Collectione Scriptorum Germaniæ per Juſtum Reuberum, impreſſa Francofurti in fol. anno 1584. pag. 181. & ſequentibus.

HARTMANNUS Monachus ſancti Galli, clarus circa annum 980. ſcripſit *Vitam ſanctæ Vviboradæ Virginis & Martyris, recluſæ apud ſanctum Gallum*, quæ anno 925. die 2. Maii mortua dicitur, quam primus in lucem protulit Godefridus Henſchenius ad diem 2. Maii menſis, atque doctis, ut ſolet, Commentariis illuſtravit. Idemque Hartmanno ſubjecit etiam *Hepidanni libros duos*, alterum *De Vita*, alterum *De Miraculis*, quos Melchior Goldaſtus antea ediderat, in Collectaneo veterum aliquot Rerum Germanicarum Scriptorum, edito in folio Francofurti anno 1606. Opus autem *Hartmanni de ſancta Vviborada* iterum impreſſum ſæculo v. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 42. cum Obſervationibus prævviis ab Joanne Mabillon Monacho Benedictino.

GERBERTUS Monachus primùm Aureliacenſis claruit anno 990. & ſequentibus, factus poſtea anno 992. Regio favore Remenſis Archiepiſcopus, inde Imperatoriâ gratiâ anno 997. Archiepiſcopus Ravennatenſis, demùm anno 999. Romanus Papa ſub nomine Silveſtri ſecundi. 990.

Doctus fuit maximè in Artibus Mathematicis, quas cùm cæteri hoc tempore ignorarent, magiæ insimulatus est ab Auctoribus sequentis sæculi, Summorum præsertim Pontificum inimicis. Scripsit *Epistolas plures* Parisiis impressas anno 1611. in 4°. ex manuscripto Codice Papirii Massoni; curis ac diligentiâ Joannis Massoni ejus fratris. Item Opusculum cui titulus, *Disputatio Christianorum & Judæorum Romæ habita*, impressum Romæ anno 1544. in 4°. Item *Commentarium in locum aliquem Porphirii ad Othonem Imperatorem*, quem recenset Joannes Mabillon tomo 1. suorum Analectorum. Ejusdem Gerberti *Geometria & Rithmomachia* Ms. in 4°. in Bibliotheca olim Thuanea, nunc Colbertina. Sed *Rithmomachiæ* vetustus liber editus cum quatuor libris idiomate suo Germanico *De Lusu Schaccorum*, Lipsiæ anno 1616. in fol. à sereniſſimo Duce Brunsvicensi & Luneburgensi, sub nomine Gustavi Seleni, quæ editio rara hodie habetur. Edidit in 4°. Romæ an. 1629. Abraham Bzovius Ord. FF. Prædicatorum, *Vitam sancti Adalberti Pragensis Episcopi* sub nomine Silvestri secundi qui Gerbertus est: sed Bollandistæ qui eam recuderunt tom. 3. mensis Aprilis ad diem 29. pag. 178. rectè observarunt ipsam non esse Silvestri secundi, unde Anonymam reliquerunt. Idem censet Joannes Mabillon in Observationibus prævis ad eandem Vitam, quam edidit sæculo quinto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 846. etiam Anonymam.

Fulcuinus Monachus Laubiensis, factus est hujus loci Abbas post mortem Aletranni doctissimi viri anno 965. Dominicæ Incarnationis, qui

de sua promotione sic loquitur in Chronico Laubiensi: *Post hæc Dominus Evrardus* (nimirum Leodiensis Episcopus, cujus Ditionis Laubium est) *Folcuinum verè peccatorem, sed & ætate juvenem Laubiensibus præfuit Abbatem.* Abbas factus non otio, sed Litteris operam dedit, variaque composuit, nempe *Chronicon Abbatum Laubiensis Cœnobii* non contemnendum, quod impressum legitur tom. 6. Spicilegii Lucæ Dacherii, *Opusculum De Miraculis sancti Ursmari suo tempore factis*, apud Continuatores Bollandi de Vitis Sanctorum ad diem 18. Aprilis. Demùm *Vitam Folcuini Tarvanensis Episcopi*, quam edidit Joannes Mabillon in Actis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti sæculo quarto tomo seu parte 1. pag. 622. Obiit anno 990. in Abbatia sua Laubiensi; de quo multa ipse in suo Chronico loquitur, dum de rebus suo tempore gestis, Lucas Dacherius in præludiis ad tomum 6. Spicilegii, Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom. 1. pag. 573. verbo *Folcuinus Monachus.*

LETALDUS Miciacensis Monachus, scripsit *Librum De Miraculis S. Maximini Abbatis Miciacensis*, quem edidit Joannes Mabillon sæculo 1. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, pag. 598. Atque hunc Letaldum eundem esse putamus qui expolivit *Vitam sancti Juliani Cenomanensis Episcopi*, etsi Possevinus hunc Monachum Cenomanensem existimat. In illis miraculis seriem Episcoporum Aurelianensium, Abbatumque Miciacensium inserit Letaldus, qui tempore Ermenthei & Arnulphi Episcoporum, atque Ammonis Abbatis sub finem sæculi x. se vixisse testatur cap 11. & seqq. distinguendus à Letaldo altero Abbate

Miciacensi, de quo iste agit capite 4. Hæc Joannes Mabillon loco citato pag. 580. in Observationibus prævіis ad Vitam sancti Maximini Abbatis Miciacensis, sæculo 2. *Sanctorum Ord. Divi Benedicti*

DUDO Collegialis Ecclesiæ Sancti Quintini in Veromandia Decanus, scripsit circa annum 996. *Libros tres De rebus gestis Normannorum*: Opus impressum in Collectaneo Historicorum Normanniæ, operâ Andrææ Ducheſnii anno 1619. Parisiis in fol. apud Sebastianum Cramoisy, viâ Jacobæà, sub Ciconiis: de quo mentionem facit Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

AIMOINUS Floriacensis Aimoino sancti Germani Parisiensis ætate junior: natione Aquitanus, Monasticum habitum in Floriacensi Cœnobio circa annum 970. sub Oilboldo Abbate induit, in tenera ætate, ut ipse loquitur, cujus mater Annentrudis, consanguinea Geraldi Domini Castri de Alba-Terra, filium suum in Villa ad Francos dicta inter Ellam Dordoniamque fluvios sita, cum sancto Abbone venientem anno 1000. excepit. Educatus Floriaci, hortante præsertim sancto Abbone Oilboldi successore, in Litterarum atque Eloquentiæ studia diligenter incubuit, & ad scribendum animum appulit. Scripsit *Historiam Francorum*, quam ab egressu Francorum è Trojana Civitate aggressus, ad Pipini Franciæ Regis inaugurationem, hoc est, ad annum Christianæ Epochæ 752. quatuor libris pertexere decreverat: sed sæculo integro citiùs anno circiter 650. aut 660. in fundatione Floriacensis Monasterii desiit. Ex præfatione verò ad sanctum Abbatem Abbonem 1000.

ſuum miſſa, oportet ſcriptam fuiſſe ante annum 1004. eamque vel ſuſcepto in Vaſconiam itinere, vel alia de cauſa interruptam, nec poſtea ad preſcriptam ſibi initio metam, mortuo impulſore ſuo Abbone Abbate perductam. Hanc autem purgatam ab omni extraneo edidit Andræas Ducheſnius anno 1641. tom. 3 Hiſtoricorum coætaneorum Hiſtoriæ Francicæ apud Sebaſtianum Cramoſium, cujus occaſione doctiſſimam Philippus Labbeus compoſuit *Diatribam De Aimoino Hiſtoriæ Francicæ Auctore, ejuſque Continuatore & Interpolatore Monacho ſancti Germani Pariſienſis*, quam edidit poſt Diſſertationem hiſtoricam De Scriptoribus Eccleſiaſticis à Bellarmino recenſitis ſub finem tomi ſecundi pag. 829. & ſeqq. ubi doctiſſimè de variis hujus Hiſtoriæ impreſſionibus atque interpolationibus. Ad hanc itaque Lectorem remittimus, ubi omnia ad iſtam quæſtionem ſpectantia ad plenum cognoſcet.

Abboni à Vaſconibus in Monaſterio Regulæ ad Garumnam die 13. Novembris anni 1004. occiſo ſuperſtes, ad ſucceſſorem ejus in Abbatia Gauſlenum, Bituricenſem poſtea Archiepiſcopum, *De Miraculis ſancti Benedicti libros duos* ſcripſit, quos primùm quidem è veteribus membranis evulgavit Domnus Joannes de Boſco Cœleſtinus, in ſuo Opere inſcripto, *Bibliotheca Floriacenſis*. Eoſdem poſtea recudit Joannes Bollandus ad diem 21. Martii ſancto Benedicto ſacram, in ſuis Legendis Sanctorum Martii menſis, ac denique poſt illum Joannes Mabillon ſæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti parte ſeu tom. 2. pag. 366. & ſequentibus. Scripſit etiam *Sermonem in Feſtivitatibus ſancti Benedicti*, cui inſerti

sunt nonnulli Versus ex Mauri cujusdam Poëtæ ac Discipuli sancti Benedicti, Pauli Diaconi Cassinensis, Aldelmi Episcopi, Smaragdi Abbatis, aliorumque Poëmatiis delibati. Itemque *Versus aliquot heroici De prima fundatione Floriacensis Cœnobii*, quos post sinceram, nullisque vel admodum paucis intermixtam laciniis, Historiæ Francorum editionem, publicavit Ducheſnius ipso fermè initio 3. tomi coætaneorum Historiæ Francicæ Scriptorum. *Vitam sancti Abbonis Floriacensis Abbatis & Martyris* ad Hervæum Clericum, sancti Pontificis Martini Turonensis Thesaurarium capitibus XXI constantem, quam habes ex manuscriptis Codicibus in dicta Floriacensi Bibliotheca. Denique metrico scripsit *Opusculum De Translatione Reliquiarum corporis sancti Benedicti in Galliam*, quod tandem editum ex Floriacensibus manuscriptis ab Andræa Ducheſnio tomo 3. Collectanei sui Historicorum Franciæ, & sæculo secundo Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 359. à Joanne Mabillon. Quo autem anno obierit Aimonius Floriacensis Monachus, quòve scribere desierit, mihi omnino incompertum profiteor. Qui plura cupit, adeat Antonium Possevinum in *Apparatu sacro*, Bellarminum *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 270. Labbeum in Dissertatione sua historica tom. 1. pag. 16. & sequentibus 17. 18. & 19. sed potissimùm tom. 2. pag. 826. & sequentibus, in speciali *Diatriba De Aimoino Historiæ Francicæ Scriptore, ejusque Continuatore & Interpolatore, Monacho sancti Germani Parisiensis.*

ABBO Floriacensis, sive sancti Benedicti ad Ligerim in Episcopatu Aurelianensi Abbas &

Martyr, vir doctus ac sanctus, cujus doctrinam varia ab illo scripta Opera probant, cujus sanctitatem effusus ad conservandam Observantiam sanguis testatur. Hujus Abbonis Vitam ac mortem sanctissimè obitam die 13. Novembris, Indictione 2 anno Christianæ salutis 1004. in Monasterio Regulæ ad Garumnam in Diœcesi Vasatensi, ab Aimonio Monacho Floriacensi discipulo ejus ac Comite, qui præsens aderat, descriptam cum aliquot ejusdem viri miraculis, habes in Bibliotheca Floriacensi studio Joannis de Bosco Cœlestini anno 1605. Lugduni apud Horatium Cardonium publicatam pag. 299. Extant hujus Abbonis nonnulla Opera hactenus in lucem edita, nempe, *Epitome de Vitis Romanorum Pontificum* XCI. collecta ex Anastasii Bibliothecarii Historia Pontificia, & cum eadem excusa Moguntiæ anno 1604. in 4. studio atque operâ Joannis Busæi Noviomagensis Soc. Jesu Theologi. *Vita sancti Edmundi Anglorum Regis ac Martyris*, apud Surium die 20. Novembris. *Epitome Canonum seu Collectiuncula* sub certis materiarum capitibus, quam edidit Joannes Mabillon tom. 2. Analectorum pag. 248. & seqq. ubi præludit varia de Scriptis tam editis quàm deperditis Abbonis Floriacensis, de quo etiam pluribus aget sæculo 6. *Sanctorum Ord. D. Benedicti.* De eodem Sigebertus cap. 139. libelli De illustribus Ecclesiæ Scriptoribus hæc annotat: *Quantùm valuerit in utraque scientia ostendit, cùm super calculum Victorii commentatus est.* At in Chronico ad annum 1003. minùs castigatè cædem ejus retulit, aliosque etiam summos Chronologos in errorem pertraxit. Videndi quoque Glaber Rodulphus libro 3. capite 3.

Joannes Trithemius, & alii Recentiores, cum Labbeo in Dissertatione historica De Scriptoribus à Bellarmino recensitis, tom. 1. pag. 22. Joannes Mabillon loco allegato. Hunc autem huc attulimus ob *Epitomen Canonum*, quam Labbeus obmisit, quippe nondum evulgatam. Audio recenter à Bibliothecario Benedictinorum S. Germani Parisiensis, inventas nonnullas ejus Epistolas, in manuscriptis Codicibus quibusdam Pithoeanis, quos asservabat Bibliotheca quædam Parisina, atque eas haud dubiè non patientur dudum latere ineditas.

NOTKERUS sive *Notgerus*, patriâ Teutonicus, Leodiensis Episcopus, successit Evrardo anno 972., qui unctus ac confirmatus à Gereone Colonienſi Archiepiscopo, magnâ curâ Urbem Leodiensem ornavit, cujus alter fundator appellatus est. De eo ita Albericus in Chronico: *Nothegerus vir sanctus Leodiensis Episcopus ordinatus, 36. annis præfuit. Hic Urbem muro circumcinxit, majorem Ecclesiam corpore sancti Lamberti insignitam à fundamento renovavit, partem quoque fluminis Mosæ circa Insulam venire fecit; Castrum formosum Capræ-Montem Urbi nimis contrarium, ex toto cum Ecclesiis suis destruxit,* Nec scientia defuit Notgero Episcopo, qui composuit *Vitam sancti Landoaldi Presbyteri*, quam habes apud Surium & Bollandistas ad diem 19. Martii. Itemque *Vitam sancti Remacli* Trajectensis seu Tungrensis Episcopi anno 664. die tertia Septembris mortui, quam habes apud Surium die eadem. Hic Othonis III. Imperatoris gratiâ plurimùm valuit, Episcopali Palatio instaurato, transiit ad alteram Vitam 4. Idus Aprilis in Cœna Domini an. 1007.

humatus in Ecclesia sancti Joannis Evangelistæ, in qua Canonicorum instituit Collegium. Qui plura cupit, legat Joannem Chapeavillum in tribus tomis, quos evulgavit *De Episcopis ac rebus gestis Leodiensibus*, ubi multa de Notgero extant.

HARIGERUS primùm Monachus, postea Abbas Laubiensis Ord. D. Benedicti post Fulcuinum allegatum factus an. 990, quam Ecclesiam piè ac prudenter gubernavit per annos septemdecim. Hic est ex antiquioribus, qui scripsit *Historiam de Episcopis Leodiensibus*, quam evulgavit cum aliis ejusdem Ditionis Historicis anno 1613. Joannes Chapeaville Canonicus & Vicarius in spiritualibus ejusdem Episcopatus. Unum etiam *Librum De Corpore & Sanguine Domini*, quem vidi manuscriptum sub nomine Harigeri, in Bibliotheca Signiacensi Ordinis Cistercienſis in Archiepiscopatu Remensi, quemque Anonymum evulgavit Ludovicus Cellot Soc. Jesu Theologus, ad calcem Historiæ Gottescalci Prædestinatiani, quam edidit in folio Parisiis anno 1655. Sebastianus Cramoisy. Item *Vitam sanctæ Berlendis Virginis*, Merbecæ in Belgio, quam ediderunt Bollandus ad diem 3. Februarii, & Joannes Mabillon sæculo 3 Sanctorum Ordinis Benedictini tom. 1. pag. 14. & sequentibus, correctiorem & Auctori suo assertam. Denique *Libros quatuor de Vita & Miraculis sancti Ursmari* Carmine inculto ac barbaro, præloque indignos, de quibus tamen Bollandistæ in Vitis Sanctorum ad diem 18. Aprilis, quos vidi manuscriptos in Bibliotheca sancti Vitoni Virdunensis. Floruit eodem tempore quo Notgerus, obiitque eodem anno 1007. die 31. Octobris. Plu-

ra

ra dabunt Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, verbo *Herigerus*, ubi tamen pessimè sentit de ætate Herigeri, quem ad an. 590. collocat, nisi mendum sit Typographi pro 990. quod facilè crediderim. Sigebertus in Catalogo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 128. Aubertus Miræus in Scholio ad dictum Sigeberti Caput. Non omittendus Ægidius Vvaulde, qui anno hujus sæculi 1628. Vitam sancti Ursmari & Historiam ejusdem Monasterii Laubiensis evulgavit, collectam ex veteribus Monumentis Laubiensibus, vicinarumque Ecclesiarum ac Monasteriorum.

MEGENFRIDUS, aliis MEGINFRIDUS, sive MEGINFREDUS, natione Germanus, Monachus Fuldensis sub Othonibus secundo & tertio Imperatoribus, scripsit *Vitam sancti Emmerami Ratisponensis Episcopi*, circa annum 1010. quam dedicavit Arnolfo Comiti Vogburgensi, tum postea Monacho in Abbatia sancti Emmerami in Urbe Ratisponensi, quam habet Henricus Canisius tomo 2. Antiquarum Lectionum. Idem Mengenfridus scripserat Historiarum libros 24. quos Joannes Trithemius citat in Vita sancti Maximi Episcopi Moguntini, quæ extat tom. 6. die 18. Novembris, quos intercidisse credimus. Vixit anno circiter 1010. de quo plura Canisius loco cit. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 2. pag. 101. ac Scriptores *De Episcopis Ratisponensibus*. 1010.

SYRUS Monachus Cluniacensis, sancti Maioli Abbatis hujus sancti loci Discipulus, quem postea merita extulerunt ad regimen Anonymæ Abbatiæ, scripsit circa annum 1010. *Vitam sancti Maioli Abbatis Cluniacensis libris tribus ad san-*

ctum Odilonem Cluniaci pariter Abbatem, ejusdem Maioli successorem. Ait autem id operis à se susceptum fuisse, flagitante Vvarnerio sanctæ Recordationis Monacho, qui Syro misso in Italiam ante perfectum Opus, ipse in Alsatiam directus, Opus imperfectum deseruerat, quod ab Syro reverso postea completum est. Opus istud mixtum variis Carminibus ac Interpolamentis ab Aldebaldo Monacho, ediderunt Bollandistæ ad diem xj. Maii mensis, sed purgatum ab extraneo omni Joannes Mabillon sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 786. erutum ex manuscripto Codice Collegialis Ecclesiæ sancti Martialis apud Lemovices. Habet nonnulla de Syro isto in Elogio historico sancti Maioli cap. 1. pag. 760. ubi agit de Scriptoribus ejusque Laudatoribus, idem Mabillon loco citato.

1020. OSBERNUS Cantuarienſis Ecclesiæ Monachus & Cantor, natione Anglus, vir multæ pietatis & eloquentiæ, floruit circa annum 1020 de quo ita Vvilhelmus Malmesburiensis in lib. *De Regibus Anglorum* cap. 8. ubi de Dunstano: *Plura & non contemnenda de viro volentem dicere revocat Cantuariæ Cantor Osbernus, qui ejus vitam Romanâ eloquentiâ composuit, nulli nostro tempore stilo secundus, Musicâ certè omnium sine controversiâ primus.* Vitam itaque & Miracula sancti Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi libris duobus contexuit, quos ex manuscripto Colbertino primus edidit Joannes Mabillon sæculo v. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 659 & sequentibus, & quos nonnulli perperam crediderunt esse istud Opus, quòd apud Surium die 19. Maii legitur sub nomine Osberti Monachi, quamvis Opera

utriusque Osberni & Osberti diversa sint. *Vitam* etiam *sancti Odonis Cantuariensis Archiepiscopi*, quam ex eodem manuscripto Codice Thuano-Colbertino edidit idem Mabillon loco citato pag. 287. Denique *Vitam & Passionem sancti Elphegi Cantuariensis Episcopi & Martyris*, quam habet Bollandus ad diem 19 Aprilis tomo 2 pag. 631. Agunt de Osberno Guillelmus Malmesburiensis loco allegato, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, Bollandus & Mabillon locis citatis, in Commentariis prævis ad Legendas quas ediderunt. Porro quantum ad Osbertum, scripsit *Libros duos, unum de Vita, alterum de Miraculis sancti Dunstani Cantuariensis Episcopi*; quos Surius edidit ad diem 16 Maii, sed truncatos ac mutilos; quorum utcumque sanat vulnera Joannes Mabillon sæculo tertio Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 701, dum truncata ab Surio reparat & sanitati restituit. Igitur sicut duos libros de Miraculis & Vita sancti Dunstani Osbernus conscripserat, ita totidem Osbertus, sed qui anno circiter 1100 scripserit, cum sæpe loquatur de rebus gestis sub Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo, anno 1089, die 24 Maii humanis rebus exempto, unde annis octoginta vel circiter, Osberno junior est.

TANGMARUS Saxo, Decanus Hildesheimensis, scripsit *Vitam sancti Bernardi ejusdem Urbis Episcopi, sui Discipuli*, quam edidit Christophorus Brovverus Societatis Jesu in Syderibus Germaniæ anno 1616, correctam ad exemplaria manuscripta, immissamque postea in Surianas impressiones nuperas ad diem 20 mensis Novembris. Vivebat post annum 1023.

ARNOLFUS ex Comite Vogburgensi, factus,

Monachus sancti Emmerami Ratisponensis, florebat anno circiter 1024. contemporaneus Megenfrido, qui ei dicavit vitam sancti Emmerami, de quâ paulò ante locuti sumus. Hic ut partem aliquam haberet inter panegyristas hujus sancti Antistitis, conscripsit *Libros duos de Miraculis sancti Emmerami*, quos ex tenebris Mss. Codicum eduxit Henricus Canisius tom. 2 Antiquarum lectionum impressos, post opusculum Meginfredi de quo supra. Hujus meminerunt Antonius Possevinus in apparatu sacro, verbo *Arnolfus Comes:* Joannes Mabillon in Elogio suo Historico Tutonis Ratisponensis Episcopi sæculo 5 Sanctorum Ordinis D. Benedicti pag. 108, & ibidem in observationibus præviis ad acta sancti Vvolfgangi Ratisponensis Episcopi pag. 811.

ADELBOLDUS Professione Monachus Laubiensis in Ditione Leodiensi, tum Episcopus Ultrajectinus & Henrici III. Imperatoris Consiliarius. Magnus habebatur teste Alberico, vir Nobilis, sapiens & summæ virtutis, Henrici Imperatoris Proconsul, in actis bellicis parum fortunatus, in administratione & regimine suo prudentissimus, animum applicans ad augmentum Religionis & divini obsequii, locorumque Sacrorum collapsorum reparationem. Factus Episcopus anno 1008 vel 1009 post mortem Anfridi vel Aufridi de Lovanio Ultrajectensis Episcopi, scripsit *vitam Sancti Henrici Imperatoris nomine Secundi*, quam habes in Vitis Sanctorum ad diem 14. Julii, & tom. 5. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii. Itemque in Sanctis Bambergensibus, S. Henrico Imperatore, S. Cunegunde Imperatrice, S. Othone Bambergensi Episcopo, cum notis & aliis qui-

busdam ad ipsos Bambergæ tutelares spectantibus, quos Jacobus Gretzerus Soc. Jesu, edidit in 4. Ingolstadii anno 1611. Obiit Adelboldus anno 1027. die 27. Novembris, cujus mentionem faciunt Dithmarus in Historiâ suâ, Trithemius De Viris illustribus, Joannes de Beka in Historia Episcoporum Ultrajectensium, Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, verbo *Adelbandus* pag. 8, citans Trithemium lib. 4 cap. 219. Virorum illustrium; Sammarthani Fratres in Galliâ Christianâ tom. 1. pag. 824. in Episcopis Ultrajectinis.

DITHMARUS vir sanctus, Sigefridi in Saxonia Comitis filius, ex matre Cunegunda Saxonica natus anno Domini 976. cum adolevisset, factus est Monachus Cœnobii S. Joannis Magdeburgi sub Riddago Abbate; mox Præpositus Vvallibicensis, & inde Henrico II. Imperatore procurante successit Vvigberto in Episcopatu Meiseburgensi anno Domini 1018. Scripsit autem *Chronicorum libros septem*, quod Chronicon per quinque Regum tempora digestum incipit ab Henrico Humili qui primus hoc nomine & in hujus narrationis ordine imperavit: deinde ab Othone Magno, secundo & tertio vicissim sibi succedentibus, usque ad Henricum Pium, quem nomine secundum & sanctum vocamus, protenditur. Istud opus impressum Francofurti ad Mœnum anno 1580. in folio, cum vita ipsius Dithmari par Reinerum Reineccium. Cedit autem ipsi magnæ laudi (ait Cardinalis Baronius) quòd jam argumentis mille & exemplis innumeris, egregiè fidem Catholicam testatam reliquit adversus suos gentiles Apostatas, qui nostro hoc sæculo ex antris emerserunt, & sanè sinceriſſimus est Scriptor. Hæc Baronius,

cum autem annos 19. menses 7. & dies 7. sanctè præfuisset, Obiit anno 1028. suæ ætatis 42. ipsis Kalendis Octobris, & in æde Sacra Mersburgi sepultus est. Ad id porrò quod de obitu ipsius Dithmari diximus, addimus, eum venturæ mortis accepto divinitus nuntio, ex hac vita decessisse eadem die quâ se natum esse profitetur. Plura de illo Reinerus Reineccius qui vitam Chronico præmisit, nos hæc pauca ab Antonio Possevino, qui illius mentionem habet in suo Apparatu Sacro, verbo *Dithmarus* tom. 1 pag. 480.

1030. ADEMARUS seu ADHEMARUS, Engolismæ in Monasterio sancti Eparchii Ordinis D. Benedicti Monachus, vivebat anno circiter 1030; scripsit enim *Chronicon & Commemorationem Abbatum Basilicæ Sancti Martialis Lemovicensis*, ac Chronicon porrigitur ab anno 829. ad annum Christi 1029. quæ impressa sunt apud Philippum Labbeum tom. 2 suæ Bibliothecæ Mss. Librorum, de quibus loquitur Joannes Mabillon tom. 1 Analectorum pag. 419. *Item Supplementum ad Libros Amalharii De Divinis Officiis*, de quo diximus supra sæculo IX verbo *Amalharius Metensis Diaconus*: evulgatum tom. 2 Analectorum Joannis Mabillon pag. 96. Plura de illo locis citatis dicti Labbeus & Mabillon, qui opera Ademari ediderunt.

GUIDO ARETINUS MONACHUS Ord. Divi Benedicti, novam discendi Musicam rationem inveniens, adeò ut paucis mensibus puer addisceret, quod pluribus annis vix quisque ætate & ingenio pollens, addiscere potuisset: scripsit de hoc argumento librum Prænotatum *Micrologus*, quem Theobaldo Aprutino Episcopo dicatum, anno

ætatis suæ 34. sub Joanne vigesimo, Romano Pontifice Maximo, qui successit Benedicto VIII. Romano etiam Pontifici, emisit in lucem. Et quidem ab eodem Benedicto ter fuit evocatus ad urbem, qui & ejus revolvit Antiphonarium, & aliqua miratus didicit ex eo. Claruit ab anno 1020. ad 1030. & ulteriùs, extatque de toto hoc Negotio ipsius Guidonis Epistola inserta à Baronio Cardinale suis Annalibus sub annum 1022. ad Michaëlem Monachum S. Mariæ Pomposiani Cœnobii, ut præfert titulus. Hæc nos ex Apparatu Sacro Antonii Possevini verbo tenus pag. 694. de quo etiam Sigebertus De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 144. & in Chronico ad annum Christi 1028. Joannes Gerardus Vossius de 4. Artibus Popularibus.

BERNO ex MONACHO Sancti Galli in Alemannia Abbas Augiæ divitis prope Constantiam, claruit anno maximè 1030. de quo doctè Bellarminus & Labbeus in dissertatione Historica Scriptorum Ecclesiasticorum, quos iste recensuit tom. 1 pag. 200: quibus addo scripsisse etiam Bernonem *Vitam Sancti Meginradi Episcopi & Martyris*, quam edidit Joannes Mabillon sæculo IV. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti parte 2. pag. 63. & seqq. Alia apud citatos Bellarminum & Labbeum.

ODORANNUS MONACHUS Sancti Petri Vivi Senonensis, Ordinis Divi Benedicti, scripsit *Chronicon Rerum in Orbe gestarum* ab anno 675 ad annum 1032. quo florebat in dicto S. Petri Cœnobio. Habetur istud Chronicon in Collectaneo veterum Historiæ Francicæ Scriptorum, procurato variis seu quinque tomis in folio, ab Andræa

Ducheſnio, apud Sebaſtianum Cramoiſy Pariſiis anno 1636. & ſeqq.

1040. BRUNO HERBIPOLEOS in Germania Orientalis Franciæ Epiſcopus, idemque Germanus, quem Eiſengrenius vocat Ducem Carnorum & Comitem Artemburgenſem, avunculus Conradi II. Romanorum Imperatoris, ſanctitate & eruditione celebris, clarebat anno circiter 1040. Vir uti doctus collegit (ut inquit Sixtus Senenſis lib. 4 Bibliothecæ Sanctæ) ex Orthodoxorum Patrum Explanationibus, *ſtrictum & elegantem in omnes Pſalmos Commentarium*, cujus initium eſt: *Nova non cudimus, ſed vetera renovamus.* Quin Brunonis hujus Commentarii etiam breves *in Cantica omnia Veteris & Novi Teſtamenti* quæ cum Pſalmis cantantur in Eccleſia Catholica, in Canticum Moyſis, Annæ, Davidis, Iſaiæ, Ezechiæ, Abacuc, ex Teſtamento Veteri. Item ex Novo Teſtamento, in Orationes Zachariæ, B. Mariæ, Simeonis, & in Orationem Dominicam, in Symbola Apoſtolorum, Ambroſii & Athanaſii. Hi omnes Commentarii in Pſalmos & in Cantica ac Symbola, impreſſi primùm anno 1494. Coloniæ ab Antonio Koburger, unde poſteà immiſſi in Bibliothecam Veterum Patrum Colonienſis editionis anni 1618. apud Antonium Hieratum: denique hæc eadem opera Brunonis Herbipolenſis habentur tom. XVIII. Bibliothecæ SS. Patrum editionis Lugdunenſis anni 1677. apud Aniſſonios Fratres. Moritur Henrico II. Imperatore anno Domini 1045. die 17. Maii, qui, ut inquit Joannes Trithemius, Franciæ Orientalis ſingularis Patronus habetur, atque Sanctorum albo adſcriptus fuit. Faciunt mentionem de Brunone

Herbipolensi Episcopo, Sixtus Senensis loco citato, Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, & cæteri omnes qui de Episcopis hujus Sedis in Franconia scripserunt.

ANSELMUS LEODIENSIS Canonicus, sancti Lamberti ejusdem urbis Scholasticus, deinde Namurcensis Decanus, pietate & doctrina conspicuus, scripsit ad instantiam Idæ sancti Cæciliani Colonienſis Abbatissæ *Historiam Episcoporum Leodiensium*, à sancto Theodardo qui vivebat circa annum 666. usque ad Vvazonem qui Richardo Hannonienſi succeſſit anno 1041. obiitque anno 1048. hanc Joannes Chapeaville Vicarius Generalis in spiritualibus dicti Episcopatûs & S. Lamberti Canonicus, eduxit in publicum Leodii in 4. anno 1612. cum aliis quatuor auctoribus qui de Episcopis Leodiensibus scripserunt, Godescalco & Nicolao Canonicis, Stephano Leodiensi Episcopo, & Raynero sancti Laurentii in Suburbio ejusdem urbis Monacho. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Joannes Chapeaville in præludio ad ejus Historiam à se editam.

HUGO LINGONENSIS Episcopus factus anno 1030. cognomento de Britolio, filius Gilduini Comitis de Britolio in Agro Belvacensi, assumptus ad hanc Sedem Roberto Rege, cum anteà fuisset Clericus Carnotensis atque Monachus Cluniacensis. Scripsit *Tractatum de Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium*, quem anno 1647. edidit Lucas Dacherius in fol. in Appendice ad Opera Lantfranci Cantuariensis Archiepiscopi. Hugo autem post 18. Sedis annum à Lingonensi-

bus pulsus à Sede anno 1048. propter simoniam, adiit Judicium Leonis Papæ in Concilio Remensi anno 1049. ubi depositus fuit. Inde in Monasterium S. Vitoni Virdunensis secessit, sub Vvaleranno fratre suo & Abbate factus Monachus, ubi anno incomperto mortuus est. Vide Galliam Christianam Sammarthanorum tom. 2. pag. 658. in Episcopis Lingonensibus, ubi plura de illo.

1050. HEPIDANNUS Monachus sancti Galli in Helvetia Ordinis Divi Benedicti claruit ab anno 1030. vel circiter ad annum 1080. Scripsit *Chronicon*, quod incipiens ab anno 709. desinit in anno 1044. quo florebat, impressum cum multis aliis ad Abbatiam S. Galli spectantibus in Collectaneo Rerum Alamannicarum, quod in fol. Francofurti editum est anno 1606. typis Vvechelianis, ex curâ & studio Melchioris Haiminsfeldii Goldasti, viri in eruendis è tenebris Antiquitatibus laboriosissimi. Idem scripsit Hepidannus *Libros duos de Vitâ & Miraculis Sanctæ Vviboradæ*, sed longè serius, quos obtulit post annum 1072. Udalrico Abbati S. Galli, quosque primus edidit in Collectaneo citato Goldastus, sed post ipsum Bollandistæ Jesuitæ in Legendis Sanctorum ad diem 2. Maii. Agunt de Hepidanno Goldastus & Bollandistæ locis citatis plenè, Joannes Mabillon sæculo 5. SS. Ordinis D. Benedicti pag. 42. in observationibus prævis ad vitam S. Vviboradæ Virginis & Martyris, quem nos circa annum 1080. mortuum credimus.

GUALDO CORBEIÆ Gallicæ in Picardiâ Ordinis D. Benedicti Monachus, sub medium sæculi XI, *Vitam S. Anscharii Hamburgensis Episcopi Versibus reddidit & Adalberto Bremensi Ar-*

chiepiscopo dedicavit, quam edidit ex Mss. Codd. Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 2. pag. 115. & seqq.

DROGO BELGA Monachus Cœnobii S. Vvinoci, quæ civitas in Belgio est, deinde Gestellensis Pastor, postremò Morinorum Episcopus creatus anno 1036, quibus præfuit cum laude annos plus minus XXXIII, post quos in pace quievit anno 1078, vel juxta alios sequenti. Scripsit *Vitam S. Godolenæ* quam habet Surius ad diem 6 Julii tom. 4. *Vitam Sancti Osvvaldi Northumbriæ in Anglia Regis*, de quo Surius ad diem 5 Augusti. Addidit etiam libro primo *De vitâ S. Vuinoci Abbatis, secundum & tertium*, qui Mss. Bergis asservantur in eodem Monasterio S. Vvinoci. Plura dabunt de Drogone Belga Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 2, verbo *Bolonienses Episcopi* pag. 430, ubi de Episcopis Tarvanensibus seu Morinensibus.

HELGALDUS sive HELGAUDUS Floriacensis Monachus scripsisse dicitur circa annum 1050 *Vitam Roberti Regis Francorum*, editam primùm ex Bibliotheca Petri Pithoei Trecensis ac Parisiensis Causidici, anno 1596. in folio Francofurti Vvechelianis typis, inter undecim veteres Historiæ Francicæ Scriptores ab anno 900 ad 1283. Recudit illam postea in Collectaneo suo Historicorum Franciæ coætaneorum Andræas Ducheſnius, quem vide.

VVITPO seu VVIPPO Presbyter Germanus, Henrici tertii Imperatoris Sacellanus, clarus circa sæculi undecimi medium, scripsit *Vitam Conradi Salici patris Henrici tertii*, quam evul-

gavit ex Mss. Codicibus Joannes Piſtorius tom. 3 pag. 421 Collectionis ſuæ Scriptorum veterum de Rebus Germanicis, quam edidit 3 in fol. tomis Francofurti Vvechelianis typis, annis 1582, 1584 & 1607. Scripſit etiam *Panegyricum in laudem Henrici III. Imperatoris*, editum tom. 2 Antiquarum Lectionum Henrici Caniſii. Agunt de Vvitpone Piſtorius & Caniſius in præludiis ad ejus opuſcula, quæ evulgarunt; Poſſevinus parciſſimè in Appartu Sacro.

EVERVINUS ſeu EBERVINUS Monachus Natione Germanus & Abbas Monaſterii ſancti Mauritii Theologienſis ſive Toleienſis in Archiepiſcopatu Trevirenſi, Congregationis Cluniacenſis, circa annum 1050 ſcripſit *Vitam S. Simeonis Syracuſani Monachi Trevirenſis*, quæ extat apud Surium ad diem 1 Junii. Attribuitur hæc à nonnullis Ebervvino Abbati S. Maximini Trevirenſis, ſed temporum ratio reclamat: obiit enim S. Simeon anno 1035 die 1 Junii, quo tempore prædictus Ebervinus in vivis jam eſſe deſierat. Affinitas autem nominum Ebervvini & Evervini occaſionem errori præbuerunt. Hæc Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ, ac poſt ipſum Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro. Addo ego in Catalogo Abbatum S. Maximini Trevirenſis, quem habes tom. 4 Galliæ Chriſtianæ, nullum Abbatem hujus nominis legi.

EVERSHELMUS Monachus primùm Altimontis juxta Malbodium in Hannonia, deinde hujus loci factus Abbas anno 1048, ſcripſit circa hoc tempus *unum librum De Vitâ S. Popponis Abbatis Stabulenſis cognati ſui*, quem habent Laurentius Surius & Bollandus ad diem 25. Januarii. Inde factus Abbas S. Petri Gandavenſis anno 1058, ubi

mortuus est anno 1069. Vide Bollandum de illo in præludiis ad Vitam sancti Popponis, & Sammarthanos Fratres tom. 4 Galliæ Christianæ, in Abbatibus Altimontis & sancti Petri Gandavensis.

DEODUINUS seu THEODUINUS Episcopus Leodiensis successit Vvazoni ab anno 1048 ad 1075, quo mortuus est. Scripsit *insignem Epistolam ad Henricum Galliæ Regem de Corpore & Sanguine Domini*, quam Cardinalis Baronius & Joannes Chapeaville perperam sub nomine Durandi Leodiensis Episcopi & quidem mutilam ediderunt, ex Ms. Cod. Ludovici Martelli Civis Rothomagensis; integram autem atque auctori suo restitutam Joannes Mabillon tom. 4 Analectorum pag. 396. Idem ipse Codex nunc asservatur in amplissima Bibliotheca eruditi viri Emerici Bigotii, quo in Codice non Durandi nomen, (quippe qui ante natam Berengarii Hæresim devixit, anno scilicet 1024) adscriptum legitur: sed prima duntaxat Littera D, Deoduinum seu Theoduinum significans, quo eodem modo ejus nomen decurtatum legitur in Cod. Ms. sancti Audoeni Rothomagensis, quem Codicem cum Bigotiano Contulit Joannes Mabillon.

VVIBERTUS seu GUIBERTUS, Olim Archidiaconus Tullensis, cum S. Leo IX. postea Romanus Pontifex, esset tantum Tullensis Episcopus; quem in multis itineribus secutus est, scripsit circa annum 1060 *Libris duobus Vitam hujus sancti Pontificis*: quam primùm à Jacobo Sirmondo editam, Henschenius & Papembrokius eruditi ejusdem Societatis viri, cum duobus Mss. Codd. collatam & auctam ediderunt inter Acta Sancto- 1060.

rum tom. 2. ad diem 19. Aprilis. Opus accuratum in rebus S. Leonis IX. recensendis.

METELLUS TEGERSEENSIS sive TEGERSENSIS Monachus Ord. Divi Benedicti vivebat circa annum 1060, antiquissimus Boicorum Poëtarum. Reliquit à se conscriptas Eclogas quas inscripsit Quirinalia in laudes Beati Quirini gloriosi Martyris, quas primùm ex apographo emisit in lucem Henricus Canisius Juris utriusque Consultus Ingolstadii in tom. 1. Antiquæ Lectionis. De Metello Antonius Possevinus in Apparatu Sacro tom. 2 pag. 105, & Canisius in Præludiis Quirinalibus à se evulgatis, appositis.

JOANNES XIPHILINUS Patriarcha Constantinopolitanus sub Constantino Duca factus anno 1066, juxta Baronium in Annalibus ad hunc annum. Ut auctores sunt Zonaras & alii, hic Trapezunte oriundus & valdè doctus, qui omnibus sponte derelictis, Monasteria frequentavit, solitariam diu vitam egit, ac denique Patriarchali Sede cohonestatus fuit. Hujus extat homilia unà græcè & latinè apud Jacobum Gretzerum in opere suo *De Cruce* inscripto, sed hæc quid inter tantas quas assiduus enuntiando Evangelio Xiphilinus composuit? Scripsit itaque *Homilias in Evangelia Dominicalia totius Anni*, quæ Mss. Græcè extant sub ejus nomine in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis Cod. 91, & in Vaticana ex Ms. Codice Heidelbergensi Palatino, num. 221, dignissimæ quæ in publicum prodeant. Mortuus est juxta Baronium anno 1080, de quo loquuntur Zonaras, aliique Scriptores Græci; de Scriptis autem Antonius Possevinus in Apparatu Sacro tom. 1. pag. 955, verbo *Joannes Xiphilinus*.

FOLCARDUS Monachus Cœnobii S. Bertini Sithivensis, Congregationis Cluniacensis, circa annum 1060 scripsit *Vitam S. Bertini Abbatis Sithivensis, & Vitam S. Audomari Episcopi Morinensis*, quarum utraque impressa jacet inter Legendas Laurentii Surii labore collectas, altera quidem S. Bertini ad diem 5 Septembris, altera S. Audomari ad diem 15 ejusdem Septembris. Meminit Folcardi Antonius Possevinus in Apparatu Sacro tom. 1 pag. 573, & Joannes Mabillon sæculo 2 Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, dum loquitur vel affert Legendas istorum Sanctorum.

DURANDUS Monachus Fiscamnensis in Normannia, cum circa annum 1070 virtute ac scientiâ plurimùm floreret, eductus è Cœnobio Fiscamnensi, datus est in primum Abbatem Ecclesiæ de Troarno, teste Roberto de Monte sancti Michaëlis, in Tractatu suo De Abbatiis & Mutatione Abbatiarum Neustriæ. Troarnum autem sancto Martino Sacrum, Ordinis Divi Benedicti in Episcopatu Bajocensi ad Divam fluvium, tunc temporis à Rogerio de Montegomerico filio Rogerii Vice-Comitis Oximensis fundatum, in vico suo cui nomen Troarnum. Paucis multa complectitur (quoad doctrinam Durandi Abbatis Troarnensis) Ordericus Vitalis Lib. 4 Historiæ suæ, ubi sic loquitur. *Gerbertus Fontinellensis, Aimardus Divensis ac Durandus Troarnensis, quasi tres stellæ radiantes in firmamento Cœli; sic isti tres Archimandritæ multis modis rutilabant, Religione & caritate, multiplicique peritiâ pollebant, studioque divinæ laudis in Templo Dei jugiter inhiabant.* Porro egregium scientiæ Durandi Troarnensis monumentum est *Tractatus De Corpore & San-* 1070.

guine Domini contra Berengarium, quem primus in lucem è tenebris eduxit Dominus Lucas Dacherius, ediditque ad calcem operum S. Lanfranci Cantuarienſis Epiſcopi, Pariſiis in folio anno 1647 apud Joannem Billaine. Ejuſdem Durandi mortem pretioſam, ſic expreſſit idem Ordericus Lib. 7 Hiſtoriæ ſuæ. *Durandus ſiquidem Troarnenſis Abbas grandævus, ab infantiâ Monachus, Religione & ſapientiâ præcipuus, Eccleſiaſtici Cantus & divini Dogmatis Doctor peritiſſimus, ſibi durus carnifex, poſt multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit; & benè ut prudens & fidelis ſervus, ire ad Curiam Domini ſui paratus, tertio Idus Februarii de ſæculo migravit. Venerabiles Diſcipuli Glebam Religioſi Doctoris in Capitulo ſuo reverenter ſepelierunt, & in Candido Lapide qui ſuppoſitus eſt, Epitaphium hoc addiderunt.*

Hac tegitur tumbâ, bonus ac venerabilis Abbas
Durandus, noſtri norma Monaſterii
Ad Domini laudem, præſentem condidit Ædem,
Quâ ſibi propitium credimus eſſe Deum.
Luce ſub undenâ februi, reſolutus habenâ
Carnis, ad Angelicam dirigitur Patriam.

Videndus de illo Lucas Dacherius in Appendice ſuâ ad Opera Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi, ubi varia præmittit lectu digna de Durando Abbate Troarnenſi, antequam ejus opus evulget. Nec te fallat, Lector amice, Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, verbo *Durandus à ſancto Porciano*, quem erroneè appellat Leodienſem Epiſcopum, & cui attribuit Epiſtolam ad Henricum Galliæ Regem *de Corpore & Sanguine Domini*,

ni, & cujus vult meminisse Guitmundum lib. 1 de Corpore & sanguine Domini. Nam Epistola ista, nec est Durandi à sancto Porciano Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui nondum natus erat tempore Henrici primi Galliarum Regis : nec Durandi etiam Leodiensis qui mortuus erat, antequam Henricus primus esset Galliæ Rex : sed Deoduini Leodiensis Episcopi, scripta inter annum 1048 quo Deoduinus est factus Leodiensis Episcopus, & 1060 quo mortuus est Henricus primus Galliæ Rex, post exortam Berengarii Hæresim. Quantùm autem ad Guitmundum qui Libro 1. *De Corpore & Sanguine Domini*, meminit operis Durandi de eodem argumento : non intelligendus est vel de Durando Leodiensi qui nihil scripsit, nec de Durando de sancto Porciano, cujus nihil extat speciale de Corpore & sanguine Domini, sed de Durando Troarnensi Abbate, de quo loquimur, & cujus opusculum de hoc argumento.

GERARDUS primùm Monachus & Ædituus seu Sacrista Corbeiensis Monasterii, tum postea Celletarius, factus deinde Abbas sancti Vincentii Laudunensis, circa annum 1070 in locum Fratris Reginarii suffectus, vir pietate ac sanctitate insignis, velut acta ipsius testantur, quæ suo stilo prosecutus est Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino lib. 2 Observationum ad diem 5 Aprilis. Hic cum Celleratii officio apud Corbeiam fungeretur, scripsit *Vitam sancti Adhalardi Abbatis Corbeiensis*, quod præstitit occasione receptæ sanitatis per sanctum Virum, qui ipsum ab improbo capitis dolore liberaverat. Hanc ediderunt Surius & Bollandus ad diem 2 Januarii, & Joan- 1070.

nes Mabillon sæculo 4 Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 1 pag. 345. Ex Abbate sancti Vincentii Laudunensis, postea circa annum 1077 Abbas præficitur Monasterio S. Medardi Suessionensis: sed à Bertha Regina Philippi Regis conjuge pulsus, Cœnobium Silvæ Majoris Diœcesis Burdegalensis fundat circa idem tempus, eique primus Abbas præest anno eodem 1077 de quo sic Chronicon Malleacense: *Anno* 1077, *Giraudus ædificare cœpit Cœnobium sanctæ Mariæ Silvæ Majoris & obiit* 1095. 7 *Idus Aprilis*. De illo agunt quisquis auctor est vitæ S. Arnulphi Suessionensis cap. 18, sive is sit Liziardus Suessionensis, sive Hariulphus Aldemburgensis Abbas; Martyrologium Benedictinum Hugonis Menardi ad diem 5 Aprilis, Joannes Mabillon & Bollandus locis indicatis; Sanmarthani Fratres in Gallia Christiana tomo 4 in Catalogis trium Abbatiarum sancti Vincentii Laudunensis, sancti Medardi Suessionensis, & Silvæ Majoris. Imò plura de illo promittit idem Joannes Mabillon sæculo sexto Sanctorum Ordinis D. Benedicti, ad annum 1095, ubi ejus Elogium Historicum post Hugonem Menardum, ex variis monumentis conscribet.

CONRADUS seu CONRARDUS Henrici IV. Imperatoris Præceptor, eoque sollicitante factus Episcopus Ultrajectinus, post Guillelmum anno 1075, scripsisse dicitur librum, quem alii adscribunt Vvaldramo Naumburgensi in Saxonia Episcopo, alii Vvenerico Vercellensi Episcopo. Inscribitur, *Apologia de Unitate Ecclesiæ conservanda, & Schismate inter Henricum IV. Imperatorem ac Gregorium VII. Pontificem Maximum*: Quam ex Ms. Codice Fuldensis Abbatiæ erutam Marquar-

dus Freherus inſeruit primò Volumini Veterum Hiſtoriæ Germanicæ Scriptorum, ex tribus editis in fol. Francofurti Vvechelianis typis annis 1600, 1602, & 1611 Hanoviæ. Conſtructa majori Eccleſia Ultrajectenſi, ſumptibus potiſſimùm Henrici IV. Imperatoris, Conradus occiſus eſt anno 1099 octavo Kalendas Maii, de quo abundè Joannes de Beka in Chronico de Epiſcopis Ultrajectinis, Joannes à Leidis Carmelita, Sammarthani Fratres in Gallia Chriſtiana tom. 1 pag. 828 in Archiepiſcopis & Epiſcopis Ultrajectenſibus, poſt plures alios quos allegant.

GREGORIUS Papa VII, longè ante Pontificatum ſub nomine Hildebrandi, ab anno 1049 celeberrimus, ab anno 1073 per annos duodecim menſem unum & dies tres ad annum 1085 diem 25 Maii Cathedram Romanam tenuit, libertatemque Eccleſiaſticam pro viribus contra Imperatorem tuitus eſt. Scripſit *inſignem Commentarium in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales*, quem quia Mss. Codices Gregorio adſcribunt, ideo ob aliquantam quam præ ſe fert antiquitatem, ob ſtilum & pietatem, ſancto Gregorio Magno adſcriptus eſt, atque inter ejus opera etiam impreſſus: licèt ad tempora Henrici IV. ſpectet ex iis quæ narrantur, ut rectè notavit Petrus de Guſſanvilla, in ultimâ editione Operum S. Gregorii Magni, quam 3 in fol o tomis procuravit Pariſiis apud magnam Societatem Bibliopolarum. De Cœteris Gregorii VII. operibus vide Bellarminum & Labbeum in operibus ſuis de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quibus hoc opuſculum eſt ſupplementum tantùm.

BENNO Cardinalis & Hoſtis Gregorii Papæ VII. infeſtiſſimus, ſcripſit *Vitam illius*, vel

potiùs optimi Pontificis famam libris duobus proscidit, quos edidit Melchior Haiminsfeldius Goldastus Hanoviæ in 4°. anno 1611, cum scriptis penè omnibus contra Gregorum VII. facientibus, inclusis in opere isto quod inscripsit, *Apologiam Principum Germaniæ pro Henrico IV. Imperatore contra Criminatores, &c.* Ibidem itaque aperti Gregorii septimi hostes idem faciunt, Conradus Episcopus Ultrajectinus in *Oratione pro Imperatore contra Papam*, pag. 48. Idem Vvaldramus Naumburgensis Episcopus, *in Epistola ad Lantgravium Thuringiæ pro Imperatoris fide contra Papam* ibid. pag. 51, & *Apologiarum pro Imperatore libris tribus*, ibid. pag. 53: & *Opusculo de Investitura Episcoporum facienda per Imperatores*, ibid. pag. 226. Idem Otbertus Leodiensis Episcopus, *Epistolâ de Vitâ & obitu Henrici IV. Imperatoris*, ibid. pag. 204: & Everhardus Salisburgensis Archiepiscopus, *Oratione de Hildebrandi Anti-Christiano Imperio*, ibid. pag. 237: denique *Supplex Libellus Decani & Conventualium Abbatiæ Laurishamensis* ad Henricum V. Imperatorem contra Hildebrandinos Monachos de Hirsaugia, ibid. pag. 233. Eundem insectatus est Vvenericus Vercellensis Episcopus in opere, *de Unitate Ecclesiæ conservanda & de Schismate inter Henricum IV. Imperatorem & Gregorium VII Romanum Pontificem*, quod primò Basileæ, impressum est anno 1557 in Collectaneo Antiquarum Legum Salicarum, Saxonicarum & Germanicarum in fol. cura & studio Joannis Heroldi, dein tom. 1 Collectanei Veterum de Rebus Germanicis Scriptorum Marquardi Freheri, anno 1600 Francofurti in fol. typis Vvechelianis; denique Argentorati annis

1609 & 1618. cum variis. Sed contra hos in patrem suum armatos filios, fideles & sinceri ejusdemque temporis Scriptores multi, quos Ingolstadii variis temporibus edidit Jacobus Gretzerus Societatis Jesu, Gregorii VII. defensor fortissimus: nempe Gerhohus Abbas Reicherspergensis, *in Syntagmate de Henricis IV & V Imperatoribus, & de Gregorio VII & nonnullis consequentibus Pontificibus*, Ingolstadii in 4° anno 1611. Item Bertoldus seu Belnaldus Presbyter Constantiensis *in Opusculis quibusdam Apologeticis pro Gregorio VII.* quæ Gretzerus edidit ad calcem tomi secundi defensionis Bellarmini, Ingolstadii anno 1609 paginâ 43; & Opusculo *De vitanda Excommunicatorum Communione*, apud Gretzerum pag. 237, impresso in Opere *contra Replicatorem seu Melchiorem Guldastinum*, Ingolstadii anno 1612. in 4°. Sanctus Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus, *in Epistola ad Herimannum Metensem Episcopum*, ibidem paginâ primâ & sequentibus, relata à Gretzero contra Replicatorem: Et Stephanus Episcopus Halberstatensis, *Epistolâ contra Schismaticos*, ibidem relata paginâ 301. Paulus denique Bernridensis Abbas *in Vita Gregorii VII.* quam scripsit contemporaneus testis, & idem Gretzerus edidit Ingolstadii anno 1610. in quarto. Hæc pauca de sibi adversis hujus alteriusque sæculi Scriptoribus, pro & contra Gregorium VII.

MICHAEL PSELLUS Præfectus studiis Michaëlis Ducæ Imperatoris, qui fuit Constantini Ducæ filius, & anno 1071. Romano Diogeni successit in regimine Orientalis Imperii. Floruit anno 1071 & sequentibus, insignis ob magnam re-

rum philosophicarum & divinarum scientiam, quam probant plurima ejus Opuscula tam impressa quàm etiam manuscripta adhuc latitantia in variis Bibliothecis. Spectant ad Michaëlem Psellum *Paraphrasis seu Commentarius in Cantica Canticorum*, græcè editus à Joanne Meursio anno 1617. in 4°, unà cum Eusebii in idem Canticum paraphrasi. *De sanctissima Trinitate* Græco-latinè cum Cyrillo contra Nestorianos in 8°, Augustæ Vindelicorum anno 1611, cum Notis per Vvegelinum. *Dialogus de Energia & Operatione Dæmonum*, ex Græco à Petro Morellio Parisiis in 8° apud Guillelmum Chaudiere anno 1577. *Iambi in vitia & virtutes*, græcè in 8° Basileæ 1544, cum ejusdem *Isagoge in Tantalum & in Circen* ibid. *& Allegoria de Sphinge* ibid. typis Oporinis. Nec tantùm Theologus, sed & Philosophus & Mathematicus & Physicus extitit, ut Opera ejus sequentia demonstrant. Habetur enim Michaëlis Pselli *Introductio in sex Philosophiæ modos, & Compendium quinque Vocum & decem Prædicabilum*, græco latinè Parisiis in 12° anno 1541. *In Librum Ammonii Hermæi De Interpretatione* Commentarius græcè in folio Venetiis anno 1503 apud Aldum. Ejusdem *Metaphrasis Libri secundi Posteriorum*, Emanuele Margunio interprete, in 8° Venetiis apud Juntas anno 1575. *in Physicam, vel in octo libros Physicorum* Commentarius, Joanne Baptista Camotio interprete, in folio Venetiis anno 1554. *In quatuor Mathematicas Disciplinas* græcè Parisiis in 8° anno 1545. Idem latinè interprete Guillelmo Xilandro, cum ejus Annotationibus in 8° Basileæ 1556, typis Oporinis. Idem latinè per Vinetum in 8° Parisiis anno 1557. apud Cavellat.

Hoc Compendium Mathematicum editum pariter in 8° Lugduni Batavorum anno 1647. *De Ratione victus ad Constantinum Imperatorem*, latinè Georgio Valla interprete, in 8° Basileæ anno 1529. *De lapidum virtutibus* græco-latinè à Philippo Mauſſaco Toloſæ in 8° anno 1615. Extant adhuc alia Opuſcula manuſcripta in Bibliothecis, Regia Gallica, Imperatoria Vindobonenſi, Vaticana, & alibi : quæ hîc recenſere, otioſum ac tædioſum fuerit.

VUILLERAMUS Germanus, Monachus Fuldenſis Ordinis Divi Benedicti, deinceps autem Abbas ſancti Petri Merſeburgenſis Congregationis Cluniacenſis, qui claruit anno 1070, ſcripſit *in Canticum Canticorum Epithalamium de Chriſti & Eccleſiæ nuptiis*, ex diverſi generis Carminibus, prosâ intermixtis Libros tres, quorum initium eſt, *Cùm Majorum ſtudia*, *&c.* Hæc autem Vuilleramı Abbatis Paraphraſis in Cantica Canticorum gemina ; prior Rythmis Latinis, altera veteri Linguâ Francicâ, cum Explicationibus & Notis, quibus veterum vocum Francicarum ratio redditur, edita cum Dracontio in Exameron Lugduni Batavorum anno 1598. per P. Merulam in octavo. Vide Poſſevinum in *Apparatu ſacro* tomo 2 pag. 548.

URSIO Abbas Altimontis Ordinis Divi Benedicti juxta Malbodium in Hannonia, ſcripſit circa annum 1080 *Hiſtoriam ſancti Marcelli Papæ libris duobus*, quam Lietberto Cameracenſi Epiſcopo circa ſæculi noni finem nuncupavit, quamque retulit Bollandus ad diem 16 Januarii : ubi in Commentariis Acta ſancti Marcelli Papæ præviis, de Urſione loquitur. 1080.

DESIDERIUS Abbas Caſſinenſis floruit etiam circa annum 1080. doctrinâ ſimul & ſanctitate, unde factus ob præſtantiam meritorum Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Ceciliæ. Scripſit dum eſſet Abbas Caſſinenſis, *Miracula à ſancto Patre Benedicto ejuſque Diſcipulis facta in Italia Dialogicè libris tribus*, quos ex manuſcriptis codicibus erutos ediderunt Bollandiſtæ ad diem 21. menſis Martii, cum aliis ad ſanctum Benedictum ſpectantibus, & Joannes Mabillon ſæculo 4 Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 2 pag. 425. Hic defuncto Gregorio VII Romano Pontifice anno 1085 die 25 Maii, ſuffectus in ejus locum & labores, poſt menſes circiter decem mortuus eſt. De illo Ant. Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, tomo 1. pag. 419, verbo *Deſiderius Abbas ſancti Benedicti*, & quotquot nuperi ſcripſerunt de Summis Pontificibus.

JOANNES SCYLITZES, dignitate atque officio Curopalates, vixit extremo Chriſti ſæculo undecimo, ſub Alexii Commeni Imperatoris initium, de quo Bellarminus, & Labbeus in Diſſertatione hiſtorica de Scriptoribus à Bellarmino recenſitis tomo 1 pag. 555. *Ejus Hiſtoria anno* 813. ſive à fine Imperii Michaëlis Rangabi Curopalatæ ubi deſinit Theophanes, inchoata, *deſinit ad annum* 1081, quo Alexius Commenus factus eſt Imperator Græcorum. Hæc à Joanne Baptiſta Gabio latinè reddita, Venetiis prodiit in minori folio: nuſquam verò græcè tota excuſa fuit, ſed pauca duntaxat excerpta, ab anno ſcilicet 1007 ad annum 1081, quæ græcè & latinè ſubjecta fuerunt Compendio hiſtorico Georgii Cedreni, cum aliquot Notis Jacobi Goari Ordinis Fratrum

Prædicatorum, anno 1647 Parisiis in Typographia Regia excuso. Hæc nos ex citato Labbeo, cui addimus extare manuscriptum codicem Græcum Joannis Scylitzæ Curopalatæ, Romæ in Bibliotheca Reverendorum Patrum Oratorii, ut audio, itemque in Messanensi sancti Salvatoris, ut certò scimus: unde Græcus textus Latino facilè adjungi posset.

THEOPHYLACTUS Acridæ in Bulgaria Episcopus, claruit anno circiter 1080, de quo plenè loquuntur Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Labbeus ibidem tom. 2 paginâ 413 & sequentibus, quibus addo in Supplementum Operum quæ recensent, Commentaria Theophilacti *in quatuor ex minoribus Prophetis*, nimirùm *Habacuc*, *Jonam*, *Nahum* & *Oseam*, juxta Labbeum, latinè tantùm prodierunt ex interpretatione Joannis Lonicери, recognita à Philippo Montano: sed integra Theophylacti Bulgariæ Episcopi Enarratio in duodecim Prophetas minores, græcè Ms. extat in folio in Bibliotheca Augustana Codice 48. Ejusdem quoque *Colloquium cum quodam de Accusationibus Latinorum*, & *Oratio in Alexium Comnenum Imperatorem*, Mss. græcè in Bibliotheca sereniſſimi Bavariæ Ducis Codice 116. Hæc nos ad Supplementum magni viri Theophilacti.

ANSELMUS patriâ Mantuanus, factus est ab Alexandro Papa secundo anno 1071 Lucensis in Tuscia Episcopus, vir sanctitate & doctrinâ clarus, maximus Gregorii VII Summi Pontificis fautor, obiit die 18 Martii 1086, & Mantuæ in patria sepultus est. Bellarminus & Labbeus de illo agunt in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quibus ad-

do in multis Codicibus manuscriptis adscribi illi *insignem Collectionem Canonum Ecclesiasticorum*, quam habes manuscriptam in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, in Regia Gallica, & Romæ in Barberina, ut tradit Stephanus Baluzius *in Opere de Emendatione Gratiani* edito Parisiis in 8° anno 1672 apud Franciscum Muguet, tam in præfatione ad Lectorem num. 19, quam etiam in Notis pag. 641, quas legito. Hoc autem Opus ob rationes à Baluzio allatas, mihi fermè indubium est *Hildeberti Cenomanensis Episcopi*, cujus temporibus optimè convenit, & qui potuit ad calcem Operis sui adjeciſſe Decreta aliqua Innocentii secundi, ut in certis manuscriptis inveniuntur; qui denique tentasse simile aliquid legitur, ut constat ex præfatione Operis quæ inter ejus Epistolas legitur, in antiquis impressis. Promiserat hujus Collectionis editionem Domnus Lucas Dacherius in Spicilegio suo, quod non præstitit, persuasus forsitan quòd non pertineat ad Anselmum Lucensem.

DEUSDEDIT Presbyter Cardinalis, tituli sanctorum Apostolorum in Eudoxia, tempore Victoris Papæ tertii, hoc est, anno Christi 1086 scripsit pariter *Collectionem Canonum, seu libros quatuor de rebus Ecclesiasticis*, qui manuscripti extant & asservantur in Bibliotheca Vaticana, ut tradit idem Stephanus Baluzius in Notis suis ad Emendationem Gratiani pag. 270, de quibus Antonius Augustinus in suis Dialogis.

GREGORIUS Presbyter & S. R. E. Cardinalis, scripsit eodem tempore Collectionem Canonum, quam *Polycarpum* appellavit, quod nomen Operis est, non Auctoris: de qua loquitur Anto-

nius Augustinus De Emendatione Gratiani lib. 1, Dialogo 14, & libro 2 Dialogo 15. Habetur manuscriptum hoc Opus in Bibliotheca Vaticana, ut asserit idem Augustinus in Opusculo de veteribus Collectionibus & Collectoribus Canonum, in Epitome Juris Pontificii Parisiis in folio edito, anno 1641. Itemque manuscriptum in Bibliotheca Colbertina Codicibus 696. & 4047. quos annotasse juvat.

PAULUS Benriedensis Canonicus & Præpositus Canonicorum Regularium Divi Augustini, circa hoc tempus scripsit *De Rebus gestis Gregorii VII Summi Pontificis*, & *Vitam sanctæ Herlucæ virginis*, quæ edidit Jacobus Gretzerus Germanus Societatis Jesu Theologus, in 4° Ingolstadii anno 1610 apud Adamum Sartorium, & post ipsum Bollandistæ suis locis.

MICROLOGUS Auctoris nomen non est, sed Operis quod *Micrologus* inscriptum est. Hujus quisquis Auctor fuit, non vixit anno 1085, ut Bellarmino & Labbeo in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* visum est: sed anno forsitan 1180 vel circiter. Constat enim eumdem esse Auctorem *Micrologi istius & trium Librorum*, qui manuscripti inveniuntur in multis Bibliothecis, *Vitæ Caroli Magni Regis Francorum & Imperatoris*, cùm Auctor istorum librorum in prologo, Micrologum de Officiis Ecclesiasticis suum Opus agnoscat. At ad instantiam Friderici primi Imperatoris conscripti sunt, ut docet prologus dictorum Librorum, quem evulgaverunt Bollandistæ ad diem 28 Januarii: & in hoc prologo Auctor allegat se jam scripsisse librum *Micrologum* inscriptum. Unde cùm hi libri certò sint circa an-

num 1180, vel 1160 compositi, idem de Micrologo statuendum annotandumque est. Hæc dicta sint, salvis certioribus in contrarium. Alia de Micrologo vide apud Labbeum in Dissertatione historica *De Ecclesiasticis Scriptoribus* tomo 2 paginâ 91, Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, verbo *Micrologus*, tomo 2 pag. 116, ubi tamen de Micrologo Musices qui spectat ad Guidonem Aretinum, loquitur.

ROBERTUS DE TUMBALENIA Monachus sancti Michaëlis in periculo maris, ut scribit Ordericus Vitalis libro 8 Historiæ ad annum 1094, factus postea Abbas Monasterii sancti Vigoris, quod situm est juxta muros urbis Bajocarum, profectusque Romam, *à Gregorio VII Papa detentus honorificè, usque ad mortem Romanæ fideliter servivit Ecclesiæ*: ut idem scribit loco citato ad annum 1087, qui inter reliqua peritiæ suæ monumenta, *brevem & luculentam sensuque profundam super Cantica Canticorum Expositionem dimisit in Ecclesia*, inquit Ordericus. Hic autem *in Cantica Canticorum Commentarius*, cujus prologum edidit Joannes Mabillon tomo 1 Analectorum pag. 125 ex manuscripto Codice Balernensi in Ducatu Burgundiæ, est idem cum eo qui hucusque fuit adscriptus sancto Gregorio Magno, & ad quem non pertinere censet Petrus de Gussanvilla in ultima editione Operum Divi Gregorii Magni. Habetur etiam hic Commentarius manuscriptus in Bibliotheca sancti Victoris, sed anonymus, num. 18 lit. D. H: esse autem unum atque idem cum dicto Commentario qui Gregorianus dictus est, hoc patebit conferenti utriusque initia cum consequentibus, nec ullus erit qui u-

trumque unum & idem negabit, nisi qui sanè non senserit. Nec objicias ex Analectis tomo 1 pag. 128 Robertum Abbatem sancti Vigoris dimisisse Commentarium suum in duobus libris, Anonymum autem tomo 3 Operum sancti Gregorii pag. 461, feciſſe explanationem in eadem Cantica continuam. Hoc enim factum ab Exscriptoribus, ut dicto Abbati obedirent, qui id optavit & injunxit sub finem suæ præfationis tomo 1 Analectorum pag. 128. Nec instes alium esse prologum dictorum Commentariorum in Operibus Divi Gregorii, & alium in Analectis: nam qui in Operibus Divi Gregorii est, juxta Petrum de Gussanvilla pag. 458, deest in manuscriptis multis, in aliis discrepat, in aliis brevior aut longior: unde compositus arguitur ab Exscriptoribus, vero prologo hujus Operis & Auctoris existente in Analectis citatis pag. 125 ex manuscripto Codice Balernensi cum nomine Auctoris. Denique nuperrimè hunc Commentarium edidit sub nomine Radulfi Fontanellensis Abbatis pag. 276 Operis quod inscripsit *Supplementum Patrum* Jacobus Hommey Augustinianus Eremita, editum Parisiis in 8° anno 1684, apud Petrum de Laulne ad Sorbonam sub signo Imperatoris. Deceptus ex littera sola nominis initiali R, hunc Commentarium ex conjecturis concessit Radulfo Fontanellensi Abbati, quem prologus integer tomo 1 Analectorum Joannis Mabillon pag. 125 disertè attribuit Roberto Abbati sancti Vigoris Bajocensis, post oculatum ac temporaneum testem Ordericum Vitalem, ejusdem Temporis, Regionis, atque Ordinis.

CONRADUS Monachus Ordinis Divi Benedi- 1090.

cti, natione Germanus, in Monasterio sancti Nicolai Bruvillarensis, in Archiepiscopatu Coloniensi, florebat jam anno 1070, imperante Henrico quarto, qui tanquam oculatus testis scripsit circa annum 1096, *Vitam sancti Vvolphelmi Abbatis Bruvillarensis*, qui mortuus est anno 1091, die 22 Aprilis. Hanc oblatam Everartho suo successori, ac Herimanno sancti Pantaleonis Coloniensis Abbati, ediderunt Surius & Bollandistæ ad diem 22 Aprilis, repetetque Joannes Mabillon sæculo 6 Sanctorum Ordinis Divi Benedicti ad annum 1091. Mentionem hujus Conrardi faciunt Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 1 pag. 380, Bollandistæ citati in Commentariis prævis ad Vitam sancti Vvolphelmi.

UDALRICUS Cluniacensis Monachus, clarus sanctitate & doctrinâ circa annum 1090, scripsit *Libros tres antiquarum Cluniacensis Cœnobii Consuetudinum*, quas in publicum eduxit D. Lucas Dacherius tomo 4 Spicilegii pag. 21 & seqq. Creditur vixisse usque annum 1100 & ultra forsitan, de quo loquitur Lucas Dacherius in prolegomenis ad quartum tomum Spicilegii sui, quæ consulat Lector.

GAUFREDUS A MALATERRA, Monachus Ord. Divi Benedicti, non Hispanus, ut censet Antonius Possevinus, sed Gallus ex provincia Nortmanniæ, claruit circa annum 1097, scripsitque gesta sui temporis & suæ, ut ita loquar, nationis: nempe *Libros quatuor de gestis Roberti Viscardi Calabriæ Ducis & Rogeri ejus fratris, Principum Normannorum & eorum fratrum, in Campania, Apulia, Cicilia:* seu de conquestu Regnorum Ciciliæ, Calabriæ & Apuliæ. Cum-

que hoc Opus diu delituisset inter vetera monumenta Regum Aragonum, ad annum usque 1578, Hieronymus Zurita vir celebris edidit in folio Cesaraugustæ typis Dominici à Portonariis eodem anno, munitum & laudatum privilegio Regio, dedicatum autem Antonio Augustino tunc Tarraconensi Archiepiscopo, viro in antiquitatibus doctissimo. Idem Opus postea insertum etiam in 4. volumen *Scriptorum Hispaniæ Illustratæ*, quæ Francofurti in folio anno 1603 edita sunt. Mentionem facit hujus Historici Antonius Possevinus, *in Apparatu sacro* tomo primo paginâ 621, qui Gaufredum scripsit & malè credidit Hispanum, eo quòd Opus ejus absque dubio illuc è Cicilia olim allatum, in Hispania inventum, atque in eadem primò editum fuerit, quamvis Normannus esset.

GUILLELMUS APPULUS, quòd natus in ea provincia in Regno Neapolitano, floruit sub finem sæculi XI. & Imperio Henrici IV. Scripsit ad preces Urbani II. qui rexit Ecclesiam ab anno 1088 ad 1099, & Rogeri de Bussiaco *insigne Poëma heroicum de rebus gestis Normannorum in Italia & Neapolitano Regno*, quod impressum anno 1552, curis Joannis Tiremii Rothomagensis in Parlamento Causidici. Videas & illud in Collectione Scriptorum *De Rebus Normannicis* ab Andræa Ducheſnio Parisiis anno 1619 apud Sebastianum Cramoisy, & Collectaneum Scriptorum Ciciliæ Francofurti in folio anno 1579, Vvechelianis typis.

BERTOLDUS, dictus etiam à quibusdam *Berноldus & Bernaldus*, Presbyter Constantiensis ad Rhenum, scripsit de Rebus post Hermanni Con-

tracti obitum gestis usque ad finem sæculi undecimi, *Chronicon* impressum in Collectione veterum Historiæ Germanicæ Scriptorum Christiani Urstitii in fol. Francofurti anno 1585. Vvechelianis typis. Ejusdem *Opusculum de vitanda Excommunicatorum societate*, cum veteribus monumentis contra Schismaticos pro Gregorio VII. editis per Sebastianum Tengnagelium 1612 Ingolstadii in 4°. Itemque Bernaldi sive Bertoldi Constantiensis *alia Opuscula pro Gregorio VII* edita à Jacobo Gretzero, cum defensione Gretzeri pro Cardinale Bellarmino in fol. Ingolstadii anno 1609 typis Adami Sartorii. Qui plura cupit de Bertoldo, adeat locis cit. Tengnagelium & Gretzerum, qui ejus Opera evulgarunt, Labbeum in Dissertatione historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino recensitis tomo 1 pag. 202, Antonium Possevinum in *Apparatu sacro* tomo primo paginâ 218.

NALGODUS Cluniacensis Monachus, non fuit Discipulus sancti Maioli Abbatis Cluniacensis, ut opinatus est Godefridus Henschenius ad diem undecimam Maii in præviis Commentariis ad Vitam sancti Maioli, qui mortuus est anno 994: sed circa annum 1100 vixit. Nam *in Vita* quam scripsit *sancti Odonis Cluniacensis Abbatis*, & quam refert Joannes Mabillon sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 186, annis ferè ducentis vivebat post Odonem; id quod ipse disertè asserit num. 29, nimirum Urbano secundo Summo Pontifice, aut certè post ipsum ex num. 23, unde rectè circa an. 1099 vel circiter collocandus occurrit. Scripsit etiam *Vitam sancti Maioli Abbatis Cluniacensis* anno 994 mortui, quam Bollandistæ

landiſtæ ediderunt ad diem undecimam Maii. De Nalgodo Henſchenius in prælúdiis ad Vitam ſancti Maioli die undecima Maii, Joannes Mabillon in iiſdem ad Vitas Sanctorum Odonis & Maioli Abbatum Cluniacenſium ſæculo v. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, paginis 125 & 760.

OTHLONUS natione Germanus, ſub finem ſæculi XI. vel ſub initium XII. *illuſtrandis ſancti Bonifacii geſtis* operam ſuam contulit, conquiſitis ac relatis ipſius Bonifacii aliorumque Epiſtolis, quæ ad rem pertinere videbantur. Othloni nomen quod diu latuerat, Henricus Caniſius primus in Rebdorfenſis Monaſterii manuſcripto Codice deprehendit in hæc verba: *Incipit prologus venerabilis Preſbyteri Othloni & M. Cœnobii ſancti Bonifacii in Vitam ipſius*, id eſt, prout divinavit Caniſius, Monachi Cœnobii ſancti Bonifacii. Fuiſſe enim Othlonum Monachum, ſatis ex præfatione patet; dum non ſolùm *Fratres ſuos Fuldenſes* vocat, ſed & ſemetipſum illoſque *& infimos & ſpectaculum factos mundo* ait. Non tamen Fuldenſis Cœnobita fuiſſe videtur, quia Fuldenſes Monachos in præfatione alloquens, *Cœnobium veſtrum* nominat: ſed ex aliquo Monaſterio ſancti Bonifacii, quem *Patronum noſtrum* appellat. Vixit circa initium ſæculi XII. ex prologo Vitæ quam in duos libros diſtinxit, & quam primus edidit Henricus Caniſius tomo 4 Antiquæ Lectionis, & Joannes Mabillon ſæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tomo 2 pag. 1 & ſequentibus.

GILLEBERTUS Lunicenſis in Hybernia Epiſcopus, clarus circa annum 1090, ſcripſit *Libellum unum De ſtatu Eccleſiæ*, cui præmiſſa Epiſto-

la de *Usu Ecclesiastico ad Episcopos Hyberniæ*, quam inseruit Jacobus Usserius Armachanus Archiepiscopus suæ Collectioni Epistolarum Hybernicarum pag. 54 & seqq. Extat ibidem pag. 61 ejusdem *Gilleberti ad Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum Epistola*, cum Responsione sancti Anselmi ad ipsum : unde liquet quo tempore hic Gillebertus floruit, cautè distinguendus ab aliis duobus Anglis, Gilberto Westmonasterii Abbate, & altero Episcopo Londonensi cognomento *Foliot*, de quibus nos postea agemus. Impressæ autem Epistolæ Usserii Hybernicæ in 4° anno 1665. apud Ludovicum Billaine Parisiis in aula Palatii.

1100. RADULFUS ARDENS, patriâ Pictavinus, ut creditur, Guillelmi IV. Aquitanorum Ducis Ecclesiastes seu Concionator, scripsit *Sermones de tempore ac de Sanctis totius anni*, seu Homilias, quas duobus tomis in 8° impressas vidi Parisiis anno 1573 apud Michaëlem Chesneau viâ Jacobæâ sub Quercu viridi. Item Antuerpiæ in 8° anno 1576 apud Petrum Bellerum, & Coloniæ anno 1604. duobus tomis in 8°. Claruit anno 1100. vel circiter, & ulteriùs forsan.

THEODORICUS Monachus Ordinis Divi Benedicti & Abbas sancti Trudonis in Episcopatu Leodiensi, in Monasterium Ganda exulare coactus est ob eas causas, quas in Observationibus præviis ad Vitam sancti Bavonis retulit Ioannes Mabillon sæculo 2 Sanctorum Ordinis D. Benedicti pagina 593 Hic hortatu Joannis Abbatis & Monachorum Cœnobii Trudoniani *novum Libellum de Vita sancti Trudonis* scribere aggressus est sub finem sæculi XI : quo in Opere nihil agnoscit sui proprium *præter verba alio sensu derivantia*, au-

ctoritatem à Scriptoribus receptiſſimis mutuatus. Et tamen de ætate ſancti Trudonis inſerit nonnulla, quæ cum recta Chronologia convenire non poſſunt. *Vita ſancti Trudonis* à Theodorico apud Surium die 23 Novembris. Itemque ejuſdem *Vita ſancti Bavonis* apud eundem Surium ad diem primam Octobris, de quo Joannes Mabillon in præludiis ad Vitam ſancti Bavonis ſæculo 2 Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 395. Item ſcripſit *Vitas ſancti Rumoldi Epiſcopi Tungrenſis, ſanctæ Landradæ Abbatiſſæ Belicienſis, ſanctæ Amalbergæ Virginis Tamiſienſis, & Sermonem de Tranſlatione ſanctorum Trudonis & Eucherii Aurelianenſis Epiſcopi,* Vita *ſanctæ Amalbergæ* extabat olim manuſcripta apud Aubertum Miræum & alibi non edita, Vita *ſanctæ Landradæ* apud Surium die 8 Julii eſt mutila, quam dabunt integram Bollandiſtæ ad dictam diem, & quæ manuſcripta integra in Rubræ-Vallis Cœnobio prope Bruxellam. Quo tempore vixerit Theodoricus Scriptor ejuſmodi Legendarum, patet ex Chronico Trudoniano, quod extat tomo 7 Spicilegii Dacheriani. Nam in fine libri quinti Theodoricus 3. Kalendas Februarii anno Domini 1099. Trudoniani Cœnobii Abbas conſecratus dicitur, ac ſub finem libri ſexti obiiſſe 7 Kalendas Maii anno 1107. Ex eodem libro quinto Chronici diſcimus occaſionem Scriptionis *Vitæ ſancti Bavonis.* Scilicet Theodoricus Gandæ in Monaſterio ſancti Petri moratus ſub contentione Abbatum Lanzonis & Luponis (qui Metenſis & Leodienſis Epiſcoporum factione de dignitate certabant,) rogatu Fratrum Gandenſium exornandis ſancti Bavonis actis primariis operam dedit, unde ſub finem

Vitæ à se conscriptæ calamitosum illud tempus deplorat. De illo Sigebertus cap. 170. & Aubertus Miræus Scholio ad dictum caput Sigeberti paginâ 157. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, & in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis capite 354. paginâ 245.

HUGO ex Monacho sancti Vitoni Virdunensis, Abbas sancti Petri Flaviniacensis in Burgundia, produxit *Chronicon suum* à Christo nato ad usque annum 1102. quod primus evulgavit Philippus Labbeus Societatis Jesu Presbyter Theologus, tomo primo novæ Bibliothecæ manuscriptorum librorum.

LUPUS PROTOSPATA natione Appulus, officio, ut creditur, Protospatarius, sive Palatinorum militum Primipilus, scripsit *De Rebus in Regno Neapolitano ab anno octingentesimo sexagesimo ad ad annum millesimum centesimum secundum gestis Chronicon*: breve quidem, sed accuratum. Quod cum appendice incerti Auctoris usque ad annum 1519. Antonius Caracciolus ex Ordine Clericorum Regularium, quos vulgò Theatinos vocant, Theologus, typis in 4° Neapoli imprimi curavit anno 1626: additis Heremperti Langobardi & Falconis Beneventani Chronicis, quorum posterior Lupi Protaspatæ narrationem excipit.

HARIULFUS Monachus primùm Centulanus seu sancti Richarii in Pontivo, inde meritis appellantibus Aldemburgensis in Flandriæ Comitatu factus Abbas prope Brugas in Belgio, variis Opusculis nomen suum posteritati clarum ostendit. Scripsit autem *Chronicon Ecclesiæ suæ Centulanæ*, quod ex manuscripto Codice edidit Lucas Dacherius tomo quarto Spicilegii sui. Scripsit

etiam *Vitam sancti Arnulfi Suessionensis Episcopi* anno 1087 defuncti, quam Laurentius Surius & alii eum secuti ad diem 15 Augusti, non rectè attribuunt Lisiardo Suessionensi Episcopo. *Librum de Miraculis sancti Richarii*, quem habet Joannes Mabillon sæculo v. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 567. Item scripsit *Vitam sancti Maldegisili Confessoris & Eremitæ in Pontivo*, quam composuit ineunte sæculo XII, quamque refert Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tomo secundo paginâ 537. Vide infrà in *Anschero*.

PETRUS TUDEBODUS, Presbyter Sivracensis apud Pictones, primus scripsit *De Itinere Hierosolymitano cui interfuerat*, describens à Concilio Claromontano anni 1096. ad diem 14 Augusti anni 1099, & narrans res gestas quinque annorum: à quo imposterum Anonymus, Robertus Remensis, Baldricus Burgulienſis, Guibertus Novigentinus, aliique mutuati sunt. Impressus cum aliorum Auctorum descriptionibus Bellorum atque Expeditionum ad Terram Sanctam duobus tomis in folio Hanoviæ anno 1611. Vvechelianis typis, curâ & studio Jacobi Bongarsii. Hunc malè Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 358 pag. 246. Italum natione credidit, & in Comitatu Boamundi Apuliæ Ducis natum.

RAYMUNDUS DE AGILES Canonicus Podiensis, Capellanus Comitis Tolosani, seu sancti Ægidii, adfuit cùm effoderetur *Lancea sacra quæ Christum perfodit*, quam & in prælio tulit. In hoc sacro Itinere ad Sacerdotium promotus (petente Pontio Baladunio viro nobili, qui Comiti Tolo

sano familiaris erat) scripsit *Historiam Francorum qui ceperunt Jerusalem*, eamque Episcopo Vivarienſi, & aliis Transalpinis omnibus dicavit, quam habes apud dictum Bongarsium impressam, in citato Collectaneo quod inscribitur: *Gesta Dei per Francos*. Incipit à Comitis Tolosani in Sclavoniam ingressu, & jam dicti quinquennii Narrationem persequitur, scilicet usque ad acceptam de Ammirato seu Admiravisо Babylonis victoriam.

Ivo sive Yvo Carnotensis, natus in Agro Bellovacensi, ex patre Hugone de Altoylo & matre Hilemburge, Lantfranci non Abbatis, sed Prioris duntaxat Beccensis in Theologicis sedulus auditor, tum Præpositus Ecclesiæ (quæ nunc Abbatia est) sancti Quintini Bellovacensis Canonicorum Regularium sancti Augustini, quam Guido ejusdem Urbis Episcopus anno 1078. fundaverat. Inde Carnotensis factus Episcopus, & consecratus ab Urbano II. Papa Capuæ in Italia die 21 Novembris anno 1092. Scripsit multa, egregiáque à multis recensita, de quibus omissis plurimis, Possevinus in *Apparatu sacro*, Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* paginâ 295 sæculo XI. Labbeus in eodem Opere tomo 2. pag. 500 & sequentibus, de Operibus agit ad plenum, omnesque vitæ hujus Ivonis Epochas ac functiones egregiè enuntiat, cum omnibus aut saltem potissimis, qui de eo vel Scriptis suis scripserunt. Expoſcit tamen ratio *Supplementi nostri* ut tam diligentibus Labbei Annotationibus addamus Ivonem Carnotensem Episcopum scripsisse *in Psalmos* Commentarium MS. in fol. cod. 1478. insignis Bibliothecæ Colbertinæ.

Quantùm autem ad Pannormiam Ivoni adscriptam atque inscriptam, hæc Labbeus loco citato pag. 504. *Ivoni quoque tribuitur à quibusdam quæ dicitur* Pannormia, *& corruptâ à Librariis voce,* Pannormia, *quæ ex Decreto Ivonis ab Hugone quodam Catalan nsi in Compendium contracta est, nonnullis præterea additis ex Sanctionibus Innocentii secundi Papæ; qui post Ivonem annis quindecim, in Schismate cum Petro Leonis in Romanum Pontificem electus est anno* 1130. *& post Pontificii Regiminis annos ferè quatuordecim, defunctus est anno* 1143. Hæc Labbeus. At quid huic sensui Labbeano rependerem, subministrat doctissimus Antiquarius & Historicus Stephanus Baluzius, qui hoc Critices punctum, eo quo pollet nobili judicio diligenter excussit, cujus unius sententia præponderat apud me, multis etiam contrarium asserentibus. Excutit hanc controversiam in præfatione ad Dialogos Augustini Tarraconensis Episcopi *De Emendatione Gratiani*, à se emendatos ac notationibus eruditissimis illustratos, quas edidit apud Franciscum Muguet anno 1672. in 8° viâ Citharæ sub trium adoratione Regum; cujus ipsa referam verba, nec enim melius dici quicquam potest. Ita igitur.

XX. Sequitur Ivo Carnotensis Episcopus, vir magni in Ecclesia nominis, cujus lucubrationes in omnium manibus versantur. Extant duæ Canonum ac Decretorum collectiones antiquæ huic Auctori tributæ, quarum una *Decretum Juris* vulgò vocatur, altera *Pannormia*, utraque eandem habens præfationem; quo factum est ut viri docti putaverint Pannormiam non esse Ivonis Opus, sed Hugonis cujusdam Catalanensis aut alterius

» incerti Scriptoris qui Decretum in Compendium
» redegerit, fundum suæ illius opinionis accipientes
» ex Vincentio Bellovacensi, qui libro XXV. Speculi
» Historialis cap LXXXIV. testatur Hugonem illum
» ex eodem volumine abbreviato Libellum portati-
» lem composuisse, qui *Summa Decretorum Ivonis*
» appellatur. Sed Opus illud diversum esse à Pan-
» normia vel hæc res indicio est, quòd *Summa Decre-*
» *torum Ivonis* inscriptum fuerit, cùm *Pannormia* in
» vetustissimo Codice manuscripto Sancti Victoris
» Parisiensis, in tribus etiam antiquis Codicibus
» manuscriptis Monasterii sancti Albini Andegaven-
» sis, denique in omnibus editionibus, *Pannormia*
» semper vocetur, nunquam *Summa Decretorum.*
» Præterea vir rerum istarum peritissimus Antonius
» Augustinus ex eo collegit Pannormiam non esse
» Epitomen Decretorum Ivonis, quòd pauca sint
» in quibus hæ duæ Collectiones inter se conveniant.
» Cæterum, aut valde me fallit amor suscepti nego-
» tii, aut deprehendisse mihi videor Victorinum Pan-
» normiæ Codicem multò antiquiorem esse Hugo-
» ne Catalanensi, quisquis tandem homo ille fue-
» rit. Unde colligi potest Vincentium de quodam
» alio Opere loqui, quo caremus absque ullo bona-
» rum Litterarum dispendio. XXI. Ego in ea sum
» sententia ut omnino putem Ivonem primò scri-
» psisse Pannormiam, & præfationem eodem tem-
» pore confecisse, quæ postea magno Decretorum vo-
» lumini præfixa est. Nam cùm videret haud dubiè
» Pannormiam successum habuisse prosperum, &
» commendari ob utilitatem suam, putavit sistendum
» hîc non esse, adeóque majus Opus aggrediendum.
» Sed priusquam de majore illo Opere agamus, res
» postulare videtur ut ad Pannormiam redeamus, de

nomine ipso paulisper acturi. Sunt qui putant non « Pannormiam aut Panormiam vocari debere, sed « Pannomiam, adeo ut Ant. Possevinus *in Apparatu* « eorum insciti am traducat, qui *Græcæ Linguæ inscientes Panormiam scribunt, cùm Ivo Pannomiam scripserit, hoc est, quod omnes complectitur leges.* Religiosior « fuit Seb. Brant, qui primus hanc conjecturam fecit, « primus omnium Pannormiam typis evulgavit. Hic « enim sententiam suam cùm promeret de etymo istius « vocabuli, duas diversas interpretationes afferens, « unam è Græco sermone, alteram è Latino, Pannormiam tamen & hic & in titulo Operis vocavit, Lectori arbitrium integrum relinquens amplectendi quam mallet etymologiam. *Appellavit autem* (inquit) *hunc suum librum Pannormiam, quasi totius justitiæ sive Legis materiam continentem* (*Pan enim totum, nomas verò Lex, seu nomia justitia Græcè dicitur*) *vel ut alii volunt, Pannormiam à norma, quæ regula à quibusdam dicitur, sive fabrorum Decretorium.* Quicquid sit de nomine, græcamne originem habeat, an Latinam, an ex utraque conflatum sit, parum refert. Illud certè constat Pannormiam vocari in manuscriptis Codicibus & libris editis : sic enim habet utrobique initium Operis : *Incipit prologus Pannormiæ Ivonis Carnotensis Episcopi de multimoda distinctione Scripturarum sub una castorum eloquiorum facie contentorum, exceptiones Ecclesiasticarum Regularum, &c.* Sic pariter in veteri Codice suo legerat Joannes Trithemius, qui in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis agens de Ivone, ita loquitur : « *Scripsit post Burkardum Vvormacien sem Episcopum ex Canonibus Sanctorum compendiosum Decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur Juristæ, quod*

» *prænotavit Panormiam libris x. Excerptiones Ec-*
» *cleſiaſticarum, &c.* Eundem quoque titulum ha-
» buiſſe manuſcriptum exemplar Pannormiæ, quod
» ſibi comparaverat Antonius Contius, hinc liqui-
» dò conſtat, quod ſcribit illud fuiſſe ſimile Codici
» qui DECRETA PARVA IVONIS inſcribitur in
» Bibliotheca Sancti Victoris, id eſt, illi quem nos
» ſuprà laudavimus. XXII. Diviſa eſt Pannormia
» in partes octo, Decretum in decem & ſeptem.
» Utrique Operi præfixa eſt, uti diximus, eadem
» præfatio, in cujus fine iſta utrobique leguntur:
» *Deinceps ſingularum partium totius voluminis in-*
» *tentionem breviter perſtringemus, & hinc prudens*
» *Lector advertat quid in unaquaque parte ſibi ne-*
» *ceſſarium quærere debeat.* Statim verò deſcribit
» Auctor quid in unaquaque Pannormiæ parte con-
» tineatur, multùm diverſo ordine ab eo qui ſerva-
» tus eſt in compoſitione Decreti. Cæterùm præfa-
» tio illa uno tenore decurrit in Codice Victorino,
» cùm in editionibus ſecta perperam ſit in capita
» xliij: in quibus continetur Elenchus octo partium
» integri Operis. XXIII. Prima illius per Typogra-
» phos editio exiit Baſileæ anno MCCCCXCIX. ſtu-
» dio & operâ Sebaſtiani Brant, ſecunda Lovanii
» anno MDLVII. accurante Melchiore à Voſmedia-
» no. In utraque in calce libri conſequentibus nu-
» meris deſcripta ſunt Decreta Innocentii ſecundi,
» quæ doctorum virorum conjecturæ locum fece-
» runt, ex eo ſuſpicantium Pannormiam non eſſe
» Ivonis Opus; cùm Ivo multò ante rebus huma-
» nis exceſſerit, quàm Innocentius fieret Romanus
» Pontifex. Huic tamen doctorum virorum ſcrupu-
» lo faciemus ſatis, ſi cum Antonio Auguſtino di-
» camus addita eſſe Decreta Pannormiæ, non eſſe

partem ejus Collectionis. Testatur præterea idem « Augustinus habuisse se veterem librum Panormiæ, « in quo Decreta Innocentii II. nonextabant, sicuti « non extant in optimo & antiquissimo Victorino, in « quo caput quod est CXXXVI. octavæ partis in edi- « tionibus (*Leo Papa in Synodo congregata, &c.* fi- « nem imponit Pannormiæ. Postea verò nihil aliud « reperitur scriptum in Codice illo. Et hæc de Pannor- « mia sufficiant. Redeamus ad Decretum. XXIV. « Cùm videret Ivo, uti suprà dicebamus, Pannor- « miam favorabiliter acceptam, manibus studioso- « rum versari; majus opus aggredi statuit, in quo « & causas tractaret abundantiùs, ac præterea ex- « curreret ultra præfixos Pannormiæ terminos. Ergo « incipiens rursum à præfatione, Opus quod in octo « tantùm partes primò diviserat, nunc in decem « & septem distribuit, mutato tamen ordine. Opus « illud vulgò vocatur DECRETUM IVONIS, ini- « tio facto ab editione Joannis Molinæi viri doctissi- « mi; in vetustissimo tamen Codice manuscripto Bi- « bliothecæ Sancti Victoris Parisiensis nullus titu- « lus in fronte extat, neque nomen Auctoris, sed « in fine libri hæc tantùm scripta sunt: *Explicit li-* « *ber Canonum.* Et mox in sequenti folio alia manu « multò recentiore: *Liber Canonum superscriptus,* « DECRETA JOVINIANI, *quem composuit Yvo* « *quondam Carnotensis Episcopus, & continet decem* « *& septem partes principales.* Viderat hunc Codi- « cem Antonius Contius, qui in præfatione sua in « Decretum Gratiani, loquens de duabus Canonum « & Decretorum Collectionibus Ivoni attributis, « hæc ait: *Duplex ejus volumen hoc titulo insigni-* « *tum reperi, unum majus, & magnitudine sua lon-* « *gè excedens Gratiani volumen, quod ex Bibliotheca* «

„ *Sancti Victoris Parisiensis, nobis aliquando commu-*
„ *nicatum est. Huic Operi inscriptum titulum hunc*
„ *invenimus:* DECRETA JOVINIANI. *Verùm hanc*
„ *inscriptionem falsam puto, & ignorantiâ Librario-*
„ *rum adscriptam; cùm eadem illic sit præfatio quæ*
„ *apud Ivonem in minori volumine Pannomiæ, &*
„ *idem ferè ordo, nisi quòd illud volumen multò plu-*
„ *res habeat partes & titulos, & Canones in* 17 *quippe*
„ *partes divisum.* Duas Operis majoris editiones ha-
„ ctenus habemus, unam quæ anno MDLXI. prodiit
„ Lovanii, alteram quæ Parisiis ante hos viginti
„ annos, Quæ sit inter illas differentia, utra alteri
„ præstet, facilius intelligi quàm explanari potest.
„ Illud tantùm admoneri debere visum est, Synopsim
„ rerum dicendarum quæ sequi debuit post ultima
„ verba præfationis, prout verba ipsa indicant &
„ auctoritas Codicis Victorini: suo loco positam esse
„ in editione Lovaniensi; in Parisiensi verò præfi-
„ xam Vitæ Ivonis, quæ antecedit præfationem.
Hæc Stephanus Baluzius verbo tenus loco citato, Paragraphis xx. xxj. xxij. xxiij. xxiv: quæ nos omisisse nefas duxissemus, quasi quæ demonstrent utrumque Opus, *Decretum* nempe & *Pannormiam* esse Ivonis Carnotensis.

PHILIPPUS Solitarius anno 1105. scripsit ad Callinicum Monachum, sibique fratrem ac professione Monasticâ amicissimum, Opus inscriptum, *Dioptram, id est, Regulam seu amussim Rei Christianæ*, desumptam ex Codice manuscripto Græco Bibliothecæ Augustanæ, distinctam per Dialogos & in quatuor libros explicatam, quæ spirat ubique maximam pietatem, flagratque studio nos reddendi Deo gratiores: ususque est versibus Politicis, de quibus fusè agit Jacobus Pon-

tanus in præfatione *ad Orationes Simeonis Junioris Theologi*. Dioptram Philippi Solitarii Michaël Psellus & Phylaletus, hortatu Dionysii Metropolitæ Mytilenensis Notis illustrarunt: quæ omnia idem Pontanus latinitate donavit, & Gretzetus Notis illustriora reddidit, extantque tomo 12 Bibliothecæ Sanctorum Patrum à Colonienſibus anno 1618. editæ.

ANSELMUS Cantuariensis Archiepiscopus, qui obiit anno 1109. die 21 Aprilis, de quo abundè Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Addo illis nuperam Operum sancti Anselmi editionem, quæ castigatiùs multò quàm anteà impressa sunt in fol. Parisiis apud Ludovicum Billaine anno 1675. curâ & studio doctissimi viri Gabrielis Gerberon Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri.

STEPHANUS sancti Jacobi Leodiensis Abbas floruit sub Henrico quinto Imperatore circa annum 1110. *Vitam sancti Modoaldi Trevirensis Archiepiscopi libris tribus*, quos obtulit Tietmaro Monasterii Helmvvardicensis Abbati, quam refert Surius ad diem 12 Maii, & Bollandistæ ad eandem diem tomo 3 pag. 51. Huic autem Stephano in gratiarum actionem idem Tietmarus & fratres Helmvvardicenses obtulerunt Tractatum eodem circiter tempore factum *De Translatione ejusdem sancti Modoaldi*, quem ibidem habes apud Bollandistas cap. 61. contigitque factum hujus Translationis anno 1107. sub Abbate Tietmaro.

ANSCHERUS Abbas Sancti Richarii seu Centulensis in Pontivo, floruit anno circiter 1108. &

scripsit libris tribus *Vitam & Miracula sancti Angilberti Abbatis Centulani*, quos evulgavit Joannes Mabillon sæculo quarto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 1. pag. 123 & seqq. Et librum quidem primum *De Vita sancti Angilberti* antea evulgavit Joannes Bollandus ad diem 18 Februarii sub nomine Hariulfi Monachi Centulensis, & postea Abbatis Aldemburgensis: sed ex conjecturis solis, quæ pro Anschero validiores sunt, ut habet Joannes Mabillon loco citato pag. 91, ubi plurima in laudem sancti Angilberti amplectitur.

THEOFRIDUS Abbas Epternacensis in Ducatu Luxemburgico, scripsit prolixè admodum *Vitam sancti Vvillibrordi primi Ultrajectensis Archiepiscopi*, nempe capitibus 36. qui mortuus est in dicto Monasterio Epternacensi anno 739. die 7 Decembris; de qua vide Surium ad dictam diem. Item scripsit *Flores Epitaphios Sanctorum libris quatuor*, quos cum eadem sancti Vvillibrordi Vita impressos vidi in 4° Luxemburgi anno 1619. apud Hubertum Reuland, curâ & studio Roberti Arduennatis Andaini, Societatis Jesu Theologi, qui hæc Opera Notis ornavit. Idem scripsit *Sermones quosdam de cultu & veneratione Sanctorum*, qui leguntur passim in impressionibus variis Bibliothecæ veterum Patrum *sub nomine Theofridi Abbatis*, quas consulere habes. Obiit Theofridus anno 1110, die quarta mensis Aprilis in suo Monasterio.

1110. FRANCO Abbas Afflighemiensis Ordinis Divi Benedicti, de quo hæc Henricus Gandavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 39. Franco » Abbas Afflighemiensis, rogatus à Domino Ful-

gentio prædeceſſore ſuo, antequam ipſe Dominus « Franco Abbas eſſet, ſcripſit Opuſculum quod ap- « pellavit *De gratia Dei*; & antequam conſumma- « ret idem Opuſculum, decedente Abbate Fulgen- « tio, ipſi ſucceſſit, & jam Abbas factus prædictum « Opuſculum conſummavit, in ejuſdem Opuſculi » fine laudes ſui prædeceſſoris declamans. Metricè « etiam ſtatum futuræ gloriæ eleganter deſcripſit. » Hæc Henricus, cujus etiam mentionem facit Sigebertus in Catalogo cap. 164. Hi autem libri *De Gratia Dei*, ſunt impreſſi Antuerpiæ anno 1565. & anno 1620 Friburgi in Briſgoia, itemque immiſſi in varias editiones Bibliothecæ Sanctorum Patrum, quas excutere potes. Claruit anno 1112 & ulteriùs, de quo Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, Aubertus Miræus in Scholio ad caput 39 Henrici Gandavenſis pag. 170 Bibliothecæ Eccleſiaſticæ.

GOTSELINUS, ſeu GOSCELINUS Monachus primùm ſancti Bertini in Arteſia, tum poſtea S. Auguſtini Cantuarienſis in Anglia, diligentiſſimè omnium, *Sancti Auguſtini Cantuarienſis Archiepiſcopi Vitam*, poſt Bedam libro 1 Hiſtoriæ Anglorum cap. 23 & ſequentibus, & lib. 2 capitibus 2 & 3, duplici deſcripſit Opuſculo, majore ſcilicet & minore, ut in ſua præfatione appellat num. 4. quorum alterum poſt Lanfranci Opera tacito Auctoris nomine reperitur, alterum nempe majus Opuſculum nuſquam editum, evulgatur ſæculo primo Sanctorum Ordinis D. Benedicti pag. 499, cum libro Miraculorum ab eodem Gotſelino compoſito. Præterea Gotſelinus iſte duobus libris ſancto Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo nuncupatis comprehendit *Hiſtoriam Tranſlationis ſancti*

Augustini, quos dabit publico Joannes Mabillon sæculo sexto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Commendat eximiè hunc Goscelinum ob doctrinam & elegantiam Guillelmus Malmesburiensis lib. 4 *De Regibus Anglorum* cap. ultimo, & in libro *De Dorobernensibus Archiepiscopis*, ac post ipsum Joannes Mabillon in Observationibus prævviis ad Vitam sancti Augustini, sæculo 1 Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, pag. 498, quod editùm in folio apud Ludovicum Billaine anno 1668 in aula Palatii.

GUILLELMUS DE CAMPELLIS, gallicè, *De Champeaux*, cognomento Venerabilis, sic dictus à natali solo Oppido de Campellis, Parisiensis Diœcesis in Bria, tertio à Meleduno milliario, ubi Ecclesia Collegiata insignis. Adolescens sub Anselmo Præceptore Laudunensi Decano Litteris operam dedit, qui tum per Franciam famosus habebatur, sicut ex Abaelardo discimus. Sub eo magnos cùm feciſſet progressus, Parisiensis Ecclesiæ Archidiaconus, & Scholæ hujusce Cathedralis insuper in Dialectica edocenda præpositus est. At ille melioris vitæ cupidus, ad Cellam veterem non longè ab Urbe Parisina remotam, ubi erat Capella quædam sancti Victoris, cum discipulis aliquot migravit, & vestem induit Canonici Augustinianorum Ordinis, teste Anonymo Scriptore, sed antiquo. *Eodem*, inquit, *tempore Magister Vvillelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus Parisiensis, vir admodum Litteratus & Religiosus, assumens habitum Canonici Regularis, cum aliquibus discipulis suis extra Urbem Parisiis, in loco ubi erat Capella quædam sancti Victoris Martyris, cœpit ædificare Monasterium Clericorum.* Hanc

mutationem

mutationem professionis laudat Hildebertus Cenomanensis Episcopus Epist. 1. ad eundem : *De conversione & conversatione tua lætatur & exultat anima mea, illum prosequens actione gratiarum, cujus muneris est, quod tandem philosophari decreveris. Nondum quippe redolebas Philosophum, cùm ex acquisita Philosophorum sententia, scientiæ morum tibi minimè depromeres venustatem.* Unde Abaelardus in Epistola declarativa calamitatum suarum capite 2 : *Perveni Parisios, ubi jam maximè Disciplina hæc* (Dialectica) *florere consueverat, ad Guillelmum scilicet Campellensem Præceptorem meum, in hoc tum Magisterio, re & famâ præcipuum.* Et paulò post : *Præceptor meus ille Guillelmus Parisiensis Archidiaconus habitu pristino mutato, ad Clericorum Regularium Ordinem se convertit ; eâ, ut referebant, intentione, ut quo religiosior crederetur, ad majorem Prælationis gradum promoveretur, sicut in proximo contigit, eo Catalaunensi Episcopo facto.* Nec tamen hic suæ conversionis habitus, vel ab Urbe Parisina, aut à consueto Philosophiæ studio eum revocavit : sed in ipso Cœnobio, ad quod se causâ Religionis contulerat, statim more solito publicas exercuit Scholas, hortatu nempe prædicti Hildeberti. Scripsisse plura Guillelmum Campellensem, mihi vix dubium est, quippe cùm credatur primus Ordinator Theologiæ quam Scholasticam vocant. Editus est nuper sub ejus nomine *Dialogus Christiani & Judæi* in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis ultimæ Lugdunensis anni 1677. apud Anissonios fratres, quam procuravit maximam D. Philippus Despont Doctor Theologus, quem ob scientiam ac virtutem notissimas plurimùm colimus. Hic

amicus noſter, ſæculo XII, inſeruit ſub dicti Guillelmi Campellenſis nomine Dialogum allegatum, ſed quem hac in parte aliquis incautus decepit, attribuens ex ſolius litteræ initialis G. inſcriptione, Guillelmo Campellenſi, quod eſt opus Gilberti Abbatis Vveſtmonaſterienſis prope Londinum in Anglia. Inventum forſan Ms. opus in Catalaunenſi vel urbe vel Epiſcopatu, potuit dare locum ingenio claris Guillelmi Campellenſis dotibus occupato, ut opus iſtud ſolâ initiali litterâ inſcriptum, ipſi adſcriberet. Nos autem nec unum vidimus, ſed Mss. Codices duos aut tres Gilberto Abbati Vveſtmonaſterienſi attribuentes: atque hoc vulnus hujus Abbatis Lateri inflictum induſtrius hac in parte Medicus ſanavit, Gabriël Gerberon Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, qui in Nupera ac correctiſſima editione omnium S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi operum, de qua in Anſelmo diximus: hunc Dialogum inſeruit, ereptum Guillelmo Campellenſi, reſtitutum Gilberto Vveſtmonaſterienſi; neque id ex conjecturis, ſed ex fide Mss. Codicum quos ad marginem allegat. Hæc ſolius juſtitiæ intuitu, abſque ullâ perſonarum acceptione, æqualibus mihi omnibus Monachis ſimul ac Clericis Regularibus. Scripſiſſe inſuper dicitur *Sententias Theologicas* ante Magiſtrum Sententiarum Petrum Lombardum, quarum manuſcriptum exemplar repertum fuit in Bibliotheca Abbatiæ S. Petri Catalaunenſis Monachorum Ord. Divi Benedicti, & nunc aſſervatur in Bibliotheca B. Mariæ Pariſienſis, ex dono D. Claudii Joly Cantoris & Canonici Pariſienſis. Denique juxta Albericum in Chronico ad annum

1113 *Magister Guillelmus de Campellis Moralia S. Gregorii Papæ abbreviavit & alia fecit.* Sed fallor, nisi Guillelmum pro Guarnero sumpserit Albericus: vel Joannes Picardus anno 1610 deceptus sit, dum edidit Parisiis Compendium Moralium S. Gregorii Papæ compositum à Garnero vel Garnerio Canonico Regulari sancti Victoris ad muros Parisienses, quod Guillelmo de Campellis inscribi debuit. Potuit Albericus attribuere Guillelmo de Campellis opus quod Garnerii fuit; cum centum & amplius annis distet Albericus à Campellensi Guillelmo: quod plusquam satis est, ut quis fallatur. At falli etiam potuit Joannes Picardus in editione hujusmodi Compendii sub nomine Garnerii, quod Guillelmi Campellensis esse potest. Viderint Regulares Victorini, horum ad quem spectet hoc compendium; ad Guillelmum an ad Garnerium? Litem ego definire non possum. Assumptus est ad Episcopatum anno 1113. Albericus in Chronico. *Obiit Catalaunensis Episcopus, succedit Magister Guillelmus de Campellis, qui Moralia Gregorii Papæ abbreviavit, & alia fecit.* Sequenti anno interfuisse memoratur dedicationi S. Mariæ Laudunensis. Benedixit autem S. Bernardum Claræ-Vallensem Abbatem ipsi apprimè amicum & familiarem anno 1115, vacante sede Lingonicâ, uti memorant Albericus & Vita ipsius Bernardi lib. 1 cap. 7. Nominatur anno 1115 in charta Cessionis Ecclesiæ S. Laurentii & S. Martini Malignicortis. Anno quoque 1120 ordinavit pacem inter Canonicos S. Martini de Virtute, & Monachos sancti Salvatoris. Hujus porrò cùm elogio meminere Juo Carnotensis Epist. 268, S. Bernardus Epist. 3 maximè

chariſſimum virum nuncupans, Otho Friſingenſis Epiſcopus lib. 7 Chronici cap. 47 & 48. Chronicon Maurigniacenſe, apud quod *celebratur Cononis Præneſtini Epiſcopi & Apoſtolicæ Sedis Legati auxiliator Magnus Vvillelmus Catalaunenſis Epiſcopus, qui ſublimes cauſas rexerat, & tunc Zelum Dei habens ſuper omnes Epiſcopos totius Galliæ, divinarum Scripturarum ſcientiâ fulgebat.* Verùm exceſſit è vivis anno 1121 8 Kalendas Februarii, ut docent tabulæ ſancti Stephani, & Albericus: hinc certior eſt Epocha, quàm quæ aſſignatur à nonnullis eum fato ceſſiſſe anno 1119, poſt regimen annorum ſeptem & ſex menſium. Corpus ad ſepulturam defertur in Abbatiam Claræ-Vallis. Hæc ut plurimùm ex Sammarthanis Fratribus in Gallia Chriſtiana tom. 2 pag. 504 in Epiſcopis Catalaunenſibus.

BALDRICUS primùm Gerardi primi, Lietberti & Gerardi ſecundi Cameracenſium ex ordine Epiſcoporum Secretarius, deinde Canonicus & Cantor Tarvanenſis, poſteà Archidiaconus & Epiſcopus Noviomenſis, demùm Epiſcopus Noviomenſis ac Tarvanenſis, quæ duæ Eccleſiæ Sexcentis annis circiter unitæ fuerunt. Scripſit *Hiſtoriam Cameracenſis & Attrebatenſis Eccleſiarum* olim unitarum, tribus libris quos titulo Chronici Cameracenſis Georgius Colvenerius Doctor Theologus Duacenſis & Cancellarius, cum notis anno 1615 Duaci in lucem edidit. Putatur inſuper ſcripſiſſe *Chronica Eccleſiarum Tarvanenſis & Ambianenſis*, quæ vel perierunt, vel fœdo pulvere obſita alicubi latent. Obiit Baldricus anno 1112 in urbe Tarvanenſi, ubi Epiſcopus tranſlatus fuerat, ſepultus cum Epitaphio quod legebatur ante urbis everſionem.

ALULFUS Monachus sancti Martini Tornacensis tempore Odonis hujus loci Abbatis, & Cameracensis postea Episcopi qui obiit anno 1113, scripsit grande Opus *ex propriis verbis Divi Gregorii Papæ*, quòd *Gregoriale* inscripsit, Ms. in Variis Bibliothecis in quatuor Voluminibus in fol. nempe in Bibliotheca S. Amandi Ordinis S. Benedicti & in Alnensi Ord. Cisterciensis. 1 & 2 Volumen continent Commentarios in Veteris Testamenti libros, 3 in libros Novi Testamenti, 4 De Variis Argumentis in 16 libros distinctum est. Vidi etiam tria priora hujus operis Volumina Mss. in Bibliotheca Longipontis Ord. Cistercienſis in Episcopatu Suessionensi, & 4 Ms. in Bibliotheca S. Petri Selincurtensis Ordinis Præmonstratensis apud Ambianos. De eo plura Joannes Mabillon tom. 1 Analectorum pag. 312 & seqq.

UDASCALCUS seu UDALSCALCUS Monachus scripsit *Narrationem de Controversiis inter Hermannum Episcopum Augustanum & Eginonem Abbatem sancti Udalrici, cum Carmine de itinere & obitu ejusdem Eginonis*, quam habet Henricus Canisius tom. 2 Antiquarum Lectionum, Ingolstadii 1602 in 4°. Vixit autem temporibus Paschalis Papæ II. & Arnoldi Moguntini Archiepiscopi, quorum & litteras suæ Narrationi inseruit Udalscalcus sancti Udalrici Monachus.

HUGO à SANCTA MARIA Monachus Floriacensis Ord. Divi Benedicti; floruit circa annum 1115, scripsitque insigne *Chronicon maximè de Rebus Gallicis agens*, quòd vidi Ms. in Bibliotheca Igniacensi Ordinis Cistercienſis in Tractu Remensi. Est autem impressum in 4°. Monasterii in Germania anno 1638 curâ & studio Bernardi

Rottendorf qui notas ad calcem adjecit, apud Bernardum Raesfeldium. Ejusdem *Tractatus De Regia Potestate & Sacerdotali Dignitate*, quem edidit Stephanus Baluzius tom. 4. Miscellaneorum pag. 9, edito apud Franciscum Muguet Parisiis 1683 in 8°.

TURGOTUS Monachus Dunelmensis clarissimus, qui tum Prioris ejusdem Ecclesiæ per annos xx. officio functus, tum etiam Archidiaconi, Vicarii, Decani, Vicedomini ubique Episcopo suo, seu ut ipsius sunt verba lib. 4 cap. 4 col. 54 *Christianitatis curam per totum Episcopatum agentis*, tum postea Sant-Andreani in Scotia per septennium dignitatibus claruit. Hic autem ab Osvvaldo Rege seu à fundamentis Ecclesiæ Dunelmensis Historiam suam in tempora Guillelmi Rufi Regis media, aut circiter seu annum 1097, quem Simeon Dunelmensis deducens, id ipsum continuavit ad annum Christi 1129. Turgotus verò usque ad Henrici primi annum decimum-quintum, seu Christi 1115 superstes ut ostenditur, tunc mortuus est. Audax nimiùm facinus Simeonis sanè, ne quid gravius dicam, qui Scriptoris adeo sibi nuperi & vicini, ac ejusdem Ecclesiæ tum Collegæ tum Præfecti, tantisque dignitatibus clarissimi opus integrum, (demptis quæ diximus) sibi ipsi quasi planè novum, idque velut suâ solùm minervâ congestum sit, arrogaverit. Habetur scilicet in Bibliotheca Cottoniana Codex Ms. Turgoti, ipsius tempore manifestè conscriptus, cui titulus; *Libellus de Exordio atque procursu istius, hoc est, Dunelmensis Ecclesiæ, cum sequentibus : Turgotus Prior Dunelmensis author hujus libri.* Incipit, *gloriosi quondam Regis Northan. Himbrorum & preti-*

ſi Martyris Oſwaldi, &c. uſque ad caput 22 libri tertii Hiſtoriæ, quæ ſub nomine Simeonis Dunelmenſis evulgata eſt, de qua nos ad annum 1129.

RODULFUS Abbas ſancti Trudonis in Tractu Leodienſi floruit anno 1117 & ſequentibus, unde tranſlatus ad Abbatiam ſancti Pantaleonis Colonienſis, ibi Diſciplinâ quæ peſſum jerat reſtauratâ, obiiſſe dicitur anno 1138 die 6 Martii. Scripſit *Chronicon Cœnobii ſui Sancti Trudonis libris* XIII. evulgatum tom. 7 Spicilegii Dacheriani. Item *Vitam ſancti Lietberti Cameracenſis Epiſcopi*, quam abſque auctoris nomine evulgavit idem Dacherius tom. 9 ſui Spicilegii. Item *Opuſculum de ſuſceptione puerorum in Monaſteriis, ad inſtantiam Siberti Prioris ſancti Pantaleonis*, evulgatum à Joanne Mabillon tom. 2 Analectorum pag. 495 & ſeqq. Item Scripſerat libros ſeptem contra Simoniacos, quos manuſcriptos aſſervabat Bibliotheca Gemblacenſis Ord. Divi Benedicti, de quibus Joannes Mabillon loco citato pag. 534, quos incendium nuperum hujus Cœnobii quo totum abſumptum eſt, conſumpſit.

GILBERTUS ſeu GILLEBERTUS Monachus Anglus & Abbas in Cœnobio Vveſtmonaſterienſi juxta Londinum, Litteras ibi humaniores docuit. In ſtudiis deinde Sacris Magiſtrum habuit S. Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, qui luſtratis demùm Galliæ & Germaniæ Academiis; cum in Patriam per Germaniam remearet, Moguntiæ in quemdam Judæum incidit, contra quem *doctiſſimam habuit Diſputationem, in forma Dialogi conſcriptam*, inſcriptamque *Diſputatio Judæi cum Chriſtiano*: quam nuper edidit ex variis Mss.

Codd. Gabriel Gerberon Monachus Ordinis D. Benedicti Congregationis S. Mauri inter Opera sancti Anselmi, vel post opera pag. 512 editionis Parisiensis anni 1675 apud Ludovicum Billaine in Palatii aulâ. Scripsisse dicitur opusculum *De Statu Ecclesiæ* Ms. in Bibliotheca Cantabrigiæ publicâ vol. 247, & *in Prologos Divi Hieronymi super Biblia* Ms. Cantabrigiæ in Collegio Domus sancti Petri Cod. 92. At opusculum istud *De Statu Ecclesiæ* spectat ad Gillebertum Episcopum Lunicensem in Hibernia, uti diximus ad annum 1090, in hoc *Gilberto Lunicensi Episcopo*. Mortuus est Gilbertus anno 1117, cautè distinguendus ab aliis ejusdem nominis, Gilberto Londoniensi Episcopo, Gilberto Porrerano Pictavienſi Episcopo, Gilberto Abbate Hoilandensi, qui omnes scripserunt eodem sæculo 12, & quorum opera confunduntur.

FLORENTIUS BAVONIUS Vigornienſis Monachus, homo utrâque scientiâ divinâ & humanâ apprimè eruditus, magnum sibi ex suis opusculis doctrinæ comparavit nomen. Ingenium planè habuit, ad quodcunque vellet, apertum & conspicuum, memoriam splendidam ac fœlicem: unde posteris demùm reliquit ad celebrem Anglicæ Antiquitatis hederam eximia ingenii sui monumenta, Latino sermone conscripta. Ejus *Chronicon ab Initio mundi usque ad annum* 1118, continuatum ab altero ejusdem Cœnobii Monacho ad annum 1163, evulgavit Henricus Savillius Anglus, Vir doctissimus in Collectaneo Historicorum Angliæ, quòd editum in fol. Londini anno 1596, & Francofurti in Germania anno 1601. Aliud Collectaneum pariter Historicorum Angliæ, est editum

Londini anno 1652 in folio 2 tomis, in quo habentur Turgotus, Simeon Dunelmenſis, Gervaſius Cantuarienſis, Joannes Haguſtaldenſis, Elredus ſeu Ethilredus Rievallenſis, Radulfus de Diceto, Joannes Brompton, cum aliis Anglicarum Rerum Scriptoribus; opus aureum, curis & ſtudio Joannis Seldeni procuratum. Hoc ex occaſione *Florentii Bavonii* in Collectaneo primo collecti, qui tandem obiit non ſine luctu ſuorum anno nati Salvatoris 1119, ſub Henrico primo Rege Anglorum.

PETRUS HONESTUS Abbas ſanctæ Mariæ de Portu prope Ravennam, ſcripſit *Regulam pro Clericis ſui Inſtituti*, quam vulgo *Conſtitutiones Portuenſes* appellant, & falsò adſcribitur Petro Damiano, ut Pennotus in Hiſtoria Canonicorum Regularium lib. 2 probat: Nam Abbatia S. Mariæ de Portu uſque hodie poſſidetur à Canonicis congregationis Lateranenſis. Habetur hæc Regula inter opera S. Petri Damiani ultimæ editionis Pariſienſis anni 1663, apud Ægidium Tompere viâ Aurigariâ propè Puteum Certum. Floruit tempore Paſchalis ſecundi Papæ, & obiiſſe dicitur anno 1119.

PANDULFUS PISANUS floruit circa annum 1128, & ſcripſit *Vitam ſancti Gelaſii Papæ ſecundi*, qui anno 1119 Cluniaci obiit, impreſſam anno 1638 Romæ in 8°, cum Commentariis Conſtantini Cajetani Abbatis Ordinis Divi Benedicti, quem hoc ſæculo Varia Scripta celebrem reddiderunt. 1126?

ANNA COMMENA Alexii Imperatoris Conſtantinopolitani filia, Zonaræ in ſcribenda Hiſtoria defectum ſupplevit, de cujus doctrinâ hoc

teſtimonium dat ipſe Zonaras: *Studiis erat addicta, & exquiſitè atticiſſabat, & acutiſſimo erat ingenio ad abſtruſiſſimas quaſque contemplationes.* Scripſit hæc *Libros quindecim de rebus geſtis patris ſui*, quos *Alexiada* nuncupavit, & multi multâ adulatione plenos eſſe cenſent. Hos ex Bibliotheca Auguſtana David Hoeſchelius primùm, tum Joannes Gronhovius evulgarunt: ſed omnium optimè & ultimus cum inſigni expreſſione latinâ Petrus Poſſinus Gallus Soc. Jeſu Theologus anno 1651 Pariſiis in fol. ex Prælo Lupareo, cum auctoribus aliis Hiſtoriæ Bizantinæ, ad cujus opus notas adjecit doctiſſimus Vir Carolus du Cange, Scriptis ſuis notiſſimus. Claruit Anna Commena circa annum 1120, quæ multa de parente ſuo (ut Voſſius notavit) longè aliter narrat quàm Latini ſolent: qui omnes ferè, ſi unum excipias Albertum Aquenſem Canonicum, deſcribunt eum ut Principem fraudulentum ac perfidum. Sed veriſimile eſt, tum Latinos ſuo erga Græcos odio indulſiſſe, tum filiam Commenam ſuo erga parentem amori aliquantulum obtemperaſſe.

LAURENTIUS Dunelmenſis in Anglia Ord. Divi Benedicti Monachus, ſcripſit circa hoc tempus *Hypognoſticon ſeu Memoriale Veteris & Novi Teſtamenti Carmine Elegiaco*, quòd opus in libros IX. diſtinctum eſt, & habetur Ms. in Bibliotheca Thuanea, quam jam Colbertus poſſidet. Item in Bibliotheca Aureæ-Vallis Ord. Ciſtercienſis in Ducatu Luxemburgenſi in 4°, denique in noſtra Bucilienſi, unde tranſcriptum miſſum eſt Joanni Mabillon illud expoſcenti per litteras. Floruit uſque ad annum 1140, cujus etiam opus Ms. in Bibliotheca S. Benedicti Cantabrigiæ cod. 74,

inscriptum *Laurentii Dunelmensis Hypognostica ad Gervasium.*

THOMAS Elienſis Monachus in Anglia circa annum 1120, ſcripſit *Libros duos De Vita & Tranſlatione ſanctæ Ethildritæ Virginis & Reginæ, primæ Elienſis Abbatiſſæ* quæ obiit anno 679 die 23 Junii. Horum primum qui eſt *De Vita hujus Reginæ* edidit D. Joannes Mabillon ſæculo 2 Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 738 & ſeqq. & alterum *De Tranſlatione ejuſdem*, quæ contigit anno 1106 pollicetur ad ſæculum Ordinis ſeptimum & Eccleſiæ duodecimum, anno 1106.

GUALTERUS Tarvanenſis Eccleſiæ Canonicus floruit circa annum 1120, & ſcripſit ad Joannem Epiſcopum Tarvanenſem *Vitam ac Martyrium Caroli cognomento Boni, Flandriæ Comitis*, quam ex Bibliotheca ſanctæ Mariæ Igniacenſis in Tractu Remenſi Ord. Ciſtercienſis, edidit primùm Sirmondus Pariſiis in 8°. anno 1615 apud Sebaſtianum Cramoiſy Viâ Jacobæa ſub Ciconiis. Porro cum cædes Caroli Boni Flandriæ Comitis anno 1127 patrata ſit, circa hoc tempus vita iſta conſcripta eſt. Floruit eodem tempore Alius *Gualterus* ſeu *Galterius* natione Gallus, dignitate Cancellarius, qui cum ſe accinxiſſet cum Godefrido Bullonio ad recuperationem Terræ ſanctæ promovendam, ſcripſit *Narrationem de Obſidione Antiochenâ, & aliis rebus fortiter geſtis uſque ad annum* 1119, quæ legitur apud Jacobum Bongarſium in Collectione Scriptorum *De Geſtis Dei per Francos*. Totum Scriptum Cancellario dignum eſt, ubi ipſe vi carceris hebetatum ſibi ingenium conqueritur; cujus hiſtoria, quæ quomodocunque ſcripta ſit, accuratè facta eſt ab teſte oculato,

qui multis negotiis à se descriptis præsens adfuit. Potuit hic Gualterus seu Galterius esse unus atque idem cum alio, qui reversus ex Orientalibus cruciatis, postea factus sit Canonicus Tarvanensis; & res gestas *Caroli Boni Flandriæ Comitis* conscripserit circa annum 1130, quòd tamen ego definire nolim, destitutus ad id affirmandum idoneis testimoniis aut rationibus.

ROBERTUS Monachus sancti Remigii Remensis, Claromontano Concilio, à quo pius Occidentis in Orientem motus incœpit, interfuit, tum posteà ipsi Expeditioni sacræ. In Galliam redux jussu Bernardi Abbatis sui, Hierosolymitanam Historiam libris novem descripsit, & desinit in illa celebri victoria de Babylonico Ammiraviso apud Ascalonam post captam Hierosolymam victo ac prostrato, quæ contigit anno 1099. Habetur opus Roberti in Collectaneo *Gestorum Dei per Francos*, excuso in fol. Hanoviæ 2 tomis anno 1611 typis Vvechelianis curâ & studio Jacobi Bongarsii. Floruit Robertus Remensis anno 1120.

ALBERTUS Aquensis seu Aquisgranensis Canonicus & Sacrista, seu Sacrorum Custos, floruit anno 1120 vel circiter, scripsitque Libris 12 *Historiam Expeditionis Hierosolymitanæ super itinere sive passagio Godefridi Bullonii*, in citato collectaneo inclusam, quam finit anno 1126. Scripsit autem Albertus ardens desiderio ipsius Expeditionis, quæ auditu & relatione nota habuit ab iis qui præsentes adfuerant, ut ipse variis locis testatur. Initium facit ab ipsô Expeditionis initio, finem in anno 2 Balduini secundi Regis Hierosolymitani, & complectitur res Ge-

ſtas annorum ſex & viginti. Debemus Hiſtoriam Alberti ſanè accuratam *Reinero Reineccio*, qui anno 1584 eam Helmeſtadii primus ſed ſine nomine Auctoris edidit: Nomen autem Auctoris debemus Davidi Hoeſchelio, præfatione ſuâ *in Alexiadem*, & poſteà Jacobo Gretzero ex Ms. Codice S. Martini Lovanienſis id adſtruenti. Habetur autem impreſſa iterum *in Collectaneo Geſtorum Dei per Francos*, de quo ſtatim locuti ſumus *in Roberto S. Remigii Remenſis Monacho*.

THEOBAUDUS Monachus Bezuenſis Cœnobii in Burgundia, circa annum 1126 clarus, ſcripſit *Acta Tranſlationes & Miracula S. Prudentii Martyris lib.* 4 quibuſdam Carminibus identidem interjectis, quos ex Ms. Cod. edidit Labbeus tom. 2 novæ Bibliothecæ pag. 605 & ſequentibus.

ERNULFUS Epiſcopus Roffenſis in Anglia, natione Gallus, Patriâ Bellovacenſis, floruit anno 1120, ſcripſitque *Solutiones quaſdam ad Quæſtiones Lamberti Abbatis Bertiniani, De Corpore & Sanguine Domini*. Nam quæ ei attribuit Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, verbo *Arnulfus Epiſcopus Roffenſis* tom. 1 pag. 514, *De Operibus ſex dierum & de Verbis Domini in Cruce*, ſpectant certò ad Ernaldum ſeu Arnoldum Abbatem Bonæ vallis in Carnotenſi Epiſcopatu, ſub cujus nomine ab annis jam multis opera iſta impreſſa ſunt. Obiit autem Ernulfus anno 1124, cujus opuſcula quædam impreſſa ſunt in Spicilegio Lucæ Dacherii, tom. 2 pag. 420, *Tomellus ſive Epiſtola Ernulfi ex Monacho Benedictino Epiſcopi Roffenſis De inceſtis conjugiis:* & ibidem pag. 431 *Epiſtola 2 quæ Variis Reſpondet Lamberti Quæſtionibus*, quarum aliquæ *De Corpore & Sanguine*

Domini. Variæ ad eum S. Anſelmi Cantuarienſis Epiſtolæ, ac de eo Dacherius Prologo ad dictum tomum Spicilegii pag. 18.

MICHAEL GLYCAS Siculus, ſub Alexio & Joanne Commenis Imperatoribus Conſtantinopolitanis vixit, & ſcripſit circa annum 1120 *Annales Quadripertitos*, opus non modo Hiſtoricum, ſed etiam Theologicum & Phyſicum. Prima parte agit de Operibus ſex Dierum, alterâ De rebus geſtis ab orbe condito uſque ad Chriſtum natum. Tertia perſequitur res geſtas à Chriſto uſque ad Conſtantinum Magnum, quarta res tractat Byzantinorum Imperatorum uſque ad obitum Alexii Commeni, qui anno 1118 moriens Joannem Commenum ſucceſſorem habuit. Exinde uſque ad captam à Latinis Conſtantinopolim perſtrinxit res Byzantinas Joannes Leunclavius, qui & primus Glycæ interpretationem nobis dedit, editam Baſileæ anno 1572 in 8° typis Epiſcopii. Habetur autem jam eadem Hiſtoria Græcè & Latinè in folio inter Hiſtoricos Byzantinos Pariſiis editos ex Typographiâ Regiâ cum interpretatione & notis Philippi Labbei, de quo tam ſæpe loquimur. Extat græcè Ms. in Bibliotheca Vaticana, Regia Gallica, Imperatoria Viennenſi, & Auguſtana Cod. 80. Ejuſdem Michaëlis Glicæ *Diſputatiunculæ duæ* Latinæ per Jacobum Pontanum Soc. Jeſu, Ingoſtadii in 4° anno 1604 cum Dioptrâ Philippi Solitarii. Denique in Bibliothecis Mss. Græcè, nimirum in Imperatoria Viennenſi & Auguſtana Cod. 75, *Michaëlis Glicæ Explicatio obſcurorum locorum Sacræ Scripturæ*; vel ut in Imperatoria, *ejuſdem Quæſtiones & Dubitationes in Scripturam*: quæ nondum, quod ſciam, impreſ-

sæ sunt. De illo Antonius Possevinus in Apparatu Sacro tom. 2 pag. 112, Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 312 pag. 237.

EADMERUS ANGLUS Ordinis sancti Benedicti Monachus in Cantuariensi Cœnobio, discipulus fuit & socius sancti Anselmi Cantuariensis Episcopi, & claruit anno 1120 & ulteriùs, nomen suum posteritati clarum faciens variis operibus compositis, quorum multa sub S. Anselmi nomine hucusque edita fuerant ex Mss. Codicum fide, qui sæpe attribuunt Anselmo Magistro quæ sunt Eadmeri discipuli. Sed illa tandem restituta legitimo parenti, & sunt *Libri* 2 *De Vita sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi*, *Historia Rerum novarum seu rerum sui temporis lib.* 6, *De Excellentia B. Mariæ Virginis, lib. de quatuor Virtutibus quæ fuerunt in B. Virgine Mariâ*, *lib. De Beatitudine Cœlestis Patriæ, lib. De Similitudinibus S. Anselmi*, qui hucusque sancto Anselmo attributus est: quæ omnia edidit post opera sancti Anselmi Gabriel Gerberon Monachus Congregationis sancti Mauri anno 1675 apud Ludovicum Billaine Parisiis in fol. Scripsit etiam *Vitam S. Vvilfridi Eboracensis Archiepiscopi*, quam edidit Joannes Mabillon sæculo 3 Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 1 pag. 196 & seqq. Edidit & Carmen de sancto Dunstano Ms. in Bibliotheca sancti Benedicti apud Cantabrigiam Cod. 338.

NICOLAUS sancti Lamberti Leodiensis Canonicus, circa annum 1120 post plures alios suum stilum exercuit *in Vitam S. Lamberti Leodiensis Episcopi*, quam Joannes Chapeaville, de quo suprà jam sæpe diximus, edidit in suo Collectaneo

Scriptorum *De Episcopis & rebus aliis Leodiensibus.*

DOMNIZO Presbyter vivebat sub finem sæculi XI. & initium sequentis, Henrico IV. & V. Imperatoribus usque ad annum circiter 1125 vel ultrà, quem sæpe allegat Cæsar Baronius ut testem oculatum vel fidelem in plerisque rebus. Scripsit *Libris 2 Carmine heroico Vitam Mathildis Comitissæ*, quam vir doctissimus Sebastianus Tengnagelius Cæsareus Bibliothecarius edidit Ingolstadii anno 1612. In eodem Volumine Tengnagelii, *Gebhardus Salisburgensis* qui anno 1088 obiit, *Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus* qui anno 1084, *Stephanus Halberstatensis* & alii Antistites ac Principes continentur, qui scripserunt *Varias Epistolas pro Gregorio VII, aliisque Pontificibus Romanis contra Schismaticos*, quas cum aliis veteribus monumentis ex Mss. Codicibus dictus Tengnagelius edidit. Tum sequuntur *Lib. 2 metrici Domnizonis Presbyteri de rebus gestis Mathildis Comitissæ*, cum Bernaldi seu Bertoldi Constantiensis Presbyteri *Libello De vitandis Excommunicatis*. In eodem Volumine Tengnageliano reperies *Vitas Altmanni Passavienſis, Thiemonis Salisburgensis & Anselmi Lucensis Episcoporum* ab Anonymis scriptas: Item *Hessonis Scholastici brevem Commentarium de rebus anno 1119 gestis inter Calixtum Papam & Henricum V. Imperatorem.* Cæterùm Bernaldus Presbyter Constantiensis præter Libellum à Tengnagelio publicatum, scripsit & alia *Opuscula pro Gregorio VII. contra Schismaticos*, quæ Gretzerus suæ Apologiæ pro eodem Pontifice inseruit, ubi & docet quis fuerit iste Bernaldus.

HESSO

HESSO REMENSIS Scholasticus & Presbyter, scripsit Acta Concilii Remensis anni 1119, quæ legi possunt in Conciliis ultimæ editionis Labbeanæ Parisiensis tom. x. pag. 872 & sequentibus: an idem opusculum sit, cum superiore de quo statim locuti sumus, ex collatione cognoscetur.

LIETBERTUS seu LETBERTUS Canonicus Insularum in Flandria & Canonicorum Præpositus, tum postea Abbas sancti Rufi Ordinis Divi Augustini prope Valentiam, floruit circa annum 1120, scripsitque *insignem & prolixum in Psalmos omnes Davidis Commentarium*, de quo Joannes Mabillon tom. 1 Analectorum pag. 289. Vidi opus istud cum Epistola quam refert idem Mabillon, Ms. 3 Voluminibus in folio in Bibliotheca Branensi nostri Ordinis Præmonstratensis in tractu Suessionensi.

HERMANNUS sancti Vincentii Laudunensis Monachus, factus postea Abbas sancti Martini Tornacensis, claruit anno quo suprà, scribens varia quæ ejus studium ac doctrinam probant. Scripsit itaque *Historiam Restaurationis Monasterii sancti Martini Tornacensis ad sua usque tempora*, quam evulgavit Domnus Lucas Dacherius tom. 12 sui Spicilegii. Item *Libros tres De Miraculis Beatæ Mariæ Laudunensis* oblatos Bartholomæo Episcopo, quos evulgavit idem Dacherius cum operibus Guiberti Abbatis de Novigento impressis in fol. Parisiis anno 1651, apud Ludovicum Billaine sub signo sancti Augustini. Item scripsit *insignem Tractatum De Incarnatione Domini ad Stephanum Viennensem Archiepiscopum*, quem Ms. in Cœnobio nostro habeo relatum è peregrinatione Belgica, cujus copiam ad prælum trans-

miſimus amico noſtro Joanni Mabillon. Vixit Hermannus uſque ad annum 1140 & ultrà, de quo citatis locis Lucas Dacherius multis legit.

ELNOTUS Cantuarienſis Eccleſiæ Monachus, Ordinis D. Benedicti, circa annum 1120 ſcripſit ad Nicolaum Daniæ Regem *Librum* 1 *De Vita & Paſſione ſancti Canuti Daniæ Regis*, impreſſum cum notis Joannis Meurſii, Hafniæ in 4°. anno 1631.

MARBODUS Natione Gallus, Patriâ Cenomanenſis, vel, ut aliis placet, Andegavenſis, factus ſucceſſu temporum Canonicus, Scholaſticus & Archidiaconus Andegavi, indéque meritis doctrinæ & pietatis evectus ad Epiſcopatum Redonenſem in Britannia, quem tenuit ab anno 1096, quo Concilio Turonenſi interfuit, uſque ad annum 1120, quo adfuit Conſecrationi Cathedralis Eccleſiæ Cenomanenſis cum aliis Epiſcopis ad preces Hildeberti Epiſcopantis: ſed fractus ſenio & oculis orbatus, ob quam infirmitatem cedens Pontificatui anno 1123, factus eſt Monachus pauper & cœcus in Monaſterio ſancti Albini Andegavenſis. Scripſit ut teſtatur Sigebertus in libro de Viris Illuſtribus cap. 158 *in Cantica Canticorum Commentarium*, quem neſcio an alicubi impreſſus ſit, nec enim comparet in editione ullâ Bibliothecæ Veterum Patrum, nec in ullo alio Collectaneo Scriptorum quod viderim. Item ſcripſit *Tractatum De gemmarum lapidumque pretioſorum formis, natura & viribus*, impreſſum Coloniæ anno 1539 cum notis Alardi Amſtelodamenſis, & Pictorii Villigenſis. Item *Dactylotecam* cum Scholiis G. Piſtorii anno 1555 Baſileæ in 8° impreſſam. Item *agonem ſancti Laurentii Martyris*

Carmine expressit; quem Surius habet ad diem 10 Augusti. Item *Vitam sancti Roberti Abbatis Casæ-Dei Ordinis D. Benedicti in Gallia libris 2*, quam habent Continuatores Bollandistæ ad diem 24 Aprilis tom. 3 pag. 316 & sequentibus. Item *Vitam S. Licinii Andegavensis Episcopi* apud Bollandum ad diem 13 Februarii. Item *Epistolas Aliquot*, inter quas una in Epistolis Hildeberti Cenomanensis Episcopi num. 80 *ad Rainaldum Andegavensem Episcopum*; altera Marbodi Epistola *ad Hildebertum Cenomanensem Episcopum*, edita tom. 13 Spicilegii Dacheriani, respondens ei illum consulenti, de viro à quo uxor debitum conjugale postulabat, licèt ipse votum monasticæ Vitæ de consensu ejus emisisset. Tertia demùm sub ejus nomine circumfertur *ad Robertum de Arbrisello*, quâ portentosis eum accusat criminibus, quam habet Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo XII. tomo seu parte 2 dissertatione 5 pag. 629 per totam. Obiit Marbodus anno 1123 die 2 Septembris, quem laudant Sigebertus in Catalogo citato cap. 158, & Miræus de eo agit in Scholio ad dictum Sigeberti caput, Natalis Alexander sæculo 12 citato parte 1 cap. 6 pag. 458; Sammarthani Fratres tomo 3 Galliæ Christianæ *in Episcopis Redonensibus*, ubi plura in ejus laudem.

GUIBERTUS Monachus Flaviacensis seu sancti Geremari Ordinis D. Benedicti in tractu Bellovacensi, tum postea Abbas B. Mariæ de Novigento juxta Codiciacum agri Laudunensis Castrum, multa scripsit; quæ sunt evulgata Parisiis in fol. anno 1651, curâ & studio Lucæ Dacherii Benedictini Congregationis sancti Mauri in

Gallia. Sunt autem, *Tractatus quomodo sermo fieri debeat. In Geneſim Moralium lib.* 10. *Tropologiarum in Oſee lib.* 3. *in Amos lib.* 1. *in Lamentationes Jeremiæ lib.* 1. *Tractatus De Incarnatione contra Judæos. Epiſtola prolixa De buccella Judæ datâ & de veritate Dominici Corporis. De Laude Beatæ Mariæ lib.*1. *Opuſculum de Virginitate. De Pignoribus Sanctorum lib.* 3. *Geſta Dei per Francos, ſeu Hiſtoria Hieroſolymitana lib.* 9. *Vita ſua ſeu Monodiarum lib.* 3. Item magnus Sermo in illud *Sapientia vincit malitiam*, qui legitur inter opera Divi Bernardi, ſpectat ad noſtrum Guibertum Abbatem, ut conſtat ex lib. 1 vitæ ſuæ cap. 16 pag. 477. Denique ſcripſit alia multa quæ latent, & quæ vidi Mss. in Bibliothecis Vallis Claræ & Igniaci, ambabus Ordinis Ciſtercienſis, Laudunenſis ac Remenſis Epiſcopatuum. Sunt autem *Commentarii in Abdiam Prophetam*, cujus prologus incipit: *Patribus & Dominis totius cultu reverentiæ amplectendis, ſancti-Medardenſi Abbati Godefrido; & item ejuſdem gratiæ Florinenſi Alardo, Guibertus, ad omnem proh dolor impuritatem vitâ degenerans & moribus, votivo utriuſque ſalutis affectus. Quoniam & litteraturæ celebritas, &c.* Incipit Abdias Propheta, *Viſio Abdiæ, viſio Prophetalis ſubtilitatem ſignificat, &c. In Jonam Prophetam*, cujus prologus incipit, *Audemus & bonam voluntatem habemus, &c.* Item *in Micheam Prophetam lib.* 2, *in Zachariam lib.* 3, *in Joëlem lib.* 1, *in Nahum lib.* 1, *in Abacuc lib.* 1, *in Sophoniam lib.* 1. Obiit Guibertus anno 1124 die 1. Auguſti, qui ſuam ipſe vitam ſcripſit, de cujus autem laudibus abundè agit Lucas Dacherius tam in prolegomenis ad editio-

nem illius operum, quam in suis annotationibus & in subjecto Chronico Abbatum Novigentinorum.

BRUNO ASTENSIS Monachus Ord. Divi Benedicti, postea Episcopus Signiensis & S. R. E. Cardinalis, qui obiit anno 1125 die 18 Julii, de cujus Scriptis Labbeus sufficienter, quæ sunt edita Venetiis in fol. anno 1651, cum dissertatione prævia, quæ multa docet de Operibus hujus Brunonis in præjudicium alterius Carthusiani Ordinis Institutoris, quam legito. Addo Labbeanis *Opusculum Brunonis de Consecratione Ecclesiæ* mancum in editione Venetâ, integrum haberi tom. 12 pag. 79 Spicilegii Dacheriani. Eodem tempore vivebat Odo Astensis, item Monachus ejusdem Ordinis, cujus Opera edita simul cum Brunonianis Signiensibus, ad calcem voluminis.

GUILLELMUS Malmesburiensis, de quo Bellarminus & Labbeus in libro suo De Scriptoribus Ecclesiasticis. Quibus addo scripsisse illum anno 1125 *Vitam sancti Aldhelmi Episcopi Schireburgensis primi*, quam edidit Joannes Mabillon sæculo 4 Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 1 pag. 726 & sequentibus. Ejusdem *Opus de Antiquitate Glastoniæ* habetur Ms. in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti Cantabrigiæ Cod. 373. Item *Abbreviatio Guillelmi Malmesburiensis ex Gestis Haymonis de Imperatoribus* Ms. in Bibliotheca Collegii Balliolensis Oxoniæ Cod. 108.

HUGO METELLUS Canonicus Regularis Ordinis D. Augustini in Abbatia S. Leonis Tullensis, floruit sub sæculi XII. initium circa annum 1120 & aliquanto ulteriùs, scripsitque *Epistolas plures ad viros sui temporis scientiâ vel dignitate*

illustres, quas habet Mss. Bibliotheca Collegii Regii Parisiensis Ludovici Magni Soc. Jesu.

GUALBERTUS Monachus Marchianensis Ord. Divi Benedicti, scripsit ad Saswalonem Cathedralis Ecclesiæ Attrebatensis Canonicum & Roberti Episcopi qui sedit ab anno 1115 ad 1131 Secretarium, *Libros duos Miraculorum sanctæ Rictrudis Patronæ Marchianensis*, quos referunt Bollandi Continuatores ad diem 12 Maii tom. 3 pag. 118 & seqq. Hoc opus compositum est post mortem Rodulfi Archiepiscopi Remensis defuncti anno 1124, & ante cædem Caroli Boni Flandriæ Comitis anno 1127. patratam; siquidem num. 45 ipsius Operis, Archiepiscopus dicitur *Bonæ Memoriæ*: & in Epistola meminit auctor versuum de illa cæde à se conscriptorum, & à Saswalone reprehensorum, eo quòd nimiùm sæcularis litteraturæ spirarent: ex quibus colligi posse censeo, proximo post dictam cædem anno, visum amatumque à Gualberto Saswalonem Canonicum.

STEPHANUS factus Augustodunensis Episcopus anno 1113, adfuit Concilio Tornutiensi anno 1117, itemque & unctioni Philippi filii Ludovici Crassi in Regem Franciæ, anno 1129. Unde posteà renuntians Episcopatui factus est Monachus Cluniaci sub regimine Petri Venerabilis, ubi mortuus est anno incerto. Scripsit *Librum seu Tractatum De Sacramento Altaris & iis quæ ad illud varioque Ecclesiæ Ministros pertinent*, quem Joannes de Montoloñ Canonicus & Cantor Augustodunensis Ecclesiæ edidit anno 1517, unde in Bibliothecam SS. Patrum editionis primæ Parisiensis anno 1575 & in alias transiit. De Stephano Augustodunensi Petrus Venerabilis in Epistola ad

Humbertum Archidiaconum Eduenſem ejus nepotem, quæ eſt ſexta libri quinti, ubi teſtatur reddidiſſe ſpiritum Creatori inter manus ſuas: Sammarthani in Gallia Chriſtiana tom. 2, ubi de Epiſcopis Eduenſibus.

SIMEON Dunelmenſis Monachus Ordinis Divi Benedicti, & Præcentor, cum primariis ſæculi ſui Monachis meritò conferendus, floruit ante medium ſæculi duodecimi. Quæ de eo aliiſque collecta ſunt in Præliminaribus ad Collectionem Hiſtoricorum Angliæ anno 1652 Londini in fol. impreſſa curis Seldeni, ex Lelando, Baleo, Pitſeo & Voſſio, hic deſcribere operæ pretium non eſt, cum ad Seldeni prolegomena excurrere cuique pronum ſit. Sunt autem in hac Collectione Opera Simeonis Dunelmenſis, *Hiſtoria Dunelmenſis Eccleſiæ*, partim ex Turgoto, de quo ſuprà ad annum 1115 pag. 1 *De Archiepiſcopis Eboraci*, pag. 75; *De Obſidione Dunelmi*, pag. 79, *Hiſtoria de Geſtis Regum Anglorum ab anno 616 ad* 1129 pag. 85. Addidit Hiſtoriæ Simeonis Dunelmenſis Joannes Prior Hagulſtadenſis ſeu de Herſam annos XXV. ibidem pag. 258, uſque ad annum 1154, quo tempore dictus Joannes floruit. Richardus item Prior Hagulſtadenſis ſcripſit *Libros duos De Statu & Epiſcopis Eccleſiæ Hagulſtadenſis*, ibidem pag. 286, & floruit ſub Henrico ſecundo Rege, mortuuſque eſt ſub annum 1190 regnante Richardo primo.

RAYNERUS Monachus ſancti Laurentii Leodienſis Ord. Divi Benedicti, ſcripſit *De Viris illuſtribus Cœnobii ſui & Epiſcopatus Leodienſis*, quem vide in Collectione de Rebus Leodienſibus Joannis Chapeaville in 4° Leodii 3 tomis 1612

& sequentibus. Claruit circa annum 1130.

COSMAS Pragensis Ecclesiæ in Bohemia Decanus, *Historiam Bohemorum tribus libris* conscripsit, in quibus Gentis origo & Antiqui Duces usque ad Vratislaum Regem primum ab Henrico III. Imperatore anno 1126 creatum commemorantur : quo tempore & ipse Cosmas floruit. Edita Historia in fol. Hanoviæ anno 1607 à Marquardo Freherο, cum aliis Bohemiæ Scriptoribus.

RAINALDUS DE SEMUR Dalmatii Domini de Semur ex illustri Burgundionum genere & Aremberge Vergeiâ filius, Frater S. Hugonis Abbatis Cluniacensis & Gaufridi de Sinemuro, Monachus Ordinis Divi Benedicti ; deinde meritis exigentibus primò Abbas Vezeliacensis, quo nomine interfuit Concilio Trecensi anno 1104, inde tandem assumptus ad Sedem Archiepiscopalem Lugdunensem. Scripsit *Vitam S. Hugonis Abbatis Cluniacensis fratris sui*, quam habes in Bibliotheca Cluniacensi editâ ab Andræa Ducheſnio. Hic Hugo mortuus est anno 1109. tertio Kalendas Maii ætatis 85, de quo etiam consulere tu poteris Continuatores Bollandi ad diem 29 Aprilis tom. 3 pag. 648 & seqq. ubi prosâ & metrô legitur. De Rainaldo Henricus Gandavensis in libro De Viris Illustribus cap. 3 pag. 162 Bibliothecæ Ecclesiasticæ Auberti Miræi Bruxellensis, Fratres Sammarthani in Gallia Christiana abundè tom. 1 pag. 314 de Archiepiscopis Lugdunensibus, ubi eum volunt mortuum esse anno 1129. die 7 Augusti.

HUGO Corbeiensis Monachus *de Folieto* dictus, claruit circa annum 1130, & multa optima scripsit quæ perperam Hugoni Victorino

1130

attribuuntur, atque inter ejus opera recenſentur, magno legitimi Auctoris damno. Hujuſmodi ſunt ex pluribus Mss. Codicibus à me viſis & diſcuſſis in Variis Bibliothecis maximè Ciſtercienſis Ordinis, *Lib. 4 aurei de Clauſtro Animæ*, *lib. De Medicina Animæ*, *lib. 2 priores de Avibus ad Raynerum*, quos ſæpe cum ipſis avium picturis Mss. Codices repræſentant: nam alii duo poſteriores de feris, poſtmodum ab alio adjecti ſunt. *Libri 2 De Nuptiis Carnalibus & Spiritualibus* ſunt ejuſdem Hugonis Folietani ex Variis Mss. Codicibus, qui unum tantùm librum faciunt, inſcriptum, *Ad Socium volentem nubere*, *de Nuptiis fugiendis*. Eidem attribuitur opus inſcriptum, *Speculum peccatoris*, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 218, qnod impreſſum extat tom. 9 Operum Divi Auguſtini, inter ſpuria. Editores ultimi Operum Hugonis Victorini omiſerunt cenſuram iſtorum Operum, quam prudenter adhibuerant qui eadem ediderunt in fol. Pariſiis olim anno 1526, & ad quam debent recurrere, qui voluerint reſcire dubia vel indubia Opera Hugonis Victorini. Hos autem libros morales competere potiſſimùm Hugoni Folietano, compertum mihi maximè eſt, tam ex ſtilo quàm ex fide Mss. Codd.

GUILLELMUS Gemmeticenſis in Normannia Monachus cognomento *Calculus*, floruit anno circiter 1130 & ſcripſit *Hiſtoriam inſignem Rerum Normannicarum*, quam habes impreſſam in fol. Pariſiis anno 1619 in Collectaneo Hiſtoricorum Normanniæ, curis Andreæ Ducheſnii procurato. Plura de illo dictus Andræas in ſuis Prolegomenis ad citatum Collectaneum.

FULCHERIUS Carnotenſis, Balduini Fratris

Godefridi Bullonii Sacellanus, Expeditionem sacram suscepit & ingressus est cum Roberto Normanniæ Duce, & cum Stephano Blesensi & Carnotensi Comite. Unde *quinquennium illud Expeditionis Sacræ* intra quod Scriptores antè recensiti (excepto Alberto Aquensi) nempe Robertus Remensis, Baldricus Burgulienſis & Raimundus Agileus se continuerant, egressus: *Historiam Belli Sacri ab anno* 1095 *ad annum* 1124 libris tribus deduxit. Cumque non longè abesset ab Antiochiâ Syriæ, Balduinum Godefridi Bullonii Fratrem secutus est, cujus tum erat Capellanus, ut ipsemet narrat. Laudatur ab Orderico Vitali lib. 9, à Guillelmo Malmesburiensi lib. 4 & aliis. Scripsit autem Fulcherius libros tres, qui Brugis in Collegio Societatis Jesu inter reliquias Pamelianæ Bibliothecæ extant pleni & integri: quod monere congruum fuit, eò quòd exemplaria quibus Jacobus Bongarsius usus fuit, nec integra nec satis emendata fuerint, ut ipse fatetur. Hæc Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 358 pag. 247 Bibliothecæ Ecclesiasticæ, cui addo eandem Historiam contineri correctam & integram tomo 4 novi Collectanei Historicorum Franciæ ab Andræa Ducheſnio, post Historiam Petri Tudebodi de eadem materiâ, de quo diximus suprà ad annum 1100.

HERVÆUS Patriâ Cenomanensis Ordinis D. Benedicti Monachus, in Monasterio Burgidolensi Diœcesis Bituricensis, pietate & doctrinâ insignis, floruit anno circiter 1130, de cujus laudibus & meritis extat Epistola Encyclica Monachorum Burgidolensis Abbatiæ edita tomo 2 Spicilegii Dacheriani pag. 514. Scripsit multos Commen-

arios in Scripturam Sacram, ſpectantque ad eum *Commentarii in omnes Epiſtolas ſancti Pauli Apoſtoli*, impreſſi hactenus paſſim cum operibus Divi Anſelmi Cantuarienſis, & ſunt Hervæi Burgidoenſis tam ex fide Mss. Codicum, quàm ex impreſſione Operum ejuſdem Anſelmi Pariſienſi anni 1544, quæ Hervæo adjudicat. Vidi Mss. duos Codices optimæ notæ in manibus D. Placidi Porcheron Bibliothecarii S. Germani Pariſienſis, dictum Commentarium in Epiſtolas Paulinas Hervæo præfato Benedictino attribuentes. Ejuſdem *Commentarii in Iſaiam Prophetam ampliſſimi*, quos Mss. habet Bibliotheca Longipontis Ordinis Ciſtercienſis in Epiſcopatu Sueſſionenſi, & Bibliotheca Claromontana Pariſienſis Societatis Jeſu. Itemque vidi ejuſdem auctoris *Poſtillas breves in Deutoronomium* Mss. apud S. Germanum Pariſienſem, cum Commentario in Iſaiam de quo ſuprà. Vide Luçam Dacherium in præludio ad tomum 2 ſui Spicilegii, & citatam Epiſtolam Encyclicam.

ALGERUS Leodienſis primùm Canonicus, inde ſpreto ſæculo Cluniacenſis Monachus, eodem tempore floruit, cujus elogium auctore Nicolao Leodienſi Canonico ejus æquali, refert Joannes Mabillon tom. 1 Analectorum pag. 303, de quo Bellarminus & Labbeus in Opere De Scriptoribus Eccleſiaſticis. Quibus addo ſcripſiſſe *Tractatum inſcriptum De Miſericordia & Juſtitia* lib. 3, cujus prologum refert loco citato idem Mabillon, quem vidi Ms. in Bibliotheca Alnenſi Ciſtercienſis Ordinis in Belgio, in Codice modico, cujus dorſo titulus eſt, *De Vita ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ*: ubi Algerus dicitur *Augerus*, & cujus hoc opus

quod de Canonum observantia est, prælo dignissimum opinor.

UDALRICUS primùm Monachus sancti Blasii in Hercinia Silva, deinde Episcopus Constantiensis in Germania electus Imperatoris nutu, installatur renitente Paschali Pontifice, & octo annis sine consecratione præsedit. Postea Gelasii Decreto à Mediolanensi Antistite consecratus, obtinuit à Sede Apostolica Canonizationem sancti Conradi decessoris sui. Monasteria Erentzelingen Ordinis Divi Augustini & Brigantinum Ordinis Benedictini à Rudolfo Brigantiæ Comite fundatum dedicavit. Interest Comitiis Argentinensibus anni MCXI, cumque anno 1128 Henricus de Bavaria cum magno exercitu Constantiam obsedisset, Episcopus Udalricus cum civibus ei strenuè restitit. Nec Martem solùm coluit, sed & Minervam. Scripsit *Vitam sancti Gebehardi Augustani Episcopi lib.* 2, quam refert Canisius in Collectaneo Antiquarum Lectionum, & Surius ad diem 27 Augusti. Item *Vitam sancti Conradi Episcopi itidem Augustani* ad Calixtum 2 Papam, apud Surium ad 26 diem Novembris. Denique Udalricus ad suum sancti Blasii in Hercinia Silva Monasterium liberè rediit anno 1138, amans quietem & solitudinem, ubi dicitur vixisse usque ad annum 1140. Falluntur autem qui ex uno duos faciunt Udalricos Constantienses Episcopos, sibi immediatè succedentes.

ISAAC Monachus Catholicus, juxta Labbeum in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum, floruit anno circiter 1130: cujus *libri* 2 *adversùs Armenorum errores*, quos ex Ms. Cod. edidit Franciscus Combefis in Auctario Græco-La-

tino Bibliothecæ Veterum Patrum tom. 2 pag. 317 & seqq. quod editum 2 tomis in fol. Parisiis anno 1648 apud Antonium Berthier viâ Jacobæâ sub signo Fortunæ. Vult autem dictus Combefis loco citato pag. 415 eum floruisse sæculo XI.

BALDRICUS ex Burgulienſi in Andegavis Abbate, Dolensis in Aremorica (ut tunc temporis vocabatur) Archiepiscopus ab anno 1114, per annos 22 & dies 44 usque ad 27 Januarii anni 1131. Scripsit *Poëtica methodo libros quatuor Historiæ Hierosolymitanæ*, laudaturque ab Orderico Vitali lib. 9 Historiæ suæ Ecclesiasticæ. Admovit manum huic Operi sexagenarius, neque visa narravit, sed ab Anonymo verè quidem, at stilo rusticano scripta, secutus est. Inseruit multa ab iis audita qui interfuerant, cùm & ipse Claromontano Concilio interfuisset anno 1095. Opus impressum in Collectaneo *Gestorum Dei per Francos*, edito in fol. tomis 2 Hanoviæ 1611, cura & studio Jacobi Bongarsii. Itemque *in Collectione Historicorum Franciæ* tom. 4, cum aliis quibusdam Poëticis ejusdem Auctoris, quæ edidit Andræas Duchesnius. Item *Vitam S. Roberti de Arbrisellis, Ordinis Fontis-Eberaldi Fundatoris*, dicatam Petronillæ Abbatissæ, quam habent Surius & Bollandus ad diem 26 Februarii. Huic Andræas Monachus Fontis-Eberaldi addidit *Descriptionem obitûs sancti Viri*, ibidem insertam. Idem Baldricus scripsit *Translationem & Miracula capitis sancti Valentini Martyris*, apud Gemmeticensem Abbatiam, quæ apud Bollandum die 14 Februarii. Idem Baldricus *Historiam veterem de sancto Hugone Rothomagensi Archiepiscopo* in meliorem, ut potuit, statum restituit, quam Ursioni Gemmeticen-

sium Abbati, ejusdemque loci Congregationi inscripsit. Hanc habemus ex lib. 13 Jacobi Guisii qui eam in undecim capitula distinxerat, quam totam edidit Arturus du Monstier in Neustria Pia cap. 8 Gemmeticensis Monasterii, & quam cap. 9 discutit exploditque ut fabulosam, & variis scatentem mendis, veritati & rationi Chronologicæ omninò adversantibus. Huic etiam *Vitam S. Samsonis Dolensis Episcopi* attribuit Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 358 pag. 246, & Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 2 in Episcopis Dolensibus.

STEPHANUS HARDINGUS Natione Anglus, post sanctos Robertum & Albericum ab anno 1109 Abbas Cisterciensis usque ad annum quo obiit 1134 die 17 Aprilis, cùm aliquot antè mensibus abdicasset, oculis captus. Scripsisse dicitur *Exordium parvum Ordinis Cisterciensis*, quod legitur tom. 1 pag. 1 Bibliothecæ Cisterciensis, quam edidit variis tomis in folio anno 1660 & seqq. Bertrandus Tissier Prior Bonifontisin tractu Remensi, quæ Parisiis venditur in Collegio Bernardinorum, & viâ Jacobæâ apud Edmundum Couterot sub signo Boni Pastoris. Appellatur etiam Auctor *primarum Ordinis Cisterciensis Constitutionum* quas vulgò *Cartam Charitatis* nuncupant. Quæ quidem Constitutiones ut & Instituta Conversorum ejusdem Ordinis Cisterciensis, extant in Menologio Cistercienſi, typis Plantinianis Antuerpiæ anno 1635 edito, ad diem 5 Julii. Plura de Stephano omnes qui scripserunt de rebus Cisterciensibus.

RUPERTUS Abbas Tuitiensis Ord. Divi Be-

nedicti juxta Coloniam Agrippinam, cujus opera sæpiùs impressa Coloniæ, Parisiis & alibi, de quibus abundè Bellarminus & Labbeus. Quibus adde *Libros* 3 *Dialogi ejusdem inter Christianum & Judæum*, quem appellavit *Annulum*, editos ex Ms. Letiensis Abbatiæ cum operibus vel post opera sancti Anselmi Cantuariensis pag. 524, ultimæ editionis Parisiensis anno 1675 procuratæ à Gabriële Gerberon Monacho Benedictino.

GAUFRIDUS GROSSUS Monachus Tironensis Ordinis D. Benedicti, scripsit circa annum 1135 *Vitam sancti Bernardi Abbatis Tironensis*, quam habent Bollandistæ ad diem 14 Aprilis pag. 222 tomi 2.

ANSELMUS Abbas Gemblacensis in Brabantia post Sigebertum ab anno 1112 ad annum 1137 vel 1138, quo mortuus est die 20 Martii. Continuavit *Chronicon Sigeberti usque ad annum* 1137, quod ab alio pariter continuatum usque ad 1149, cui tandem alius Aquiscincti Monachus additionem posuit usque ad annum 1225. Hæc omnia edidit in 8° Antuerpiæ anno 1608 Aubertus Miræus Verdussianis typis, cum Chronico Sigeberti, quæ sola editio est genuina, utpote libera à nugis & quisquiliis *Galfridi Monumetensis* seu *Asaphensis*, quæ in aliis omnibus Chronici Sigebertani editionibus insperse leguntur. Meminit Anselmi Gemblacensis Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 346 pag. 244, Natalis Alexander in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus sæculo XII parte 1 cap. 6 art. 3 pag. 462. Libellus de gestis Abbatum Gemblacensium quem Lucas Dacherius tom. 6 Spicilegii edidit, eundem Anselmum laudat pag. 539.

GUIGO Delphinas Valentinenſis, quintus majoris Carthuſiæ Prior ab anno 1110 uſque ad annum circiter 1137, quo mortuus die 27 Julii. Vir fuit magni meriti & doctrinæ, qui ſcripſit *Statuta Carthuſienſium prima*, quæ manuſcripta habentur in Bibliotheca Thuanea, nunc Colbertina ſemel atque iterum, & habentur paſſim apud Carthuſianos, impreſſa olim Baſileæ anno 1510. Item *Vitam ſancti Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi*, primi Carthuſianorum Fundatoris, quam Surius & Bollandiſtæ non omiſerunt in Vitis Sanctorum. Item ad Gervaſium *Epiſtolam ſeu librum De modo orandi*, impreſſum ſub nomine veri Auctoris Guigonis in nupera editione Operum Divi Bernardi, & in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Lugdunenſis. Item *Tractatum De quadripertito Exercitio Cellæ*, quem primus edidit Petrus Franciſcus Chifflet Societatis Jeſu, ac poſt eum ultimus Amplificator Bibliothecæ Veterum Patrum. Item *Epiſtolas duas* in editione Operum Divi Bernardi procurata à Joanne Mabillon, & *tertiam* tom. 1 Analectorum ejuſdem Auctoris pag. 331. Plura Fratres Sammatthani in Gallia Chriſtiana tomo quarto paginâ 971. Natalis Alexander ſeculo XII. capite ſexto art. 9 pag. 498 partis primæ.

DROGO, ut inquit Hermannus Monachus libro *De Miraculis B. Mariæ Laudunenſis* capite 22, Prior primùm ſancti Nicaſii Remenſis, poſtea aſſumitur in primum Abbatem ſancti Joannis Laudunenſis, Sed cùm jam illic Deo donante non parum proficeret, bono odore ſapientiæ & probitatis ejus longè latèque diffuſo, Innocentius ſecundus Papa conſtrictum obedientiæ vinculo

lo eum Romam ire jussit & coëgit, Urbisque Hostiensis Episcopum consecravit. Scripsit *Opusculum de Passione Domini, & alia*, quæ inserta sunt Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis Parisiensis anni 1644. tomo 2 pag. 565 & seqq. Obiit anno 1138. vel sequenti, de quo plura Lucas Dacherius in editione Historiæ Hermanni Monachi, cum Operibus Abbatis Novigentini Guiberti, quem supra ad annum 1120 recensuimus.

Hugo Victorinus, seu Sancti Victoris Parisiensis, Canonicus Regularis Divi Augustini, cujus Opera sæpiùs impressa in Galliis, de quo Bellarminus & Labbeus, in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. His addas *Opusculo Hugonis de studio legendi* caput ultimum, *De Ingenio* tomo 1 Analect. Joan. Mabillon pag. 324. Plura etiam suprà *in Hugone Corbeiensi*, & infrà *in Roberto Paululo* ad annum 1170. Nonnulla tamen à me advertenda sunt de Scriptis & Impressionibus Operum tam Hugonis Victorini, quàm Richardi ejus Ecclesiæ Canonici ac Scriptoris. *Primùm.* Opera utriusque ultima editione sunt impressa in folio Rothomagi annis 1648 & 1650 apud Joannem Berthelin in Area Palatii, quæ ut promptiùs venderent Bibliopolæ, audaci manu apposuerunt, ea omnia esse recensita & collata ad manuscriptos Codices, quod magnum huic editioni meritum commendasset, si tamen verum fuisset. At nullus invenitur qui edita cum manuscriptis contulerit, nec vel modica variatio allata ex manuscriptis Codicibus, imò quantùm mihi liquet ex manuscriptis à me inspectis, nec vel apicem Codicum manuscriptorum cum editis contulerunt, 1140.

Hoc uno vel maximè peccatum est ab Impressoribus, vel à curatoribus impressionis hujus Rothomagensis, quòd varias Censuras in antiquis anni 1526. eorundem Operum editionibus Parisiensibus cum magno tunc temporis judicio factas, suppresserint, quibus varia Opera vel abjudicabantur Hugoni Victorino, vel ei cum scrupulo ac formidine attribuebantur, ob fidem manuscriptorum Codicum, quos antiquæ istius editionis Curatores diligenti examine discussserant. At Moderni Rothomagenses Censuris suppressis, omnia quæque cæco modo præfractè Hugoni, absque ullo delectu concesserunt. *Secundum.* Inter Opera Hugonis Victorini hoc modo impressa, extant, *Libri quatuor de Claustro animæ, Liber de Medicina animæ, Libri duo priores de Avibus ad Raynerum, Libelli duo de Nuptiis carnalibus & spiritualibus*, qui ex fide manuscriptorum Codicum spectant ad Hugonem de Folieto Monachum Benedictinum Corbeiensem, ejusdem temporis Scriptorem. De quibus diximus supra ad annum 1130 *in Hugone Folietano.* Item *Libri tres de Officiis Ecclesiasticis*, & Opusculum *De Canone mystici Libaminis*, spectant ad Robertum Paululum Presbyterum, & Domesticum Episcopi Ambianensis, de quo dicemus ad annum 1170. Ac sanè recenter Opera ista conjecta sunt in massam Operum Hugonis Victorini in editione Colonienſi anni 1609. & Rothomagensi ab nuperis editoribus, opinantibus eo celebriorem esse Scriptorem, quò plura ei indiscriminatim attribuuntur, absque duce & consule. Opusculum etiam *De Spiritu & Anima*, quod habetur inter opera spuria Divi Augustini impressa tom. 7, & quod nonnulli opinabantur

spectare ex conjecturis ad Hugonem Victorinum; Illustratores novissimi Operum Divi Augustini, doctissimi Patres Benedictini Galli, abstulerunt ab Hugone, ut alicui Cistercienſi vero illius parenti restituerent. *Tertium.* Extat inter Opera Hugonis Victorini *Liber de Anima Christi*, quem in diversis Bibliothecis vidi manuscriptum sub nomine *Hugonis Parisiensis*, inscriptum *De Sapientia Christi & Sapientia Christo.* Est indubius Hugonis Victorini fœtus, quem dicavit Gualtero de Mauritania, Laudunensi postea Episcopo post Bartholomæum atque Gualterum Sancti Martini Abbatem, viro Litteris clarissimo. Hic autem Liber in MS. Lætiensis Abbatiæ Ordinis Divi Benedicti Comitatus Hannoniensis, habet prologum ad dictum Gualterum, qui hucusque in editis deest, quem proxima editio Operum hujusmodi facilè obtinere posset. *Quartum. Excerptionum Libri* XXIV habentur apud Hugonem Victorinum, de quorum vero Auctore controvertitur, fuerintne Hugo Victorinus, an Richardus, an neuter, sed aliquis Anonymus, qua de re postea ad finem hujus Observationis dicemus. *Hi Libri* XXIV *Excerptionum* sparsim ac tumultuarie impressi sunt inter Opera *Hugonis ac Richardi Victorinorum.* Nam quatuor *primi Libri* tantum sub nomine Richardi Victorini inter ejus Opera editionis Rothomagensis anni 1650, apud Joannem Berthelin pag. 313, absque prologo. At hujus Collectanei *decem primi Libri* tantum cum prologo, & cum Scholiis brevibus Domini Thomæ Garzonii à Bagnacaballo, ejusdem Ordinis Augustinianorum Theologi, sub nomine Hugonis Victorini inter ejus Opera editionis Rothomagensis anni 1648,

apud eundem Berthelin tom. 2 pag. 333 & seqq. quæ malè inscribuntur *Institutiones Monasticæ Excerptionum priorum*, cùm de rebus Monasticis non loquantur. Altera pars istarum Excerptionum *juxta prologum* continere debet *Libros quatuordecim*, quorum *novem primi* habentur sub nomine Hugonis Victorini tom. 1. Operum prædictæ impressionis pag. 221 & seqq. *Decimus* autem *Liber* secundæ partis harum Excerptionum, ac *vigesimus* totius Operis, juxta prologum tom. 2 dictorum Operum pag. 333, per Sermones seu Homilias quasdam distinctus est ab Excerptore, estque *in Ecclesiasten* collectaneum Homiliarum novemdecim, quas habes sub nomine Hugonis Victorini inscriptas *Annotationes elucidatorias in Ecclesiastem Salomonis*, tom. 1 Operum ejusdem Hugonis editionis citatæ pag. 75 & seqq. *Libri* autem XXI. XXII. XXIII. XXIV. qui restant, habentur eodem tomo sub ejusdem Hugonis nomine, pag. 283 & seqq. inscripti, *Annotationes elucidatoriæ in quatuor Evangeliorum libros*, continentque tantùm *quatuor libros* secundum numerum Evangeliorum, & non *novem*, ut malè habet titulus dictâ paginâ 283. Nec ultra libros XXIV. extenditur *Collectaneum Excerptionum Victorinarum*, sive Hugonis sit, sive Richardi aut Anonymi, juxta prologum quem allegavimus: unde Commentarius *in omnes Epistolas sancti Pauli*, quem habent Opera Hugonis Victorini editionis Rothomagensis anni 1648 tomo 1 pag. 361, est additus postmodum huic Collectaneo, ab aliquo alio, qui Opus truncatum atque mutilum opinatus est, nisi additamentum ejusmodi subjungeretur, ut omne novum Testamentum quodammodo hoc

Collectaneum complecteretur. Hoc patet ex simplici lectione totius Operis; quamvis enim liber hujus Collectanei XXIV. qui *in Evangelium Joannis est*, sit per modum quæstionum ac solutionum diversarum à consarcinatore confectus; est tamen stili omnino alterius *ab Annotationibus elucidatoriis in Epistolas sancti Pauli* tomo I pag. 361, qui sapit scholasticam venam primorum ejusmodi hominum, qui scribebant anno circiter 1210 vel 1220: unde perpetua affectatio vocis istius ad singulas quæstiones, *Solutio*, qualem affectabant primi summarum scholasticarum Farraginatores; ac quâ abstinet latinus magis & minùs scholasticus, Collector *libri xxiv. Excerptionum in Joannem*, licèt per quæstiones & responsiones agat. Hæc quantùm ad ordinem atque impressionem *librorum xxiv. Excerptionum* inter Opera Hugonis Victorini, quod annotasse otiosum non fuerit, ad futuram & planam Operum ejusmodi impressionem. Hujus Collectanei Mss. Codices in nonnullis Galliæ Bibliothecis inveniuntur 2 vol. in fol. Anonymi ut plurimum, quorum *volumen primum* primam Collectionis partem, *aliud* alteram complectitur. Vidisse me memini in manuscripto Codice Bibliothecæ Fulcardi-Montis Ordinis Cistercienſis, Archiepiscopatus Rothomagensis, primam partem hujus Operis sub nomine *Richardi Victorini*, qui Codex in folio jam transiit in Bibliothecam Colbertinam, estque scriptus non multò post tempora Auctoris, cujus nomen præfert.

Jam quæritur quis sit legitimus Auctor istius magni Collectanei, quod per partes ac sparsim est impressum in Operibus Hugonis Victorini vel Richardi, ut suprà meminimus: an Hugo Victo-

rinus, Richardus, an Anonymus? Vellem optaremque tam grande Opus posse attribui Victorino alicui Canonico, at judicium ex affectu desumendum non est, sed ex veritate rei, quantùm eam assequi possumus. Nullus alienis ditandus, ac si vel proprius parens alienis esset indutus, legitimè nudaretur, ut alienum redderetur. Grande hinc patientur Opera Hugonis vel Richardi Victorini dispendium, sed quid ad rei veritatem? Quid ad justitiam? Vincentius Bellovacensis libro 28 Speculi Historialis cap. 58, D. Antoninus in 3 volumine partis Historialis tit. 18 cap. 3; Guillelmus de Sancto Lando Abbas XXII. S. Victoris Parisiensis in Elogiis quatuor Patrum Victorinorum, scilicet Thomæ Prioris, Hugonis, Richardi & Adami ejusdem Ecclesiæ Scriptorum; Platina in Vitis Pontificum; Trithemius in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*; Joannes Pitseus Anglus libro *De illustribus Angliæ Scriptoribus*; Gilbertus Genebrardus & Jacobus Gualterus Societatis Jesu *in Chronologiis*, attribuunt Richardo Victorino, & alii passim, quos refert nupera editio Operum Richardi, facta Rothomagi in fol. anno 1650. apud Joannem Berthelin, ubi de hac controversia in frontispicio Operis, cumulatè & ex professo. Quibus addo vidisse me manuscriptum Codicem in folio optimæ notæ, quasi contemporaneum Richardo, in Bibliotheca Fulcardi-Montis, nunc Colbertinum, ubi dicti Operis prima pars sub nomine Richardi Victorini. Atque his non obstantibus, vel variis etiam editionibus Richardi Victorini, ubi sub nomine ejus comparent, & in editione Parisiensi anno 1528, Lugdunensi anno 1534, Colonensi in Germania

anno 1621, & Rothomagensi anno 1650. Nec obstantibus etiam editionibus Operum Hugonis Victorini, ubi sub ejus nomine inveniuntur, ut in Parisiensi anni 1526, cum formidine tamen ac Censura: in Venetiana itidem anni 1588, quam procuravit Garzonius Lateranensis Canonicus Regularis: in Colonensi anno 1629. & in Rothomagensi anni 1648 tom. 2 pag. 332. ubi prima pars seu *Libri decem primæ partis* hujus Collectanei impressa legitur, cum Scholiis dicti Domini Thomæ Garzonii à Bagnacaballo ejusdem Ordinis Theologi. Unicum mihi suppetit argumentum, sed in hoc genere demonstrativum. Quisquis fuit Auctor hujus Collectanei, scripsit illud postquam Philippus cognomento Augustus assecutus est Monarchiam Francicam, quod contigit post mortem Ludovici Junioris anno 1180. Hoc patet ex ipso Collectanei Auctore, qui sic claudit caput 10 libri decimi, dum loquitur de Regibus Franciæ: *Post hunc fuerunt isti, Henricus, Philippus, Ludovicus Grossus, Ludovicus Junior, & Philippus.* At nec Hugo Victorinus, qui obiit anno 1140, nec Richardus Victorinus, quem asserunt Victorini Canonici mortuum anno 1173 die 10 Martii, attigerunt Regnum Philippi Augusti Francorum Regis: unde certò constat neutrum esse Auctorem hujus Collectionis, quæ conflata videtur tempore hujus Regis, vel circa annum 1200. Nec valet contra hoc argumentum auctoritas Vincentii Bellovacensis aut aliorum, qui ex professo hoc punctum nunquam attigit, sæpéque deceptus noscitur circa designandos Scriptorum Auctores. Aliam iniit viam Cardinalis Bellarminus in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ut hoc Colle-

ctaneum Hugoni Victorino auferret, magnam nempe disparitatem stili : sequutus hac in parte Thomam Garzonium, qui in editione Veneta anni 1588, & Rothomagensi anni 1648, in Annotationibus suis ad primam partem hujus Collectanei, sic eam concludit ; *Finis libri decimi & ultimi prioris partis Excerptionum M. Hugonis de Sancto Victore, Canonici Regularis Sancti Victoris Parisiensis, ut plerique credunt : mihi tamen ob phrasim & loquendi de gente sua formam, aliter circa assertionem visum est. Secunda autem pars in primo tomo Operum Magistri Hugonis impressa est.* Sed hæc ratio tam Bellarmini quàm Thomæ Garzonii infirma semper visa est : Quis enim stilus vel stili differentia cognosci potest in Excerptione fideli de aliis Auctoribus, qui verbotenus, uti hic Excerptor, desumit ex aliis, ac consequenter proprium in Collectaneis non habet stilum ? Igitur ex stili differentia, non potest argui Auctorem hujus Collectionis non esse vel Hugonem Victorinum, vel Richardum. Denique ob rationem supra allatam, quisquis ille est hujus Collectanei Auctor, sive Hugo Victorinus, sive Richardus, congessit illud sub extremum Vitæ, *agens de Philippo Rege Francorum.* At quis credat hos duos viros, ambos doctissimos, ambos multis Scriptis è suo penu doctissimè depromptis insignes ac famosos, sub senium ac fatiscentes artus, incubuisse transcribendis alienis Auctoribus, conficiendis farraginibus rerum omnium, quale censetur hoc Collectaneum ? hæc sanè cogitatio derogans utriusque honori est, ac meritis notissimis : quòd omne dictum sit, absque præjudicio meliorum, quæ fervidus amplectar.

ANTONIUS MELISSA dictus ab opere quod contexuit, & cui Meliſſæ nomen impoſitum, de quo Bellarminus & Labbeus. Hoc Opus Conradus Geſnerus Venetiis acquiſitum græcè & latinè ſeorſim, eodem & Joanne Ribitto interpretibus excudi curavit Tiguri anno 1546, ſub hoc titulo: *Sententiarum ſeu Capitum Theologicorum præcipuè ex ſacris Scripturis & Prophanis libris tomi tres, per Antonium & Maximum Monachos olim collecti.* Antonium autem ſæculo 8 ad annum 750 alligavit Labbeus in Bibliotheca Chronologica Scriptorum Eccleſiaſticorum, ſed perperam. Nam Franciſcus Combefis tomo 2 Operum S. Maximi, paginâ 729 in Notis ad Sermones ſancti Maximi ex Excerptis compoſitos, docet *in Meliſſa* Antonii allegari Joannem Damaſcenum, Photium Conſtantinopolitanum. & Theophylactum Acridæ in Bulgaria Archiepiſcopum, qui anno 1074 floruit: unde rectè infertur Antonius horum Sermonum conſarcinator, ſpectare ad ſæculum 12 Eccleſiæ.

FALCO Beneventanus, ſacri Palatii Notarius ac Scriba, ab Innocentio II Papa ob Fidei conſtantiam, quâ Pontificias partes in maximis illorum temporum turbis tutatus fuerat, Judex ſuæ patriæ renunciatus fuit. Reliquit poſteris *Chronicon*, ſive *Hiſtoriam*, quæ ab anno 1102 uſque ad annum 1140 eventus & res præſertim Beneventi geſtas produxit; & adeò accuratè deſcripſit, ut qui eas legit, non legere, ſed præſens eſſe videatur. Evulgavit illud Neapoli anno 1626 Antonius Caraccioli Theatinus, cum Hiſtoriis Heremperti & Lupi Protoſpatæ Appuli, quod inveniri etiam

potest in Collectione Historicorum veterum Siciliæ, quæ Francofurti anno 1579 impressa fuit. Stilus quidem Fulconis barbarie est horridus, pro genio illius ævi, sed quoad cætera, Cæsari Baronio in Annalibus, & Jacobo Gordono in Chronologico opere placuit. De illo Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 330, paginâ 241, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*.

ORDERICUS VITALIS Angligena, Ordinis Divi Benedicti, Monachus Uticensis, sive sancti Ebrulfi in Normannia, scribebat anno 1141 ætatis suæ 67, *Historiam Ecclesiasticam* nobilem, insertam paginâ 324 Collectionis Historicorum Normanniæ, quam Parisiis in folio edidit anno 1619 Andræas Ducheſnius, qui in prolegomenis hujus Collectanei agit de Orderico sufficienter.

LUCAS Montis sancti Cornelii Abbas Ordinis Præmonstratensis, quem malè Joannes Trithemius Ordini Benedictino adscripsit, nam Mons Cornelii juxta seu prope Leodium, ubi nunc Carthusiani sunt, Ordinis olim Præmonstratensis fuit. Scripsit circa annum 1140 *Commentarium in Cantica Canticorum* Miloni Tarvanensi Episcopo dedicatum, qui propriè Commentariorum Antiquioris Apponii Compendium est. Habemus impressum anno 1538 Friburgi, unde exiit in Bibliothecam Sanctorum Patrum. Correxit errorem Trithemii Joannes Miræus in Appendice addi solitâ ad Opus Hentici Gandavensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 9 paginâ 174 Bibliothecæ Ecclesiasticæ, qui etiam hujus Lucæ mentionem facit

in Auctario suo de Scriptoribus Ecclesiasticis capite 241, dum loquitur de Apponio, cujus Lucas Abbas Abbreviator est.

HUGO FARSITUS Canonicus Regularis Ordinis Divi Augustini, quantùm augurari licet, juxta vel in ipsa Urbe Suessionensi, Abbas posteà, sed Ecclesiæ mihi nondum cognitæ, unde eum Abbatem vocat qui ejus mentionem facit, Henricus Gandavensis in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 36. Scripsit circa annum 1140 unum librum *De Miraculis B. Mariæ Suessionensis*, quem alii *De Sacro igne* inscribunt, quemque Joannes Picardus Canonicus Regularis Sancti Victoris, in Notis ad Epistolas Divi Bernardi testatur inveniri Ms. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Vidi etiam Ms. in 4° in Bibliotheca Fusnianensi Ordinis Cistercienſis, Episcopatus Laudunensis, cum *altero libro Miraculorum sancti Quintini Martyris, & libris quinque Miraculorum sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, quos scripsit *Odo Cantuariensis Monachus, & postea Abbas de Bello* in Anglia. Est autem editus Hugonis Farsiti Liber ad calcem Historiæ Gallicæ B. Mariæ Suessionensis Ordinis Divi Benedicti, pag. 481 & seqq, quæ prostat in 4° Parisiis anno 1675 apud Joannem Coignard, curâ & studio Michaëlis Germani Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri. Scripsit ad Hugonem hunc jam Abbatem Epistolas duas sanctus Bernardus.

ROBERTUS RETENENSIS natione Anglus, post Galliam, Italiam, Dalmatiam & Græciam lustratas, in Asiam transiit, & inter Saracenos ibi agens Linguam Arabicam perfectè didicit. Unde

in Hiſpaniam navigio tranſvectus, ubi innotuit hominis eruditio, ad Archidiaconatum Eccleſiæ Pampelonenſis eſt evectus. Dein Petro Cluniacenſi Abbate petente, *Alchoranum Mahometanum in Epitomen redegit, & ex Arabico in Latinum* tranſtulit, ut Nicolaus Cuſanus in Cribratione Alchorani lib. 1. Narrat. Obiit autem Pampelonæ ſub annum 1143, Alchoranum porrò *Joannes Albertus Vvidmanſtadius*, Auſtriæ Cancellarius, Ordinis Sancti Jacobi Miles, & alii multi refutarunt: quorum Opuſcula cum *Roberti Retenenſis verſione* anno 1143 Norimbergæ, & 1550 Baſileæ typis edita ſunt. Hæc Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* capite 373 paginâ 252.

PETRUS ABAELARDUS Nannetenſis in Armorica, Monachus primùm ſancti Dionyſii, tum poſtea factus Abbas ſancti Gildaſii in natali ſolo, quam ob corruptos mores Monachorum Præfecturam abjicere compulſus eſt. Appellatus ſui temporis Dialecticus, ob nobilem diſſerendi induſtriam, quâ plurimùm in Diſputationibus valuit. Accuſatus à ſancto Bernardo multorum Errorum, quos ab ipſo nunquam fuiſſe probatos, hodie multi noſtrorum temporum penſatis hinc atque inde omnibus, cenſent & affirmant, qua de re ſtatuere quippiam noſtri non eſt inſtituti. Ultro citroque ab Auctoribus ſui temporis accuſatus & excuſatus. Obiit tandem Monachus Cluniacenſis in Prioratu ſancti Marcelli prope Cabilonem, dicti Ord. anno 1142, die 21 Apr. ætatis 63. Heloiſſa verò ejus olim amica ac poſtea uxor, ad converſionem veniens poſt Petrum, & Abbatiſſa Cœnobii Paracleti in Epiſcopatu Tricaſſino, obiit

anno 1163 die 17 Maii. Opera Petri & Heloiſſæ lectu digna, impreſſa ſunt Pariſiis in 4° anno 1626, quæ ſunt, *Epiſtolarum liber* 1. *Solutionum ad problemata liber* 1, *Commentarius in Epiſtolam ad Romanos lib.* v, *Sermones varii*, *Introductionis ad Theologiam lib.* III. Franciſcus de Amboſia Conſiliarius Regius, qui ejus Opera inquiſivit & evulgavit, pollicebatur *ejuſdem Petri Logicam*, quam apud ſe manuſcriptam habebat. Ejuſdem Petri Abaelardi *Expoſitio ſuper Epiſtolas Pauli & ſuper Pſalterium*, Ms. in Bibliotheca Colbertina Cod. 4334. Scripſerat & *Commentarium quemdam in Ezechielem Prophetam*, Lauduni incœptum, ac poſteà Pariſiis completum, dum ibi Scholas aperuiſſet: de quo ipſe (ut opinor) Petrus loquitur Epiſtolâ ſuâ primâ, quæ eſt ſuarum calamitatum. Item ſcripſit *Apologiam* ſeu *breve Apologeticum* quod refert Bibliotheca Ciſtercienſis Ordinis tomo 4 pag. 254. Idem ſcripſit *Librum Sententiarum*, & alium inſcriptum *Noſce teipſum*, quem appellat ſuam Ethicam, de quibus poſtremis ſanctus Bernardus in ſuis Epiſtolis, & Petrus ipſe in ſua Apologia. Hos manuſcriptos *cum Commentario in Geneſim Heloiſſæ ſuæ nuncupato*, ſervat Bibliotheca ſancti Michaëlis in periculo maris, ex Joanne Mabillon in ſua editione Operum Divi Bernardi, dum Notas adjicit Epiſtolæ 188. Opus autem Sententiarum Petri Abaelardi in veteribus manuſcriptis inſcribitur communiter, *Sic & non:* atque ita Ms. extat in Bibliotheca publica Cantabrigiæ Cod. 168, & in Collegio ſancti Benedicti ibidem Codice 390. Qui plura cupit de Petro Abaelardo, videat Natalem Alexandrum in ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus ſæculo XII.

parte 3 dissertatione 7, ubi variam ejus fortunam multis exprimit.

1150. JOANNES BURGUNDIO Civis Pisanus, temporibus Eugenii Papæ tertii, transtulit à Græco in Latinum, *Opus sancti Joannis Damasceni de Fide Orthodoxa*, cujus translationis initium, *Deum nemo vidit unquam.* Hanc vidi manuscriptam in manibus Jacobi Hommey Augustiniani Eremitæ Parisiis, mutuatam ex Bibliotheca Sorbonica, Cod. Ms. in 4°. Item Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 109. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti cod. 135. Idem transtulit ex Græco in Latinum Homilias aliquas Divi Chrysostomi, ibidem Mss. Cod. 241.

TEULFUS Monachus Morigniacensis Ordinis Divi Benedicti, scripsit circa annum 1150, *Chronicon ejusdem Monasterii* ab anno Christi 1008 ad annum 1147, quod tertio tomo pag. 359 Collectionis Historicorum Franciæ ab Andræa Duchesnio insertum fuit.

CONSTANTINUS MANASSES Historicus Græcus, scripsit *Versibus politicis Synopsim historicam*, quæ comprehendit res ab initio mundi usque ad initium Imperii Alexii Commeni, quod in annum millesimum octogesimum primum incidit. Vixit autem octoginta circiter annis postea, nempe circa annum 1150, temporibus Imperatoris Manuelis Commeni, cui diuturnum precatur Imperium, dicavitque Opus suum Fratriæ hujus Manuelis Irenæ, Andronico nuptæ. Constantini Manassis Annales ex Græcis Latini per Joannem Leunclavium Basileæ in octavo anno 1573 editi apud Episcopium, græcè & latinè per Joannem Meursium in 4° Lugduni Batavorum anno 1616.

apud Pacium. Idem *Constantini Manassis Breviarium Historicum* cum Notis Joannis Leunclavii & Joannis Meursii, cum variis Lectionibus & Animadversionibus Allatii & Fabroti, editum in fol. græcè & latinè Parisiis inter Historiæ Byzantinæ Scriptores ex Regio Typographio, nostris temporibus. Codices Græci manuscripti hujus Historiæ extant in variis Europæ Bibliothecis, in Messanensi Siciliæ, Bavarica sereniſſimi Ducis codicibus 51, 192, 193, Vaticana ex codicibus Palatinis Heidelbergensibus num. 124 & 397.

CONSTANTINUS HARMENOPULUS Sebastus, Nomophilax & Judex Thessalonicensis, claruit circiter sæculi xij medium, cujus *Epitome Canonum* legitur græcè & latinè tom. 1 Collectionis Juris Græco-Romani, quam Joannes Leunclavius Hamelburgensis edidit Francofurti in folio anno 1596, de qua Labbeus, verbo *Theodorus Balsamon*. Item *ejusdem Confessio de Opinionibus Hæreticorum & de fide Orthodoxa*, ibidem græcè & latinè pag. 547. Idem græcè & latinè cum Legatione Manuelis Commeni Imperatoris anno 1578 Basileæ in 8°. Scripsit etiam *Promptuarium Juris Civilis*, Latinum factum à Joanne Mercero, & Lugduni impressum anno 1556 in 4°: græcè verò Parisiis anno 1540 in 4° Vvechelianis typis. Sed Harmenopuli Prochiron Juris Civilis græcè & latinè cum Scholiis per Joannem Mercerum, & cum Paratitlis, variis Lectionibus & Nomenclatore per Dionysium Godefridum, Genevæ anno 1587 in 4°. Opera Harmenopuli extant manuscripta græcè in variis Bibliothecis, Vaticana variis Codicibus, atque ex Palatinis Heidelber-

genſibus num. 256 & 369, Imperatoria Viennenſi, & alibi.

JOANNES CYPARISSIOTA Auctor pariter Græcus, aſſignatus malè à Labbeo in Chronologia Scriptorum Eccleſiaſticorum ad annum 1150, quem quære ad annum 1364.

ARSENIUS Monachus in monte ſancto Athos floruit circa annum 1150. & ſcripſit *Epitomen Canonum Eccleſiæ*, editam tomo 2 Bibliothecæ Juris Canonici Veteris, de qua diximus ad annum 560 *in Joanne Scolaſtico*. Plura de iſto Arſenio prologus ad tomum ſecundum iſtius Bibliothecæ, quem conſulas.

SIMEON Junior cognomento Magiſter & Logotheta, Arſenio contemporaneus, vel tantiſper poſterior, ſcripſit *Compendium Canonum*, ab Arſeniano vix diſpar, niſi quantùm ad diſpoſitionem: habetur hæc Epitome Canonum impreſſa in Bibliotheca Juris Canonici Veteris tomo 2 pag. 710, in fol. anno 1661, apud Ludovicum Billaine. Utrumque autem Compendium, tam Arſenii quàm Simeonis, deſumptum eſt ex manuſcripto Bibliothecæ Regis Galliarum, ubi extabant. Idem Simeon Logotheta ſcripſit *Conciones ſeu Orationes viginti quatuor De Vita & morum Inſtitutione*, deſumptas ex Operibus ſancti Baſilii Magni, quas ex manuſcripto Codice Bibliothecæ Regiæ græcè & latinè factas per Simonem de Maillé Tutonenſem Archiepiſcopum; habes tomo 3 Operum Divi Baſilii ultimæ editionis Pariſienſis in folio anni 1618. Item ſub nomine Simeonis Junioris *Orationes viginti-tres de Fide & Moribus Chriſtianis atque Monaſticis*, quas latinè tantùm Jacobus Pontanus natione Bohemus Societatis Jeſu, edidit anno

anno 1607 Ingolstadii apud Adamum Sartorium. Sed hæ 33 Orationes habentur Græcè Mss. in Bibliotheca Julii Cardinalis Mazarini, quæ jam quoad Mss. Codices transmissa est in Bibliothecam Regiam. Eadem Opera Simeonis Junioris Græcè Mss. sunt in plurimis Bibliothecis, Bavarica cod. 84, 85, & 104, Augustana cod. 64, Vaticanâ ex Codd. Heidelbergensibus num. 91 & 377. sub ejusdem nomine *Epistolæ Mss. XIX.* in Bibliotheca Sfortiana num. 29, cum aliis Epistolis Multorum aliorum, Libanii, Basilii, Photii, Gregorii Theologi, &c. Demùm illius *in mundi Opificium ex Geneſi & Chronicis* per seriem Opus collectum à Simeone Magistro & Logotheta, Ms. in Bibliotheca Messanensi in 4° ex diversis Chronicis & Historiis: Itémque apud Carolum du Fresne du Cange Nobilem Gallum & Quæstorem Regium Ambianensem.

GALFRIDUS ex Monumetensi Archidiacono Asaphensis in Cambria Episcopus, Henrico II. apud Anglos Rege, (qui regnum anno millesimo quinquagesimo quarto iniit & anno 1189 obiit) scripsit seu potiùs ex Britannico in latinum transtulit *Librum de rebus Britannicis*, qui ineptas fabulas de Merlino, Arthuro & aliis rebus admixtas continet. Opus Galfridi inscriptum *Rerum Britannicarum lib.* 12, quos ex Mss. Codd. Britannicis transtulit in latinum sermonem. Iniquior in eum fuisse existimatur Guillelmus Neubrigensis, ingratus verò Polydorus Virgilius, utpote qui Historiam suam compilando, innominato auctore plurimùm Galfredi testimonio utatur. Claruit anno 1152, librique impressi Lugduni in fol. anno 1587 apud Renatum Potelier, cum

Epiſtola Gildæ ſapientis de excidio Britanniæ pag. 113, Hiſtoriâ Eccleſiaſticà Bedæ Anglo-ſaxonis pag. 147, Guillelmi Neubrigenſis libris quinque rerum Anglicarum pag. 353. Idem apud Commelinum in fol. anno 1587, & Pariſiis apud Aſcenſium in 4° anno 1517.

SUGERIUS humili loco natus, virtutis & doctrinæ gradibus ad ſumma conſcendit. In celebri S. Dionyſii prope Pariſios Monaſterio ſancti Benedicti Regulam profeſſus, ingenii fœlicitate & ad res magnas gerendas capacitate Ludovico VI. Regi Galliarum innotuit, cujus legatione ad Callixtum II. Summum Pontificem cum laude perfunctus, Abbas S. Dionyſii abſens electus eſt, adhuc Diaconus, & accedente Regis conſenſu Benedictus anno 1123. Regularem obſervantiam in Cœnobio ſibi commiſſo *abſque ſcandalo & perturbatione Fratrum* reſtituit, Baſilicam inſignem eo quo etiamnum conſpicitur Schemate inſtauravit, ornavit, locupletavit: Deo ſanctam reformationem bonorum etiam temporalium copiâ remunerante, ut dicere poſſent, *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Nec virtuti ſtudium litterarum defuit; nam ſcripſit Sugerius *Vitam Ludovici VI. Francorum Regis* cognomento *Groſſi*, *Librum Epiſtolarum ad diverſos de gravioribus Regni negotiis*, quibus Ludovico VII. dicto Juniore ad Expeditionem ſacram profecto digniſſimè præfuit. Item *Lib. De rebus in adminiſtratione Cœnobii ſancti Dionyſii à ſe geſtis*, & alterum *De Conſecratione Eccleſiæ* à ſe ædificatæ & tranſlatione Corporum S. Dionyſii & Sociorum, quæ omnia ſunt edita à Franciſco Ducheſnio in Collectaneo Hiſtoricorum Franciæ tom. 4, collecta ex Mss.

Codd. Porro *Liber De Consecratione Ecclesiæ Dionysianæ* qui mutilus est apud Duchesnium potest suppleri ex tom. 1 pag. 328 Analectorum Joannis Mabillon. Obiit anno 1153 die 13 Januarii more Romano, cujus *Constitutiones & Testamentum* post alia ejus Opera in dicti Collectanei tom. 4 pag. 546. Qui plura cupit de Sugerio, adeat Sammarthanos Fratres in Gallia Christiana tom. 4 pag. 333 in Abbatibus Sandionysianis, Natalem Alexandrum in selectis capitibus Historiæ Ecclesiasticæ sæculo XII tom. 1 cap. 6 art. 12 pag. 530 & seqq. ex quo compendium istud desumptum.

OGERIUS Abbas de Lucedió Ordinis Cisterciensis in Sabaudia circa hoc tempus clarus, scripsit *Opus insigne Sermonum XV. de Cœna Domini*, quod hucusque inter Opera Divi Bernardi Anonymum impressum est, cujus Prologus incipit: *Paschalibus dapibus satiati.*

GUIDO Abbas Cariloci in Burgundia Sequana, ad quem scripsit duas Epistolas sanctus Bernardus, scripsit *Tractatum De Correctione Cantus Cisterciensis Ordinis*, quem sub nomine D. Bernardi edidit post auctoritatem Joannis Bona S. R. E. Cardinalis viri doctissimi Domnus Joannes Mabillon, in editione sua Operum D. Bernardi. Fefellit Joannem Bonam Ms. Codex quo utebatur, quem (quia vidit dicto Tractatui præmissam Divi Bernardi Epistolam) opinatus est esse Tractatum Bernardi. At Ms. Codex quem hic Buciliaci habeo, continens varios Tractatus qui ad musicam & Cantum Ecclesiasticum pertinent, habet in fronte Operis nomen *Guidonis Abbatis Cariloci*, & caret extraneâ istâ Divi Bernardi Epistolâ, quæ Cardinalem impulerat ad

Tractatum Bernardo attribuendum, qui Guidonis Abbatis certò est. Vult tamen Joannes Mabillon certis argumentis suam etiam opem huic Operi à Divo Bernardo esse præstitam.

ODO Abbas Morimundi Cistercienſis Ordinis, claruit tempore Divi Bernardi, & fuit suo tempore celebris, cujus discipuli doctrinam collegerunt, ut patet ex prologis Mss. Operum sub nomine ipsius. Vidi ac tenui volumen Ms. in folio in Bibliotheca Bonifontis in Thierascia, eò allatum ex Bibliotheca Fusniacensi ejusdem Ordinis, continens *Commentarios in certos quosdam locos Veteris ac Novi Testamenti*, qui incipiunt ab his verbis: *Ut in novo Opere Veteris recordemur Testamenti, &c.* Item vidi *Sermones sub ejusdem nomine ornatos & mellifluos* in duobus Mss. Codicibus Bibliothecæ Longipontis Cistercienſis Ordinis, Territorii Sueſſionenſis: quorum prima pars in fol. post Opus sancti Augustini contra Cresconium, pars secunda in Cod. Ms. intitulato, *Augustinus de mendacio, & Sermones Domni Odonis Abbatis Morimundi.* Atqui tam ex prologo Sermonum quàm Commentariorum in Scripturam, quem utrumque legi, constat hæc omnia ab ejus aliquo discipulo collecta esse, non ipsum Opus Odonis. De quo multa Carolus de Vvisch in Bibliotheca Scriptorum Cistercienſis Ordinis, & plura quàm quæ scripserit: Itemque plenè de illo apud Annales Ordinis Cistercienſis, in Catalogo Abbatum Morimundi. Obiit 6 Nonas Maii anno 1161, de quo Sammarthani tom. 4 Galliæ Christianæ in Abbatibus Morimundenſibus.

GILBERTUS DE PORRETA ortu Pictavienſis & Canonicus sancti Hilarii Majoris, subtiliſſi-

mus Philosophus & in sacris Litteris plurimùm exercitatus, Pictavis Theologiam profitebatur, cum creatus fuit Episcopus anno 1141. Is ergo cum scrutaretur nimiùm sublimia, ad Concilium Remense sub Eugenio III Summo Pontifice habitum vocatus anno 1147, ad instantiam Divi Bernardi arguitur, quòd obscuriùs de sanctissima Trinitate disseruisset, coactusque fuit scripta sua interpretari; de qua re Otho Frisingensis lib. 1 De rebus gestis Friderici Imperatoris cap. 46 & 47: sed ibidem condemnatus non legitur, ut multi passim scribunt. Vivere desiit anno 1154 pridie nonas Septembris, ut habetur in Appendice Roberti de monte ad Sigebertum ubi sic: *Moritur Gillebertus Episcopus Pictavienſis, vir Religioſus ac multiplicis doctrinæ, qui Pſalmos & Epiſtolas Pauli luculenter expoſuit.* Scripsit itaque prolixum Commentarium in Psalmos incipientem, *Christus integer, caput cum membris est materia, &c.* quem Vidi Ms. duobus voluminibus in fol. in Bibliotheca Selincurtensi Ord. Præmonstratensis in Tractu Ambianensi, estque etiam Ms. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Balliolensi Cod. 35. Item *in Epistolas Divi Pauli Commentarium breviorem*, Ms. bis in Bibliotheca Vallis-claræ Ordinis Cisterciensis in Tractu Laudunensi. Itemque *Opus de Trinitate* de quo loquitur D. Bernardus Serm. 80 in Cantica, Ms. in folio apud Patres Carmelitas Parisienses Discalceatos, quorum Manuscripta audivi, sed falsò, transiisse ad Bibliothecam Regiam. Qui plura de Gilberto voluerit, adeat Galliam Christianam Fratrum Sammarthanorum tom. 3 pag. 886 ubi *De Episcopis Pictavienſibus*, Henricum Gandavensem lib. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 17,

Miræum in Scholio ad dictum caput pag. 165 suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ.

ALEXANDER Abbas Celestini Monasterii seu Vallis-Celestinæ, vivebat anno 1154 quo obiit Rogerius ex Duce Siciliæ Rex salutatus ab anno jam 1139. Scripsit autem Alexander *Libris quatuor res gestas hujus Regis*, impressis Cæsaraugustæ anno 1578, evulgatisque curis Dominici Portoneri, & qui continentur etiam tom. 3 Hispaniæ Illustratæ, quæ in celebribus Bibliothecis non deest.

JOANNES Monachus Majoris Monasterii in agro Turonensi florebat anno 1154 quo Gaufridus Comes Andegavensium & Dux Normannorum ex parte uxoris suæ Mathildis Anglicæ, quæ Henrici primi Anglorum Regis unica filia fuit, obiit ad diem 7 Septembris. Scripsit Joannes *Acta hujus Gaufridi Andegavensium Comitis & Normanniæ Ducis, Plantageniste nuncupati*: quæ Parisiis edidit Laurentius Bouchel Parlamenti Causidicus anno 1610 in 8° apud Petrum Chevalier, itémque impressa inter auctores Historicos Normanniæ Collectos in fol. ab Andræa Ducheſnio anno 1619 apud Sebastianum Cramoisy viâ Jacobæâ sub Ciconiis.

VVOLBERO Abbas S. Pantaleonis intra Coloniam, Ordinis S. Benedicti, circa annum 1150 scripsit Commentarium in Cantica Canticorum IV. Libris, quos edidit Henricus Gravius Ord. Divi Benedicti Monachus, Coloniæ anno 1650 in 4°. Obiit anno 1167.

JOANNES Prior Hagulstadensis addidit *annos* XXV. *ad Historiam Simeonis Dunelmensis* de rebus gestis Regum Anglorum, nempe ab anno 1129

ad 1154 quo floruit. De eo ad annum 1129 *in Simeone Dunelmenſi* antea jam egimus, quo recurras. Habetur hæc Hiſtoria Ms. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti Cod. 64, cum Hiſtoria Simeonis Dunelmenſis & cum Hiſtoria Richardi Item Prioris Hagulſtadenſis, *De geſtis Regis Stephani & de bello Standardi.*

HUGO Pictavinus Ordinis Divi Benedicti Monachus, Guillelmi Vezeliacenſis Abbatis Notarius, *Hiſtoriam ſui Monaſterii* juſſu Pontii Abbatis ſcribere aggreſſus eſt anno 1156, & hanc ſub ipſo Guillelmo abſoluit anno 1167, quatuor comprehenſam libris, quos habes tom. 3 Spicilegii Lucæ Dacherii.

BERNARDUS Morlanenſis, Monachus Cluniacenſis & Poëta ſæculo XII nobilis, ſcripſit ad Petrum Abbatem ſuum Cluniacenſem Carmine *Libros tres De mundi contemptu*, impreſſos Rintelii ad Viſurgim in Germania anno 1626 in 8°, apud Petrum Lucium Academiæ Rintelienſis Typographum. Primus eos è membranis Gerardi Baumanni Embricenſis Medici, dedit luci Nathan Chytræus Bremæ anno 1597, deinde Eilhardus Lubinus anno 1607. Demum Sternii in 12° anno 1640 Typographi Luneburgenſes. Vide an conveniant cum Opere *De Contemptu mundi Metrico*, quod legitur inter Opera ſancti Anſelmi ultimæ editionis Pariſienſis anno 1675 apud Ludovicum Billaine ſub ſigno Divi Auguſtini & Magni Cæſaris. Nam opus quod apud Anſelmum eſt, nonnulli attribuunt *Anſelmo Cantuarienſi*, alii huic *Bernardo Cluniacenſi*, quod forſitan neutrius eſt.

SERLO de Valle-Badoni juxta Bajocas in

Normannia oriundus, in Cerasienſi Ordinis Benedictini Cœnobio Monachum induit, deinde Savigniaci electus Abbas anno 1148, quod Monaſterium eſt in Diœceſi Abrincenſi. Cœnobium iſtud à B. Vitali ante annos triginta-ſex conditum, & triginta alia quæ ipſi velut Ordinis Capiti obtemperabant, Ordini Ciſtercienſi tradidit & ſancto Bernardo ac Abbatiæ Claræ-Vallis addixit. Scripſit *Sermones* quos edidit Bertrandus Tiſſier anno 1664 tom. 6 pag. 107 collectionis ſeu Bibliothecæ Patrum Ciſtercienſis Ordinis, quos etiam vidi Mss. in Bibliotheca Urſicampi Ordinis Ciſtercienſis in tractu Noviomenſi. Seceſſit tandem Serlo Claram-Vallem Regimine abdicato, poſt ſancti Bernardi obitum, qui permittere noluerat vivens ut officio nuntium remitteret, ubi tandem obiit anno 1158 quinto Idus Septembris: vir (ut ait Chronicon Savigniaci) vitâ & ſermone atque Scripturarum ſcientiâ conſpicuus. Ejuſdem Serlonis *Opuſculum in Orationem Dominicam* Ms. in Bibliotheca Colbertina Cod. 5207 quem legimus ac optimum cenſemus. Plura apud Scriptores omnes Rerum Ciſtercienſis Ordinis, Fratres Sammarthanos in Gallia Chriſtiana tom. 4 in Abbatibus Savigniacenſibus.

ANSELMUS Havelbergenſis in Marchionatu Brandeburgenſi Epiſcopus, clarus doctrinâ & rebus geſtis, eodem tempore floruit, ſcripſitque doctum *Opus contra Græcos*, quod ex Ms. Codice edidit Lucas Dacherius tom. 13 ſui Spicilegii, ubi de Anſelmo Havelbergenſi Epiſcopo in prælimìnaribus agit.

HENRICUS Huntingtonenſis natione Anglus, Archidiaconus & Canonicus Eccleſiæ Lincolnien-

sis, Poëta, Orator, Historicus, à Polydoro Virgilio & Joanne Lelando laudatus. Claruit anno 1153 quo obiit Stephanus Rex Angliæ, & scripsit *Historiam Anglorum lib. X.* ad Alexandrum Lincolniensem Episcopum, ab Anglorum & Saxonum transitu in Britanniam usque ad annum 1153. Extant lib. IX. cum aliis Anglicanarum rerum Scriptoribus Londini in fol. anno 1596 publicatis per Henricum Savillium, & anno 1601 Francofurti in Germania. Porrò ex libris decem Henrici Huntingtonensis, omissus est nonus in collectione veteri, quem quis invenire potest in Ms. Codice optimæ notæ Bibliothecæ Thuaneæ, quam jam Colbertus comparavit suæque adjunxit. Scripsit etiam *De Sanctis Angliæ librum unum*, qui Ms. extat Antuerpiæ in Bibliotheca Societatis Jesu. Item *Opus inscriptum Imago mundi* Ms. Oxonii in Bibliotheca S. Trinitatis Cod. 7, in Magdalenensi Cod. 17, Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii S. Benedicti cod. 367: impressum tom. 8 Spicilegii pag. 178 ex Ms. Cod. Gemmeticensi. Item *Epistolam de Regibus Britonum, & de Provinciis Angliæ Opusculum*, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 251. De illo Aubertus Miræus in Auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 374 pag. 252, Bellarminus & Labbeus ibidem.

AMEDEUS ex Abbate Altæ-Combæ Ordinis Cistercensis, Episcopus Lausannensis ab anno 1144 quo ordinatus est, ad 1159 quo mortuus dicitur die 27 Septembris. Scripsit *Homilias aliquot in laudem B. Mariæ Virginis*, sæpiùs impressas in Gallia, cum Sermonibus sanctorum Leonis, Maximi, Chrysologi, Fulgentii, & aliorum. Hæ

Homiliæ VIII. de laudibus Deiparæ Virginis cum elogio Auctoris præfixo à Gervasio Sopheno Brisacensi Germano, editæ primùm in 8° Basileæ anno 1517 apud Adamum Petri. Plura de eo dabunt, post Scriptores omnes rerum Cistercienſium, Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 384 pag. 255 suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Fratres Sammarthani in Gallia Christiana dum de Episcopis Lausannensibus, Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo XII. parte 1 cap. 6 art. 13 pag. 538.

GUILLELMUS Monachus Ordinis D. Benedicti, factus post Nicolaum mortuum anno 1144 Abbas sancti Nicasii Remensis, tum posteà (ut aliqui volunt) sancti Theodorici prope Remos ejusdem Ordinis, qui post obitum singularis sui amici sancti Bernardi, relictâ Abbatiâ Ordinem Cistercienſem in Cœnobio Signiacensi professus est. Scripsit multa quorum Catalogum ipse contexuit in præfatione *ad librum De Vita Solitaria ad Fratres de Monte Dei:* Nempe, *Speculum fidei*, *Ænigma fidei*, *Meditationum librum* 1, *De contemplando Deo librum* 1, *De natura & dignitate amoris divini lib.* 1, *De natura corporis & animæ lib.* 2, *Disputationem contra Petrum Abaelardum*, *De erroribus Guillelmi de Conchis lib.* 1, *De Sacramento Altaris Tractatum*, *Expositionem in Cantica Canticorum* usque ad verba hæc, *num quem diligit anima mea vidistis? Commentarium in Epistolam ad Romanos.* Quæ omnia continentur tom. 4 Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Cistercienſis anno 1662 in fol. impressæ apud Bonum-fontem. Item scripsit *Librum unum De Vita*

ſancti Bernardi, qui ſæpiſſimè impreſſus cum operibus ejuſdem ſancti Doctoris. Item *Commentarium inſignem in Cantica Canticorum ex verbis D. Ambroſii*, quem ſub nomine Antonii Democharis habes ſub finem tomi v. Operum ſancti Ambroſii. Item *Commentarium in eadem Cantica ex verbis D. Gregorii paulò diffuſiorem quàm Beda fecerit*, quem vidi Ms. in Bibliotheca Signiacenſi, *cum Sententiis fidei ex verbis Divi Auguſtini & aliorum Eccleſiæ Patrum*, ibidem in eodem Ms. Codice. Horum duorum operum quæ ſunt apud me parata editioni, mentionem facit idem Guillelmus in præfatione libri *De Vita Solitaria*, ubi ſuos recenſet Tractatus hùcuſque compoſitos.

Denique in ultima editione Operum Divi Bernardi quam procuravit Johannes Mabillon apud Fredericum Leonard Pariſienſem Bibliopolam anno 1667. 2 tomis in folio, idem Joannes edidit ſub nomine ſancti Bernardi *Commentarium in duo priora capita Cantici Canticorum*, quem meo quidem judicio, cenſeo eſſe reddendum & attribuendum Guillelmo ſancti Theodorici Abbati. Nam primò Guillelmus ipſe in Vita ſanctiſſimi Abbatis cap. 12 ſic loquitur de hoc Commentario (itaque tunc « diſſeruit mihi de Cantico Canticorum, quantùm « tempus illud infirmitatis meæ permiſit, morali- « ter tantùm, intermiſſis Myſteriis Scripturæ illius, « quia ſic volebam, & ſic petieram ab eo. Singu- « liſque diebus quæcunque ſuper hoc audiebam, ne « mihi effugerent, ſcripto alligabam, in quantum « mihi Deus donabat & memoria juvabat.) Eſſet « igitur Commentarius inſcribendus *Guillelmi à ſancto Theodorico excipientis ab ore ſancti Bernardi.* 2°. Inventus eſt à Domno Carolo de Vviſch

in veteri Codice Ms. Bibliothecæ Dunensis, ubi habebantur alii duo Tractatus indubii ejusdem Guillelmi, unus *De contemplando Deo* alter *De natura & dignitate amoris divini*: ambo tamen sub nomine Divi Benedicti, etsi perperam: unde idem de hoc tertio opere affirmandum est. 3°. Quamvis Guillelmus ex ore Divi Bernardi scripserit hunc commentarium, attamen cum sæpe fallat memoria, & plura scribantur per otium, quàm quæ furtim ab ore excipiuntur: inde magis tribuendus est Guillelmo quam Bernardo, ex communi hominum sensu. Agunt de Guillelmo Abbate sancti Theodorici Henricus Gandavensis in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 10, Aubertus Miræus in Scholio ad dictum caput, Carolus de Vvisch in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis, Bertrandus Tissier in Præludiis suis ad tomum quartum Collectanei Scriptorum veterum ejusdem Ordinis de quo supra, Guillelmus Marlot Prior sancti Nicasii in Historia Remensi.

ODO DE DIOGILO vulgariter de Deüil, ex primo Abbate sancti Cornelii Compendiensis, ad quem scribit Beatus Bernardus Epistolâ 285, factus est Abbas sancti Dionysii in Francia anno 1153 post mortem viri clarissimi Sugerii. Huic Ludovicus concessit castrum novum in terra Martyris Dionysii ante sanctum Clarum in Vulcassino, Diplomate anni 1153. Vir doctus scripsit nobile Opus *De profectione Ludovici septimi Regis Francorum in Orientem*, quod edidit ex Ms. Codice Petrus Franciscus Chiffletius Soc. Jesu, Divione in 4°, apud Viduam Philiberti Chavance anno 1660, in opere suo inscripto *Sancti Bernar-*

di Clarevallensis Abbatis genus illustre assertum : ubi etiam leguntur *Joannis Eremitæ de Vita sancti Bernardi lib. 2 pag.* 97, scripti anno 1180 ut in præfatione probatur : Item *Lib. 3 De Miraculis Divi Bernardi*, scripti anno 1178 ab Herberto Abbate primùm de Moris, tum postea Amanuensi seu Capellano Henrici Clarevallensis Abbatis, Turrium denique apud Sardiniam Archiepiscopo, qui ibidem pag. 161. Vixit Odo usque ad annum circiter 1168, de quo Sammarthani in Gallia Christiana tom. 4, in Abbatibus sancti Dionysii Parisiensis Archiepiscopii.

PHILIPPUS cognomento de Harveng, Abbas Bonæ-Spei in Hannonia Ord. Præmonstratensis floruit anno 1160 & sequentibus, qui anteà multa habuerat cum S. Bernardo Claræ vallis Abbate intricata, de quibus conqueritur acriter Philippus in suis Epistolis. Scripsit autem multa, quæ ex Mss. ejusdem Ecclesiæ quæ vidimus, evulgavit Nicolaus Chamart Abbas ejusdem Cœnobii, Duaci in folio anno 1621 apud Balthasarem Bellerum. Sunt autem *Eloquentes Epistolæ XXI.* pag. 1 & sequentibus, quarum *decima* objurgat acriter sanctum Bernardum, multis sese immiscentem ad se non pertinentibus, 1160.

Commentarius Mysticus in Cantica Canticorum pag. 101.

Moralitates in eadem Cantica pag. 286.

De Somnio Nabucchodonosoris pag. 340.

Tractatus De Salute primi Hominis pag. 344.

Tractatus De Damnatione Salomonis pag. 361.

Tractatus sex De Institutione Clericorum, nempe 1 *De Clericorum dignitate*, 2. *De Scientia*, 3. *De Justitia*, 4. *De Continentia*, 5. *De Obe-*

dientia, 6. *De Silentio.* Attendere deberent ad sextum hunc Tractatum noſtri Ordinis Clerici & omnes alii, qui ſilentium nupertimè abjecerunt olim ubique religioſè obſervatum, quaſi illud ſit praxis quædam Monachiſmi. Hæc ubi pleni vanitatis venditant, & capitis ſui levitatem produnt, & inſtituti ſui ignorantiam. Gloriantur plerique hodiernæ corruptionis homines de nomine *Canonici Regularis*, illud affectant ac ſæpiſſimè uſurpant, in quàmque familiaris ſui colloquii periodum importuni obtrudunt: at rem nomine ſignificatam ſpernunt, exſufflant, derident, digniores nomine *Canonicorum Irregularium.* Longè à me petulcum ejuſmodi hominum genus.

Item *Vita ſancti Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi* pag. 691.

Vita Sancti Amandi Abbatis pag. 707.

Paſſio Sanctorum Cyrici & Julittæ pag. 745.

Paſſio Sancti Salvii Martyris pag. 752.

Vita Sancti Foillani pag. 759.

Vita Sancti Giſlani Confeſſoris & Abbatis pag. 767.

Vita Sancti Landelini Abbatis pag. 773.

Vita Sanctæ Odæ Virginis pag. 779.

Vita Sanctæ Vvaldetrudis Virginis pag. 788.

Paſſio Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris carmine Elegiaco pag. 796.

Varia Carmina, Epitaphia & Logogryphi pag. 798.

Vixit Abbas Philippus uſque ad annum 1180 & ultrà.

PETRUS Pictavienſis Poëta & Monachus Cluniacenſis, ſcripſit *nobile Poëma ad laudem Abbatis ſui Petri Cluniacenſis*, cujus tempore circa

annum 1160 claruit, quodque cum dicti Abbatis operibus imprimi consuevit.

ARNALDUS sive ERNALDUS & ARNOLDUS Abbas Bonæ-Vallis Ordinis Divi Benedicti, Carnotensis Episcopatus, floruit hoc tempore, qui multa ornatè scripsit, quæ simul collecta sibique à Bertrando Tissier Priore Bonifontis Ord. Cistercienſis in Thierascia missa, habebat editioni proxima Joannes Mabillon. Sunt autem *Tractatus De Cardinalibus Christi operibus*, hucusque sub nomine & inter Opera sancti Cypriani impressus. *In Hexameron* seu *De Paradiso* ut cum Membranis loquar, Ms. cum Prologo nondum impresso in Bibliotheca Fulcardi Montis Ordinis Cistercienſis, quæ jam in Colbertinam transiit. *De laudibus B. Mariæ Virginis*, *De 7 verbis Domini in Cruce*, impressi sæpius in Bibliotheca Veterum Patrum; item *Meditationum lib.* 1 apud eumdem Mabillon ex Ms. Cod. transcriptus: sed quæ tandem omnia cum Mss. Codicibus Collata sub nomine legitimi Parentis impressa sunt in Anglia Oxonii in folio cum operibus sancti Cypriani Martyris, de quibus suprà *in Cypriano* abundè diximus. Restant adhuc sub ejusdem nomine Mss. Tractatus duo nondum impressi in manibus D. Joannis Mabillon, nempe *Commentariolus in Psalmum* 44, Ms. cum multis præcedentibus in Bibliotheca Longipontis Ordinis Cistercienſis. Item *Opusculum De septem donis Spiritus Sancti*, incipiens ab his verbis: *Nemo cum hæc capitula viderit, expectet Tractantem de Sapientia Dei, &c.* eductum ut audio, ex Ms. Cistercienſi.

JOANNES TZETZES, Isaaci Tzetzæ ejus

qui in Lycophronem scripsit, frater, circa annum 1160 viguit, & scripsit *Variam Historiam versibus Politicis:* non autem iambicis, quod Conradus Gesnerus putavit. Politicos porrò versus apud Græcos sic dictos opinor, quasi civiles ac populares rythmos, qui quindecim syllabis singuli constant: sic tamen ut cujusque versus pars prior integra dictione octavam syllabam absolvat, more iambici dimetri. Hoc versuum genere & *Michael Psellus* Cantica Canticorum explanavit, & *Constantinus Manasses* suos Annales Byzantinos, & alii alia scripserunt. Porro Joannis Tzetzæ variarum Historiarum liber versibus Politicis Græcis cum Latinâ interpretatione Pauli Lacizii & Præfatione Nicolai Gerbelii, in fol. Basileæ anno 1546. Item Joannis Tzetzæ *Allegoriæ Mythologicæ*, *Physicæ*, *Morales*, Carminibus Græcè & Latinè à Frederico Morello Parisiis anno 1616 in 8°. Scripsit pariter *Commentaria in Hesiodum*, cujus Hesiodi Opera Græco-Latina cum Scholiis Græcis Procli, Moschopuli, Tzetzæ, Joannis Diaconi, &c. edita à Daniele Heinsio cum ejusdem versione & notis in 4° anno 1603 apud Raphelengium Amstelodami. De Joanne isto Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 348 pag. 244.

JOANNES CIRITTA Hispanus, Abbas Tharoucanus Ordinis Cistercienſis anno 1162 *Regulam Militibus Ordinis Avisii* apud Lusitanos clari, scripsit: exemplo nimirum sancti Bernardi Clarævallensis, qui Regulam Templariorum militum, sive pauperum Commilitonum Christi Templique Hierosolymitani anno 1128 conscripsit, hortatu Balduini Regis Hierosolymitani & Patrum

trum Concilii Trecensis. Item *Alfonsus I. Lusitanorum Rex* anno 1166 *Constitutiones Militum sancti Michaelis sive de Ala*, publicavit. Item *Guido Abbas Cisterciensis*, posteà S. R. E. Cardinalis, anno 1187 *Constitutiones Militum Calatravæ* foras dedit. Denique Alvarus de Luria & Mendoza, miles Calatravensis, *Constitutiones Militum Montesiæ*, jubente Jacobo II. Aragoniæ & Valentiæ Rege, in scriptum redegit: quæ omnia habentur in Privilegiis Ordinis Cisterciensis anno 1630 Antuerpiæ à Balthazare Moreto excusis.

HUGO Patria Ambianensis, ex Abbate Radinghensi in Anglia, factus anno 1130 Rothomagensis Archiepiscopus, usque ad annum 1164 quo obiit die 10 Decembris. Scripsit *Opus de officiis & Ministris Ecclesiæ* ex Ms. Codice evulgatum post Opera Guiberti de Novigento, curâ & studio Lucæ Dacherii. Vide suprà Guibertum Abbatem ad annum 1124., ubi plura præmittit Lucas Dacherius ante editionem hujus operis, quæ Hugonem commendant & illustrem effantur. Item multa Sammarthani Fratres tom. 1 Christianæ suæ Galliæ in Archiepiscopis Rothomagensibus pag. 578.

RODULFUS cognomento *Tortarius* scripsit circa hoc tempus librum insignem *De Miraculis sancti Benedicti* quem evulgavit D. Joannes Mabillon sæculo 4. Benedictino tom. 2 pag. 390 & sequentibus, post alios duos libros Miraculorum ejusdem sancti Patris *ab Aimoino Floriacensi Monacho* sæculo XI. pag. 356, & libros tres *Desiderii Abbatis Cassinensis* qui Victor Papa tertius dictus est, ibidem impressos pag. 425 & seqq.

ALDEBERTUS Abbas Heidenheimenſis Ord. Divi Benedicti, floruit anno 1164, ſcripſitque *Relationem Hiſtoricam de reſtitutione ſui Monaſterii Benedictinis factâ* ſub Eugenio Papâ tertio, quam cum Commentario Philippi Eiſtetenſis Epiſcopi *De Epiſcopis Eiſtetenſibus* ab anno 1306 ad 1322, edidit Jacobus Gretzerus Soc. Jeſu Ingolſtadii in 4° anno 1617 apud Eliſabetham Angermariam. Opus Jacobi Gretzeri inſcriptum, *Commentarius de ſanctis Eiſtetenſis Eccleſiæ tutelaribus, S. Richardo, S. Vvillibardo, S. Vvunibaldo, S. Vvalpurga, &c.*

ELISABETHA Virgo & Abbatiſſa Schonaugienſis Ordinis Divi Benedicti in Diœceſi Trevirenſi, ſcripſit *Viſionum ſeu Revelationum libros 3 & Epiſtolarum librum unum*, qui Coloniæ typis ſunt editi anno 1628: unà cum libro Eckberti Abbatis Schonaugienſis, quem ſcripſit *De tranſitu ſeu obitu S. Eliſabethæ ſororis ſuæ germanæ.* Obiit ipſa anno Chriſti 1165 ætatis 36 die 18 Junii. Notet autem lector, tria olim Monaſteria apud Germanos Schonaugiæ nomine clara extitiſſe. Primum fuit Monachorum Ordinis ſancti Benedicti, in Silva Hercinia ſub ditione Comitum Naſſaviorum, in finibus Diœceſis Treverenſis ſitum, quod alio nomine *ſancti Florini Monaſterium* nuncupatur, atque etiamnùm floret. Hujus loci Abbas ſecundus fuit *Eckbertus* S. Elizabethæ jam laudatæ frater, anteà Canonicus Bonnenſis. Secunda Schonaugia Monialium Benedictinarum, dicto ſancti Florini Cœnobio olim vicina, quæ circa annum 1590 vel 1600 deſiit, fundo ac poſſeſſionibus in uſum Monachorum ſancti Florini tranſlatis, cujus Schonaugiæ ſecundæ

Abbatissa fuit sancta Elisabetha, hæc ipsa soror Abbatis Eckberti. Tertia verò Schonaugia, quæ est Monachorum Ordinis Cistercienſis, in Diœcesi Vvormacienſi, altero lapide ab Heidelberga, Rhenani Palatinatûs urbe primariâ, loco amœno visitur: in quo *Hildegundis Virgo* virili veste sexum mentita, assumptoque Josephi nomine, usque ad obitum vixit. Hæc visum fuit monere, desumpta ex Auberto Miræo in auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 379 pag. 254 Bibliothecæ Ecclesiasticæ; ne quis in errorem trahatur à Chrysostomo Henriquez, aut aliis hæc tria Monasteria confundentibus.

GILBERTUS Abbas de Oilandia Ordinis Cistercienſis in Anglia, floruit circa annum 1165; continuavitque *Commentarium Divi Bernardi in Cantica*, opus impressum cum aliquibus ejusdem dissertationibus, in editione Operum Divi Bernardi Parisiis anno 1667 apud Fredericum Leonard viâ Jacobæâ sub Scuto Veneto; curis Joannis Mabillon, post Joannem Merlonem Horstium. De Gilberto Henricus Gandavenſis libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 12 his verbis: *Gillebertus Abbas Ord. Cistercienſis, imitatus B. Bernardum in quantum potuit, Sermones composuit in quibusdam capitulis Cantici Canticorum, ab isto scilicet loco*: In lectulo meo per noctes; *&c. Subtiles quidem & valde spirituales; sed reverâ B. Bernardi eloquentiæ & sensibus impares.* Hæc Gandavenſis. Idem Gilbertus scripsit *Varias Epistolas ac Dissertationes in forma Epistolarum*; quas habes ibidem impressas.

NICOLAUS Arremarenſis primum Monachus Ordinis D. Benedicti, tum posteà ex motu rigi-

dioris vitæ Monachus Claræ-Vallis, & sancti Bernardi Notarius seu ab Epistolis. Claruit scientiâ & scripsit *Librum Epistolarum* quem habet Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Coloniensis anni 1618 & Lugdunensis anni 1677. Item *Librum Sermonum dicatum Henrico Campaniæ Comiti*, quem habet Bibliotheca Scriptorum veterum Ordinis Cistercienſis tom. 3 pag. 193 & seqq. tandem ob pessimam versationem in officio suo, in Italiam profugus & sancti Abbatis hostis, vixisse creditur usque ad annum 1171 & adhuc ulteriùs; nec enim de anno vel genere mortis illius constat.

HUGO Cluniacensis Monachus claruit circa annum 1160, & scripsit *Epistolam* multa de virtutibus sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis continentem; Itemque postea instantibus Cluniacensibus suis Fratribus, *Vitam integram hujus sanctissimi Abbatis*, quam habes cum Epistola citata in opere inscripto *Bibliotheca Cluniacensis*, itemque in ultima editione Laurentii Surii ad diem 29 Aprilis.

ADAMUS sancti Victoris Parisiensis, Ordinis Divi Augustini Canonicus, floruit anno circiter 1168 & seqq. scripsit *Dialogum de Institutione Novitiorum*, & alia, quæ Mss. extant in Bibliotheca sancti Victoris, nec enim scio an aliquid Adami Victorini impressum sit, quem aliquando allegat Joannes Picardus hujus Cœnobii Canonicus, in suis notis ad Epistolas sancti Anselmi & sancti Bernardi, quas consule.

ÆLREDUS, ELREDUS, ATHELREDUS vel EDILREDUS Anglus, Monachus Cistercienſis Ordinis & Abbas Regiæ-Vallis in Archiepisco-

patu Eboracensi, floruit anno 1164 & sequentibus temporibus, clarus multis scriptis, quæ ex Mss. Codd. evulgavit Richardus Gibbonus Presbyter Societatis Jesu, ac post ipsum in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cistercienſis Bertrandus Tissier Nostras, tom. 5 pag. 16 & seqq. Sunt autem hæc *Sermones de tempore & de Sanctis*, *in Isaiam Prophetam Sermones XXXI*, *Speculum charitatis lib. 3 cum Compendio ejusdem Speculi*, *De Spirituali Amicitiâ lib. 3*, *Tractatus De Puero Jesu duodenni*. Item *Regula ad incluſas*, impressa olim inter Opera sancti Augustini, quam habet Lucas Holstenius sub nomine Ælredi auctoris proprii in Collectione Regularum parte 3 pag. 109. Idem Edilredus seu Alredus scripsit etiam alia opuscula Historica, quæ habentur in nova Collectione Historicorum Angliæ impressa 2 tomis in fol. Londini anno 1652, curis & studio Joannis Seldeni. Sunt autem Historica Ethelredi seu Ailredi *Descriptio belli Standardii* pag. 337, item *Genealogia Regum Anglorum* pag. 347, *Vita sancti Edvvardi Regis & Confessoris* pag. 369, *Historia de Sanctimoniali de Vvatthun* pag. 415. Obiit cum odore Sanctitatis anno 1166 die 12 Januarii, cujus Vita apud Bollandum.

LAURENTIUS Leodiensis ad sanctum Laurentium Ordinis D. Benedicti Monachus, deinde missus Virdunum ad restaurandas Litteras in Cœnobio sancti Vitoni ejusdem Regulæ, floruit anno 1160 & ultrà, scripsitque tempore Alberonis ejusdem Virduni Episcopi, *Opusculum de Virdunensibus Episcopis* usque ad annum 1148, quo forsitan jam anno scribebat. Opus impressum cum Berthario & anonymo de Episcopis Virdunensi-

bus tom. 12 (ut opinor) Spicilegii Dacheriani. Vixisse dicitur usque ad annum 1179 vel sequentem.

1170. GAUFRIDUS Monachus Ordinis Cisterciensis, Patriâ Antissiodorensis, Petri Abaelardi quondam Discipulus, quo relicto ad Magisterium Divi Bernardi, adhuc juvenis se contulit. Inde claréscentibus Disciplinæ doctrinæque meritis, factus est successivè Abbas Igniaci in tractu Remensi, Altæ-Cumbæ in Sabaudia, & Claræ-Vallis quartus, unde tamen, quam ob causam nescio, cedere ac destitui coactus est. Factus sub finem vitæ Divi Bernardi, fugiente Nicolao, Notarius D. Bernardi, absque dubio ob doctrinam ac scribendi nitorem. Scripsit *nobilem & prolixum Commentarium in Cantica Canticorum sex libris, & in Apocalypsim XIX. magnis Sermonibus*, quos vidi Mss. in fol. in Bibliotheca Fulcardi-Montis Ordinis Cistercienſis Rothomagensis Diœcesis, qui cum aliis ejusdem Mss. Codd. transierunt jam in Bibliothecam Colbertinam. Item scripsit per Otium variis temporibus *magnum opus Sermonum* duobus tomis in fol. Ms. in Bibliotheca Claræ-Vallis, quod à me visum est *in manibus Bertrandi Tissier apud Bonum Fontem*, dum parabat se editioni speciali operum dicti Gaufridi, sed interrupit mors propositum boni senis. Item *Librum De contemptu mundi*, in illud: *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* olim sub nomine D. Bernardi inter opera ejus impressum, sed in editione Joannis Mabillon suo auctori legitimo restitutum. Item *libros* 3 *De Vita sancti Bernardi*, impressos sæpè cum Operibus sancti Patris. Item *librum* 1 *De Miraculis ejusdem Abbatis*, qui legitur tom.

1 pag. 255 Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Cisterciensis, cum *Epistolâ ejusdem Auctoris* ad finem libri. Item *Vitam sancti Petri Tarentasiensis Archiepiscopi*, quam Lucius tertius Summus Pontifex scribendam ei injunxit circa annum 1182 & quam habes apud Surium & Bollandistas ad diem 8 Maii. Item *Epistolam de Concilio Remensi anni* 1148, quam Baronius suis inseruit Annalibus. Item *librum contra Petrum Abaelardum*, quem vidi Ms. & editioni paratum in manibus Bertrandi Tissier Bonifontis in Thierascia Prioris, cum altero ejusdem Gaufridi opusculo *De vestibus Sacris seu Sacerdotalibus*. Vixit valdè senex usque ad annum 1200 & ultrà, ut constat ex certis ejus Sermonibus, in quibus arguit errores Abbatis Joachimi. Plura de illo Scriptores rerum Cisterciensium. Collegerat atque editioni parabat omnia, quæ plurima sunt hujus Gaufridi opera, Bertrandus Tissier Prior Bonifontis; quæ tandem interveniente laborioso senis morte, neglecta illic tenuimus, gratâque solis muribus has cartas comedentibus, maximo horum Monachorum opprobrio. Auctor enim iste eloquentissimus est, atque alter *Guerricus* sæculi duodecimi.

HELMOLDUS Butsonienſis prope Lubecam Canonicus, clarus extitit circa annum 1170, cum scripserit *Chronicon Sclavorum* usque ad annum 1168, quod posteà continuavit usque ad annum Christi 1212 Arnoldus Hildeshemii Præpositus & Abbas Lubecensis. Impressum est cum notis Reinerii Reineccii anno 1573 Francofurti, curâ & studio Sigismundi Schœbelii. Item prodiit illud cum observationibus Henrici Bangerti Lubecensis Gymnasii Rectoris, in 4°.

Lubecæ anno 1659 sumptibus Statii Vvesselii.

JOANNES Sarisberiensis, socius & comes individuus sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris, in suis peregrinationibus atque exiliis, anno etiam 1170 florebat & sequentibus, de cujus tantùm editis Epistolis agunt Bellarminus & Labbeus. His addo scripsisse eum *Opus Metalogicum* seu *Tractatum De Logica, Philosophia, &c.* impressum Parisiis anno 1610 in 8°, & Lugduni Batavorum anno 1639 in 8°. Item insigne opus inscriptum *Polycraticum seu De nugis Curialium* cum *Enthetico Metrico* ad frontem operis, impressum Parisiis anno 1513 in 4°, & Lugduni Batavorum anno 1595 & 1639 in 8°. Item *Commentationes in Epistolas sancti Pauli Apostoli*, impressas Amstelodami anno 1646 in 4°. Item *Epistolas plurimas ab anno* 1154 *ad* 1180, Parisiis impressas anno 1611 in 4°. Item *septem ejusdem Epistolas Historicas* edidit Andræas Ducheснius tom. 4 pag. 465 Collectanei sui Scriptorum Historiæ Francicæ veterum, quod impressum Parisiis in fol. anno 1641 & seqq. Aliæ etiam plures leguntur sub ejus nomine *in Collectione Epistolarum sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, impressâ Bruxellis anno 1682 tomis duobus in 4° apud Henricum Frick, operâ Christiani Lupi Augustiniani Eremitæ. Item scripsit *Vitam atque Passionem sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris*, sed brevissimè nec ex variis auctoribus permodum Dialogi vel Quadrilogi, quam vidi Ms. in fol. in Bibliotheca Regalis-montis Ordinis Cistercienſis, cujus Prologus incipit: *Sacrosanctam Ecclesiam jugiter impugnat hostis antiquus, &c.* Vita autem, *Prædictus igitur Beatissimus Thomas*

Londonienſis Indigena, &c. eſt quidem impreſſus nuperimè Bruxellis cum Epiſtolis ſancti Thomæ anno 1682 Quadrilogus de vita & morte S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris ab eodem Chriſtiano Lupo, qui ex 4 auctoribus deſumptus eſt. Sed non ſpectat ad Joannem Sariſberienſem, cujus opus non eſt prolixum, ut videre eſt in eodem Ms. Regalis-Montis & Vaticano, ubi teſtante eodem Lupo legitur: qui ab ejus editione ſibi pepercit, quod non debuit facere ob antiquitatem ac modicitatem operis. Magnus autem Quadrilogus quem edidit Lupus, jam Pariſiis anno 1495 in 4° impreſſus fuit, inſcriptus: *Vita & Paſſio ſancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, & proceſſus ſuper Libertate Eccleſiaſtica per Herbertum de Hoeſam, Joannem Carnotenſem, Vvilhelmum Cantuarienſem, & Alanum Teukeſburienſem, ideoque vulgò Quadrilogus dicitur.* Factus autem Joannes Epiſcopus Carnotenſis anno 1172, occupavit digniſſimè Sedem hanc ad annum 1182 quo mortuus eſt, ſepultus in Abbatia S. Mariæ de Joſaphat, quæ eſt Benedictinorum. De illo Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 369 pag. 251, Fratres Sammarthani tom. 2 *Galliæ Chriſtianæ* in Epiſcopis Carnotenſibus, Bellarminus citatus antea, & alii.

GILBERTUS de Sempringham Anglus, Fundator Ordinis Canonicorum Gilbertinorum in Anglia, qui dudum ſanctitate & regularibus floruerunt obſervantiis, floruit circa hunc annum 1170, immò multo ante ac multò poſt, longam ducens vitam. Scripſit autem *Conſtitutionum ſui Ordinis libros duos*, quos habes in Monaſtico Anglicano tom. 2 ex tribus editis in folio Londini annis

1661 & 1673 apud Aliciam Varren.

S. THOMAS BECKET ex Cancellario Regis Angliæ, nominatus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſcripſit *multas Epiſtolas* ad ſui juſtificationem & ad libertatem Eccleſiaſticam vindicandam, quas *in quinque libros diſtinctas* ex Ms. Codice Vaticano erutas evulgavit Chriſtianus Lupus Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, anno 1682 tomis duobus in 4° Bruxellis apud Henricum Frick, cum libris quatuor aut quinque de Vita ejuſdem ſancti Martyris, qui *Quadrilogus* inſcribuntur, quia ſunt excerpti ex quatuor auctoribus, Collectore Anonymo. Habentur eædem ſancti Thomæ Epiſtolæ lib. v. collectæ Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii ſancti Benedicti cod. xi. Obiit Martyr anno 1170 die 29 Decembris, juſſu regio ab impiis in Eccleſia Cantuarienſi excarnificatus. De illo auctores innumeri ſcripſerunt, quos recenſere ſolùm, eſſet prolixum nimis, nec noſtri inſtituti.

JOANNES Cornubienſis Anglus, ex primis & celeberrimis Theologis ſæculi duodecimi, claruit anno 1170 vel circiter, ſcripſitque *Elogium ad Alexandrum Papam III.* Ms Oxonii in Bibliotheca Balliolana cod. 58. Opuſculum etiam *quomodo fiat Sacramentum Altaris per virtutem ſanctæ Crucis & de 7. Canonibus Miſſæ*, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii ſancti Benedicti cod. 178.

ADAMUS natione Scotus, Canonicus Regularis Ordinis Præmonſtratenſis, florebat anno 1172 & ſequentibus uſque ad annum 1180. Scripſit *Commentarium in Regulam Divi Auguſtini, librum ſeu Tractatum De triplici Tabernaculo, alium de*

triplici genere Contemplationis, *Sermones varios*, quæ omnia impressa in fol. Antuerpiæ anno 1659 apud Petrum Bellerum. Scripserat Adamus, ut testatur in Prologo, *Sermones centum*, quorum *XLVII.* tantùm sunt impressi : cæteri autem ex Ms. Codice eruti, sunt in manibus D. Hermanni à Portâ Abbatis sancti Michaelis Antuerpiensis, *cum Soliloquio ejusdem Adami de Anima*, quæ parata sunt editioni quam promptam optamus, ad auctoris gloriam. Habentur autem Mss. hæc opera apud Celestinos Meduntanos, ut nuperrimè didici ab oculatis testibus, codd. 618 & 619 in 4°.

THOMAS Cistercii Monachus circa annum 1180, scripsit ad Pontium Claromontanum Episcopum, prolixum *Commentarium lib.* 12 *in Cantica Canticorum*, cujus Epistola dedicatoria incipit : *Vehementer obstupesco & ultrà quàm dici potest, admirari non desino*, *&c.* Prologus incipit : *Tria sunt Epithalamia*, *primum Historicum*, *&c.* Liber primus incipit : *Osculetur me osculo oris sui. Hæc est vox Synagogæ*, *&c.* quem vidi Ms. in Bibliothecis multis Abbatiarum Cistercienſis Ordinis, imò & impressum Parisiis anno 1521 typis Jodoci Badii Ascensii, & Lugduni iterum anno 1571 & alibi. Fallitur Carolus de Vvisch, dum tres Thomas facit ex unico, alterum nempe Cistercii Monachum, Alterum Persennæ, ac tertium de Valcellis in tractu Cameracensi, hos omnes hujus Commentarii auctores, cum tamen unius infantis unus duntaxat pater esse possit. Dicitur vixisse usque ad annum 1190, imò usque ad 1200. Multi scripserunt de auctore præfati commentarii, qui fere omnes decepti sunt. *Primùs* Carolus de Vvisch *in Bibliotheca Scriptorum*

Ciſtercienſis Ordinis impreſſa Coloniæ Agrippinæ in 4° anno 1654, apud Joannem Buzæum, & in 4° Duaci anno 1649 apud Joannem Serrurier, ut ſupra diximus, auctorem hujus Commentarii facit tres Thomas variis locis, unum Ciſtercienſem, alterum Perſennenſem ac tertium tandem Valcellenſem juxta Cameracum. *Secundus* Joannes le Page Auctor Bibliothecæ Præmonſtratenſis lib. 1 cap. 17 pag. 307 quæ prodiit in fol. Pariſiis anno 1633 apud Adrianum Taupinard, vel ex ſimplicitate vel ex affectatione aut fide aliena, attribuit hunc Commentarium *Thomæ cuidam Viconienſis Eccleſiæ Ordinis noſtri Præmonſtratenſis Canonico*, ut ſine dubio ditaret Ordinem ſuum Scriptore extraneo. At mallem ego nudus eſſe, quam alienis indui. Cum itaque anno 1680 Viconiæ per quindenam manſiſſem, omneſque hujus Bibliothecæ *olim* inſignis manuſcriptos Codices excuſſiſſem, veniens ad hunc Commentarium; tenui, volvi, legi, invenienſque anonymum ſi ſolùm *Thomæ* nomen ei appictum excipias, agnovi nec illic ullam litterulam, qua alicui Viconienſi Canonico attribueretur. Cum autem in multis jam aliorum Ordinum Bibliothecis hunc Commentarium reperiſſem, ſæpius anonymum, aliquando cum expreſſo nomine *Thomæ Ciſtercienſis & Epiſtolâ præviâ ad Pontium Claromontanum Epiſcopum*, imo & primas tam Epiſtolæ quam præfationis ac primi Libri Symbolas memoriter poſſiderem, ſtatim intellexi eſſe ipſum opus Thomæ Monachi Ciſtercienſis, tam ſæpè à me viſum in Bibliothecis aliis. Itaque vel bonus Joannes le Page opinatus eſt, quidquid anonymum inveniebatur in Manuſcriptis Viconienſibus,

ſpectare ad *Fratres Viconienſes:* vel quis alius eum fefellit, forſitan ex Viconienſibus ſatis in ſui gratiam credulis, quod de Belgis omnibus in Hiſpanica ditione manentibus, expertus ſum. *Tertius* aperto marte collatiſque ſignis, hunc commentarium auctori ſui Ordinis vendicare, imò furari omnimodis cavillationibus conatus eſt. Hic Paulus Reatinus Minorita Obſervantinus qui præmaturo in ſuum Joannem Scotum zelo, ut hunc Franciſcanum quem Doctorem ſubtilem appellant, adhuc clariorem cæteris, ſuiſque cariorem redderet; aggreſſus eſt audaci auſu ſed irrito tandem conatu, evulgare hunc Commentarium Romæ anno 1665 in folio ex Typographia Stephani Caballi, ſub falſo nomine *Joannis Duns Scoti, Doctoris ſubtilis, ſuper Canticum Canticorum Salomonis.* Hoc cum reſciviſſet Joannes Malgorius Bonæ-Cumbæ Monachus & Procurator Generalis Ordinis Ciſtercienſis in Curia Romana, oppoſuit ſe pro parte Ordinis ſui nefariis Conatibus Pauli Reatini, impreſſionémque impediit. Interea nec ab incœpto deſtitit Paulus Reatinus, qui audaciam ſuam juſtum ſibi titulum reputans, traxit in cauſam Ciſtercienſem Malgorium, reum ſimul & inſontem. Intentata lite, rationibus hinc atque inde allatis, Cartis atque probationibus in medium productis, tandem *hoc Commentario in Cantica Canticorum* tonſus eſt Joannes Duns Scotus, confuſus (ſi tamen confuſionis idoneus fuit) Paulus Reatinus Minorita Obſervantinus, convictuſque temeritatis & audaciæ. *Sententia definitiva in forma publica Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici* Prolata anno MDCLV. indictione VIII.

die verò decima quinta Martii, *qua diffinitivè pronuntiavit librum super Cantica Canticorum fuisse, & esse compositum; confectum & editum à R. P. Thoma Cisterciense. Et erroneè ac perperam per R. P. Paulum Reatinum Minoritam, & alios litis consortes, procuratum fuisse & esse imprimi; & publicari sub nomine Joannis Duns Scoti, Doctoris subtilis: cum inhibitione, ne sub nomine Scoti imprimatur; vendatur, & usu recipiatur; sed sub solo nomine Thomæ Cisterciensis.* Sic subsignatum. *Ita pronunciavi ego Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Prædicatorum, Sacri Apostolici Palatii Magister; D. Joannes Garzias Valentinus Notarius.* Vidi unum ex his Romanæ impressionis exemplaribus in Bibliotheca Benedictinorum S. Germani de Pratis Parisiensibus, in folio, ubi à paginâ prima ad 403 & ultimam inscribitur JOANNIS DUNS SCOTI IN CANTICA, &c. juxta editionem citatam Pauli Reatini Minoritæ: sed Frontispicium ac primarius operis titulus, THOMAS CISTERCIENSIS IN CANTICA CANTICORUM. *Opus Concionatoribus utilissimum, ad Eminentissimum & Reverendissimum Principem Jacobum S. R. E. Cardinalem Ninium, Sacri Palatii Apostolici Præfectum; & Sacri Ordinis Cisterciensis Protectorem clementissimum.* Doluit procul dubiò Paulus Reatinus, qui suum Joannem Scotum similem sancto Thomæ Aquinati facere non potuit, per furtivam substitutionem hujus Commentarii in Cantica Canticorum. Atque utinam ausus similes simili censura comprimerentur, nec invenirentur tot Caritativi Anonymorum Scriptorum parentes! Multa hæc, non tamen brevius mihi litem hanc depingere licuit;

De *Thomæ hujus Commentario*, nos iterum paucis posteà ad annum 1230, ubi agemus de *Joannis Abbatis-Villani* Scriptis.

ROMUALDUS Salernitanus Archiepiscopus perduxit Chronicon usque ad annum 1177, quod opinor est nullibi impressum; nam ubique gentium post plurimam inquisitionem, invenire illud non potuimus. Citatur autem sæpiùs à Baronio in suis Annalibus, & aliquando in Summa Conciliorum, de quo vide Vossium lib. 3 de Historicis Latinis cap. 7 pag. 781, ubi vult Ms. in Bibliothecis Vaticanâ & Salernitanâ. Audio etiam Ms. in Bibliotheca Regia Galliarum.

GILBERTUS seu GISLEBERTUS Præpositus Ecclesiæ S. Vvaldetrudis in Urbe Montensi apud Hannonios, & Balduini Magnanimi Flandriæ & Hannoniæ Comitis anno 1170 defuncti Cancellarius, scripsit *Historiam à creatione Mundi ad sua usque tempora*, quæ manuscripta extat in Archivio Nobilium Virginum Canonicarum Montensium. Citat eam frequenter *Jacobus Guisius* in suis Hannoniæ Annalibus, quorum Auctographum Ms. vidit Aubertus Miræus, Montibus in Bibliotheca Franciscanorum.

ROBERTUS PAULULUS Presbyter & Domesticus Episcopi Ambianensis, scripsit circa annum 1178 *Libros tres De Officiis Ecclesiasticis*, quos Mss. in Codice optimæ notæ habet Bibliotheca S. Germani Parisiensis ex Corbeiensi: sed tam separatim impressos, quàm cum operibus Hugonis Victorini, eique ut & alii plures, perperam in editionibus nuperis attributos; nam desunt in veteri. Ad eundem auctorem spectat opusculum inscriptum, *Canon Mystici Libaminis*, quod

habetur etiam inter opera ejusdem Hugonis Victorini. Subscripsit variis instrumentis seu Cartis in tabulario Corbeiensi annis 1174, 1179 & 1184, ut indicat Joannes Mabillon præfatione ad tomum primum sæculi tertii Benedictini pag. 55, unde hæc habuimus.

GUARNERUS Canonicus & Supprior Abbatiæ sancti Victoris Parisiensis, floruit pariter circa hunc annum 1178, scripsitque opus *Gregorianum* inscriptum, seu *Allegoricas explicationes rerum Biblicarum ex libris & verbis Divi Gregorii Papæ*: quod Parisiis editum in 8° anno 1608 curâ & studio Joannis Picardi Canonici sancti Victoris. Plura non suppetunt quæ scribantur de Guarnero, quem tamen pluribus commemorant ex domesticis suis instrumentis, Canonici Regulares sancti Victoris, in Historia Abbatiæ suæ quam scripsit Joannes de Tolosa Canonicus ejusdem loci. Jam nos supra de eo egimus ad annum 1110, verbo *Guillelmus de Campellis*, cui dictum opusculum attribuere videtur Albericus Trium fontium Ord. Cisterciensis Monachus *in Chronico*.

1180. FRIDERICUS primus Imperator, dictus Æneobarbus, eo quod esset Rufus, floruit in Imperio ab anno 1152 ad 1190, de cujus rebus præclarè gestis auctores varii Basileæ impressi in fol. anno 1569. Expeditio ejus Asiatica in qua periit, ab æquævo Scriptore Conscripta atque, ut credimus, à Christiano de Buck Moguntino Archiepiscopo, impressa Ingolstadii in 4° anno 1664 tom. 5 antiquæ Lectionis Henrici Canisii. *Epistolæ ejus plures* apud Melchiorem Goldastum in Collectaneo Constitutionum Imperialium, & alibi in aliis dicti Goldasti Collectaneis operibus. Item aliæ paucæ

paucæ in Spicilegio Lucæ Dacherii & in Miscellaneis Stephani Baluzii, aliisque veterum Scriptorum hujus sæculi Collectionibus.

LABORANS (ita enim proprio nomine dictus) 1180.
S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Mariæ trans Tiberim, anteà verò Diaconus sanctæ Mariæ in Porticu, Philosophus & Theologus insignis, edidit anno Domini 1182 elaboratissimam (ut Baronii Cardinalis verbo utar) *Canonum Collectionem*. Extat item ejus *Opus ad Majorem magnum Siciliæ Ammiratum, de Justitiæ rationibus quadripartitum. Opus ad Hugonem Panormitanum Archiepiscopum, idémque tripartitum. Epistola ad Hugonem*. Fortè eundem, *contra Sabellianos rursùm revivíscentes. Altera ad Vivianum Cardinalem S. Stephani in Cœlio monte de Appellationibus*, quæ non integra sed recisa legitur. Continet has omnes Laborantis lucubrationes Codex membraneus Basilicæ S. Petri in Urbe, ut habet Baronius tom. 12 Annalium ac post eum Antonius Possevinus in Apparatu Sacro verbo *Laborans*.

GILBERTUS FOLIOT Leicestrensis Cœnobii Canonicorum Regularium Abbas fuit, atque Episcopus primùm Herefordensis, postea Londinensis. Scripsit *Expositionem in Cantica Canticorum*, quæ inscripta est ad Robertum Herefordensem Episcopum successorem suum, quam edidit Patricius Junius Londini in 4° anno 1638, cum Compendio Alchuini in eadem Cantica. Vixit in Episcopatu annis XXIII, obiitque anno Virginei partus 1187; infensus sancto Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, dum viveret.

THEODORICUS Monachus incomperti Cœnobii, scripsit circa annum 1180 *Historiam brevem*

de rebus Ecclesiasticis ac Regibus Norvvagiæ, quam obtulit Augustino Nidrosiensi Archiepiscopo, qui circa eundem annum florebat. Hanc Historiolam cum altero Anonymi opusculo *De profectione Danorum in Terram Sanctam* anno 1185 susceptâ, erutam ex Schedis Joannis Kirkmanni Lubecensis, edendam curavit Nepos ejus Gaspar Kirchmannus Amstelodami anno 1684 in 18° apud Jansonium Vvaesbergium.

CHRISTIANUS Abbas circa annum 1180 scripsit *Collectaneum quoddam Sermonum de variis argumentis cum brevibus expositionibus diversorum locorum Sacræ Scripturæ*, quod habetur in fol. Ms. in Bibliotheca Abbatiæ sancti Germani Parisiensis num. 769, alicunde illuc allatum. Anonymus recens attribuit hos Sermones in inscriptione noviſſima huic Ms. Codici appositâ, cuidam Christiano Abbati S. Petri in Valle Carnotensi Ordinis D. Benedicti, sed meo quidem judicio fallitur. Nam in Gallia Christiana Sammarthanorum Fratrum ubi referuntur Abbates sancti Petri in Valle Carnotensi, nullus legitur Christianus nomine, in toto syllabo Abbatum. 2°. Scriptor istorum Sermonum in proëmio affirmat se scribere stilo simplici, nec affectasse Gallicanum dicendi eloquentiæ Cothurnum, quomodo declarat apertè alium se à Gallicis Abbatibus ac regionibus. Unde Joannes Mabillon tom. 3 Analectorum pag. 451 aliam init viam cognoscendi horum Sermonum auctoris Christiani Abbatis, quos opinatur (nec enim positive affirmat) posse attribui Christiano Moguntino Archiepiscopo, qui floruit anno 1180, obiitque juxta Romam anno circiter 1183. hunc enim Christianum in Gallia Christiana

Fratrum Sammarthanorum tom. 1 in Archiepiscopis Moguntinensibus pag. 356 *probè Litteris instructum fuisse, libri* (inquiunt) *ab eo editi testantur. Nam præter Epistolas & Conciones, composuit Tractatum De Vita & Gestis Imp. Friderici Barbarossæ, qui ejus operâ plurimùm usus est in legationibus obeundis: in hoc tamen vituperandus, quod Militaribus studiis nimium deditus esset.* Itaque sic censet, innixus testimonio Fratrum Gemellorum in sua Gallia Christiana. Porrò quod scripserit acta Friderici primi Imperatoris, testatur Vossius lib. 2 De Historicis Latinis cap. 53, paginâ mihi 435, atque acta ista creduntur esse *ipsa expeditio Asiatica Friderici primi*, quam habet Henricus Canisius tom. 5 antiquæ Lectionis: unde colligendum est hunc Christianum Moguntinensem obiisse post annum 1184 vel 1186, ut eam scribere posset. At quantùm ad hos Sermones quorum occasione hic de Christianis duobus agimus, adscribuntur perperam Christiano Moguntinensi Archiepiscopo. Quamvis enim inter Archiepiscopos Moguntiacenses, sint duo Christiani, tempore non multùm distantes, neuter tamen fuit Abbas vel Monachus, sed primus ante Archiepiscopatum Archicancellarius Imperatoris, alter verò Præpositus ipsius Ecclesiæ Moguntinensis: unde cùm Scriptor istorum Sermonum Abbas appelletur & ita in Ms. Codice quem tenui, inscribatur; nequaquam convenit cum Christianis Moguntinensibus Archiepiscopis, qui nunquam Abbates vel Monachi fuerunt. Commodiùs itaque attribuentur uni è duobus Christianis Clarevallensibus primùm Monachis, qui olim Divi Bernardi Discipuli, assumpti tandem sunt ad In-

fulas Abbatiales & Episcopales in Hybernia, de quibus mentionem facit Arnoldus lib. 2 De Vita S. Bernardi cap. 8 dum de Viris illustribus è Clara-Valle ad Infulas Episcopales aut purpuram Cardinalitiam assumptis. Favet huic sententiæ nostræ, quod *plurima ex his Sermonibus vel brevibus Expositionibus in diversos Scripturæ locos*, desumpta sint ex Operibus & Commentariis S. Bernardi: quod promptum fuit his Christianis ejus olim Discipulis, nunquam autem vel rarò usitatum Abbatibus Ordinis Divi Benedicti, vel aliorum Ordinum. Hæc dicta absque præjudicio certiorum, contra opinationes nostras. Claruerunt uterque Christianus, Scriptores de quibus suprà, anno 1180 & ulteriùs.

JOANNES CINNAMUS Historicus Græcus, qui se Grammaticum Regium appellat, floruit anno 1180 & scripsit *Historiam* quâ compendio Joannis Commeni, diffusè verò Emanuelis Commeni filii res gestas depingit: impressam Græcè & Latinè Ultrajecti in 4° anno 1652 cum Notis Cornelii Tollii, itémque Parisiis in fol. anno 1671 ex Typographio Regio cum Commentariis & Notis Petri Possini.

JOANNES PHOCAS Historicus Græcus eodem tempore vivens, scripsit *parvulam Historiam*, quam suis in Simmictis evulgavit Leo Allatius. Editum autem Opus Simmictorum duobus libris in 8° Coloniæ Agrippinæ anno 1653 apud Judocum Calcovium. Claruit circa annum 1180.

HILDEGARDIS Abbatissa Ordinis Divi Benedicti, in Monte sancti Ruperti ad Naham fluvium prope Bingam, claruit multis, ut volunt, revelationibus, quæ apud Devotos multùm esti-

mantur; sed apud graves & doctos viros sunt modici admodum ponderis, idem omninò sentientes de cœteris omnibus Visionibus. Multa scripsit quæ ex Mss. Codicibus eruta evulgata sunt anno 1566 Coloniæ, indéque translata in Bibliothecam sanctorum Patrum editionis Colonienſis anno 1618, & editionis ultimæ Lugdunensis apud Anissonium anno 1677 tomo XXIII, non omnia tamen. Sunt autem sub nomine sanctæ Hildegardis *Physicorum seu de rerum Natura lib. IV.* impressi Argentinæ anno 1533. *Libri tres Revelationum quos Scivias* appellavit, impressi in fol. Parisiis anno 1513 apud Henricum Stephanum, & Mss. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 188. Vita *sancti Roberti Confessoris Bingiorum Ducis, Epistolæ variæ, XXXVIII. Quæstiones & Expositio Regulæ sancti Benedicti* quas cum Vitâ sanctæ Hildegardis 3 libris, habet Bibliotheca SS. Patrum editionis Colonienſis 1618 sæculo 12 pag. 612; ejusdem *Prophetiæ* Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti codd. 71 & 216. Obiit anno 1180 die 17 Septembris.

BALDUINUS seu BALDEVVINUS Fordæ in Anglia quondam Abbas Ordinis Cistercienſis, claruit anno 1180, factus ab anno 1171 Cantuarienſis Archiepiscopus in locum sancti Thomæ Martyris. Scripsit *multa*, quæ tandem ex Mss. Codd. eruta, immissa sunt in tomum v. Bibliothecæ veterum Scriptorum Ordinis Cistercienſis pag. 1 & sequentibus, quem anno 1662 edidit Bertrandus Tissier Prior Bonifontis. Balduinus hic cognominabatur *Devonius*, cujus sub nomine Cantuarienſis Archiepiscopi *Sermones* Mss. inveniuntur cod. 634 Bibliothecæ Colbertinæ cla-

rissimæ. Sunt autem Opera impressa *Tractatus XVI. de diversis argumentis* quæ incipiunt : *Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis pro sua dignitate, &c.* pag. 1. lib. 1 *De Commendatione fidei, omnia fœdera societatis humanæ, &c.* pag. 74. liber 1 *De Sacramento Altaris* dedicatus per Epistolam Bartholomæo Oxonienſi Episcopo qui incipit, *Amantissimo Domino & Patri B. &c.* paginâ 103 & seqq. Plura absque dubio tibi subministrabit Carolus de Vvisch in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cistercienſis in 4°, impressa Coloniæ Agrippinæ anno 1656 apud Joannem Bussæum. Advertat autem Lector in Ms. Codice Colbertino de quo supra, inveniri tres adhuc Homilias hujus Balduini, quæ non sunt impressæ. *Prima* exhortatio ad Sacerdotes quæ incipit : *Vos, ò Sacerdotes Domini, attendite à voluptatibus carnis, &c. Secunda* De obedientia & inobedientia ad textum : *Melior est obedientia quam victima, &c.* quæ incipit, *Quantum sit obedientiæ bonum, & quantum è diverso inobedientiæ malum &c. Tertia* De sancta Cruce : *Convenite populi nationum ad stupendum divinæ virtutis spectaculum.* Hoc annotasse juvat, propter Collectores Scriptorum veterum. Tractatus Balduini Devonii nobiliores ex sexdecim impressis sunt,

3. *De dilectione Dei :* Movere nos potest, &c. pag. 7.

4. *De duplici Resurrectione, quæ per obedientiæ perseverantiam obtinetur*, 12.

5. *De Requie quam sibi & nobis Christus quæsivit & paravit*, 17.

6. *De Efficacia Divini eloquii*, 22.

7. *De Salutatione Angelica*, 28.

8. *De vulnere Charitatis, quod sponsa infligit sponso*, 33.

9. *De Beatutidinibus Evangelicis*, 36.

11. *De Crucifixione veteris hominis*, 51.

15. *De Vita Cœnobitica seu Communi*, 62.

16. *De Pulchritudine Nazaræorum*, 70: cœteris minus præcipuis.

PHILIPPUS ex Priore Claræ-Vallis, Abbas de Eleemosyna Ordinis Cistercienſis, claruit etiam per id temporis, ſcribens *varias Epiſtolas*, quas habet dictus Bertrandus Tiſſier tom. 3 Bibliothecæ veterum Scriptorum Ordinis Cistercienſis, pag. 238.

ALANUS Monachus Claræ-Vallis, inde Abbas Ripatorii, quod Hatto Tricaſſinus Epiſcopus fundaverat anno 1140, demum Epiſcopus Antiſſiodorenſis poſt Hugonem anno 1152, Sarcina quam ob ſolitudinis amorem abjecit anno 1167 conſentiente Alexandro III. Summo Pontifice. Scripſit hic Alanus *Compendio Vitam ſancti Bernardi Claræ-Vallenſis Abbatis*, quam latiùs anteà Guillelmus, Arnaldus & Gaufridus poſteà Abbas Claræ-Vallis quartus digeſſerant; editam præmiſſamque Operibus Divi Bernardi, editionis anni 1667 à Joanne Mabillon. Reverſus ad Claram-Vallem Alanus, ceſſit rebus humanis anno circiter 1184 die 14 Octobris. Plura dabunt Scriptores omnes rerum Ciſtercienſium, & Fratres Sammarthani tom. 2 Galliæ Chriſtianæ in Epiſcopis Antiſſiodorenſibus.

HENRICUS ex ſeptimo Abbate Claræ-Vallis, Albanenſis Epiſcopus Cardinalis: PETRUS octavus Abbas dicti loci, & GUARNERUS ex nono Abbate Epiſcopus Lingonenſis, celebres eodem tempore

scripserunt, quorum Scripta in dicta Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Cistercienſis. Nam Henrici *Tractatus de peregrinante Civitate Dei*, tomo 3 dictæ Bibliothecæ pag. 1, & *Epistolæ* paginâ 252, cum aliis Epistolis quorumdam Monachorum & Abbatum Claræ-Vallis pag. 257 ad 264. *Epistolæ* Petri pag. 264 & seqq. *Sermones* verò Guarnerii noni Abbatis ibidem pag. 75, quæ omnia prælo digniſſima ſunt: de quibus qui plura voluerit, consulat Galliam Christianam Sammarthanorum fratrum, *in Abbatibus Claræ-Vallis & Episcopis Lingonenſibus.*

ISAAC STELLÆ Abbas Ordinis Cistercienſis Diœceſis Pictavienſis, clarus circa annum 1188, scripsit *Sermones*, quos edidit Bertrandus Tissier tom. 6 Bibliothecæ Scriptorum Veterum Ordinis Cistercienſis. Huic etiam attribuitur *Tractatus de Spiritu & Anima*, qui legitur inter Opera ſancti Auguſtini ſuppoſititia, & quem communiter attribuunt omnes Hugoni Victorino, inter cujus Scripta extat tomo ſecundo paginâ 145, ubi eſt ſecundus *De Anima*, etſi hic non procedat ultra caput quinquageſimum ejus Operis qui legitur tomo tertio pag. 394 Operum Divi Auguſtini.

BARTHOLOMÆUS natione Anglus, ex primis Theologiæ Scholaſticæ Alumnis, Academiam inſignem Oxonienſem ſuis curis fecit, unde meritis hominem promoventibus, ad Epiſcopales Oxoniæ Infulas ſublimatus, quas omni virtutum ornamento extulit. Interfuit variis Conciliis ſæculo XII, annis nempe 1164, 1175, 1177, ut videre eſt in tomis Conciliorum ultimæ editionis. Scripſit *Pœnitentiale omnibus Sacerdotibus neceſſarium*, ex

Sanctis Patribus desumptum, multis capitibus compositum, quod Ms. asservatur in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Vixit usque ad annum 1180, & ultra.

ODO DE CHERITONA, seu CERITONA, Anglus pariter atque ejusdem temporis & ingenii, quoad studia Litterarum promovenda in Anglia, floruit circa annum 1184, & scripsit *Summam de Pœnitentia, cum aliis multis ad Decalogum & peccata mortalia pertinentibus*, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 101, & Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi cod. 185. Item *Homilias de tempore*, Mss. in citata Bibliotheca Domus Sancti Petri cod. 102, ubi appellatur *Odo Chirton*, vel *Odo de Cheliton*. Ita in Ecloga Mss. Oxonio-Cantabrigensi lib. 2 pag. 48.

BERNARDUS Abbas Fontis Calidi Ordinis Præmonstratensis, & *Ermengardus* hoc circiter tempore, scripserunt contra Vvaldenses, quorum Opuscula vide in Bibliotheca Sanctorum Patrum.

ROBERTUS DE TORINNEIO Monachus Ordinis Divi Benedicti, & Prior Monasterii Beccensis, Abbas tandem electus est Cœnobii sancti Michaelis in periculo maris, sive de Monte, unde *Robertus de Monte* vulgò appellatus est, quod contigit anno 1154 sexto Kalendas Junii. Scripsit *Accessiones & Appendicem ad Sigeberti Chronicon, gesta Henrici II Anglorum Regis, Tractatum de Immutationibus Monachorum, De Abbatibus & Abbatiis Normannorum, & Ædificatoribus ac Dotatoribus earum : Historiam Monasterii sancti Michaelis in periculo maris.* Ipsum commendant Chronicon Beccense ad annum MCLIV, & Henricus Huntingtonienſis in Epistola ad Varinum,

ubi *Robertum de Torinneio tam divinorum quàm secularium librorum Inquisitorem & Coacervatorem studiosissimum* prædicat. Chronicon suum ab anno 1112, ubi desierat Sigebertus, ad an. 1182 perduxit. Quæ autem Appendix ad Sigebertum inter illustres Germaniæ Historicos edita est, maxima ex parte est alterius Auctoris, nempe ab anno 1110 ad annum 1155. Germanam autem Appendicem ad Chronicon Sigeberti ex Autographo Monasterii sancti Michaelis de Monte, & ejusdem Accessiones ad Sigebertum, & Tractatum de Immutationibus Monachorum, & de Abbatiis Normanniæ edidit vir doctissimus Lucas Dacherius ad calcem Operum Guiberti Abbatis Novigentini, de quibus egimus *in Guiberto* ad annum 1120. *Historiam etiam Monasterii sancti Michaelis de Tumba*, uti appellant Veteres, habet in suo Spicilegio citatus Lucas Dacherius. Plura de Roberto Lucas citatus in præliminaribus ad Opera quæ edidit, Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 351. pag. 245 Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Sammarthani fratres in Gallia Christiana tom. 4 pag. 642. *in Abbatibus sancti Michaelis*, Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo XII. tom. 1 cap. 6 pag. 549.

GAUFREDUS Monachus sancti Martialis, & Prior Vosiensis Cœnobii in Diœcesi Lemovicensi, scripsit anno 1184 *Chronicon*, quod ex Ms. codice edidit Philippus Labbeus tom. 2 pag. 330 suæ Bibliothecæ librorum manuscriptorum, quam procuravit in fol. Parisiis anno 1657, apud Sebastianum Cramoisy viâ Jacobæâ sub Ciconiis, ubi multa Opera antehac nondum edita fuerant.

GERHOHUS Reicherſpergenſis in Bavaria Abbas florebat anno 1188., qui ſcripſit *Syntagma de Henrico IV & V Imperatoribus, & Gregorio VII Summo Pontifice, variis conſtans Opuſculis* : quod cum refutatione Alogiarum Annæ Commenæ *in Alexiade*, edendum curavit Jacobus Gretzerus Societatis Jeſu, Ingolſtadii in 4° anno 1611 apud Angermariam. Item *Chronicon Monaſterii ſui Reicherſpergenſis*, uſque ad annum 1178, editum Monachii in 4° anno 1611, curâ Chriſtophori Gewoldi. Ejuſdem Gerhohi Reicherſpergenſis *Commentarius in Pſalmum lxiv*, ſive *De corrupto Eccleſiæ ſtatu*, Ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 4841. prælo dignus.

GODEFRIDUS Viterbienſis, Presbyter, Conradi III, Friderici I, & Henrici VI Imperatorum Capellanus ac Notarius, partim proſâ, partim metro, ſcripſit ad Urbanum III Papam, *Chronicon univerſale*, quod *Pantheon* nuncupavit, & in libros ſeu partes viginti partitum perduxit uſque ad annum 1186. Immiſſum habetur in tomo 2 Collectionis Hiſtoricorum Germaniæ, quam procuravit Joannes Piſtorius Niddanus, Francofurti in folio tribus tomis 1582, 1584 & 1607 typis Vechelianis. De illo Baronius in Annalibus, Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 578 pag. 254.

PETRUS primùm Abbas Cellenſis ad muros Urbis Trecenſis anno 1154, poſteà Remis ad Sanctum Remigium, Hugone mortuo anno 1162 electus eſt. Porrò cùm prudenter per annos circiter novemdecim rexiſſet; Joanni Saresberienſi in Epiſcopatu Carnotenſi ſucceſſit anno 1182, quod

commendatione Guillelmi Cardinalis factum est. Scripsit *De Panibus, de Tabernaculo & de Conscientia*, quæ Opuscula ex Bibliotheca Nicolai Fabri Parisiensis primùm prodierunt. Ejusdem *Libros novem Epistolarum* posteà Jacobus Sirmondus Lutetiæ edidit, cum *Alexandri III Papæ Epistolis octo & viginti*. Extant hæc omnia tomo 12 Bibliothecę Veterum Patrum à Colonienſibus anno 1618 editæ. Denique scripsit *Librum de Disciplina Claustrali ad Henricum Campaniæ Comitem, Sermonesque de tempore & de Sanctorum Festivitatibus*, cujus omnia Petri Opera noviſſimè impressa sunt Parisiis anno 1671 apud Ludovicum Billaine in Palatii Aula, studio & curis Anonymi Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri. Huic Petro Abbati de Cella Bernardus Epistolâ 293, Saresberiensis Epist. 75, 77, 81, Nicolaus Clarevallensis Epist. 20, 24, & 28, scribunt, eidemque ut Abbati sancti Remigii idem Saresberiensis Epistolâ 280. & Alexander Papa III passim. Stephanus verò Tornacensis ejusdem ut Episcopi Carnotensis meminit Epistola 136. Obiit Petrus anno 1187 undecimo Kalendas Martias, ex Necrologio B. Mariæ Carnotensis, sepultus in Abbatia Sanctæ Mariæ de Josaphat : de quo Sammarthani in Gallia Christiana tom. 2 in Episcopis Carnotensibus. & tomo 4 in Abbatibus Cellensibus & sancti Remigii Remensis, post Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 370 pag. 252 : & alios.

SILVESTER GIRALDUS Cambrensis, apud Henricum secundum Angliæ Regem qui anno 1172 Hyberniam sibi subjecit, summo in honore fuit : cui Regi, ejusque filio Ricardo *Historiam*

Naturalem ac Topographiam Hyberniæ à se lustratæ dicavit, quam *Topographiam Hyberniæ* seu *de ejus Mirabilibus* habes editam cum Antiquis Anglicanæ Historiæ Scriptoribus à Guillelmo Cambdeno collectis, in fol. Francofurti in Germania anno 1602 typis Vvechelianis. Cujus etiam Epitomen Richardus Stanihurst Hybernus & Auberti Miræi olim in Oratorio Alberti Belgarum Principis Collega, nobilis genere ac doctrina, typis anno 1584 edendam curavit Antuerpiæ, cum suis Commentariis de Rebus Hybernicis. Item Silvester Giraldus scripsit *Historiam Vaticinalem de Expugnatione Hyberniæ*, quam idem qui suprà Guillelmus Cambdenus loco citato edidit, cum Vita Girardi Cambrensis. Opus etiam istud *De Hybernia Expugnatâ* citatur tom. 2 Collectionis Conciliorum Anglicorum Henrici Spelmanni, Londini in fol. anno 1639. Giraldus porrò Menevensis in Cambria seu Vvallia Archidiaconus existens, cum Balduino Cantuariensi Archiepiscopo Cambrenses ad bellum Hierosolymitanum excitante, illam Britanniæ Provinciam peragravit: quod iter à Giraldo posteà descriptum & à se visum Harpsfeldius lib. 12 Historiæ Anglicanæ cap. 47 citat. *Itinerarium istud Cambriæ seu Balduini Cantuariensis Archiepiscopi Legationis per Vvalliam accurata descriptio*, cum Notis Davidis Powveli, ibidem à Cambdeno edita, quæ jam Londini anno 1585 in 8° prodierat. Idem Giraldus *varias Sanctorum Vitas* & alia Litteris consignavit, ac demùm Menevensis Episcopus obiit, de quo Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 363 pag. 250 Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Ecloga Oxonio-Cantabrigiensis

lib. 2 pag. 88, ubi Mss. Codd. Operum Giraldi Cambrenſis recenſentur: quibus enuntiandis abſtinemus, eò quod omnia ſaltem quæ legerimus, impreſſa ſint.

1190. PETRUS COMESTOR ſeu MANDUCATOR, Presbyter & Decanus Trecenſis & Magiſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, obiit in Cœnobio ſancti Victoris Pariſienſis anno 1198, die 21 Octobris, ubi ſepultus eſt cum Epitaphio, de quo abundè Bellarminus & Labbeus. Quibus addò *hujus Petri Sermones numero* CXIV. inveniri Mss. in folio in Bibliotheca Longipontis Ordinis Ciſtercienſis in Epiſcopatu Sueſſionenſi, qui incipiunt ab his verbis: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, &c. Tres legimus cœleſtis verbi auditores, &c.* Sunt etiam Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana codd. 48 & 76. Advertendum autem eſt, Sermones quos edidit Joannes Buſæus Societatis Jeſu ſub nomine Petri Bleſenſis, & qui habentur in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Colonienſis, non eſſe verè Petri Bleſenſis: ut annotavit rectè Petrus de Guſſanvilla, qui ultimò in Galliis edidit Opera Petri Bleſenſis, ſed eſſe Petri Comeſtoris qui Patriâ Trecenſis fuit, undè vero auctori reſtituendi ſunt.

HUGO FALCANDUS ſancti Petri Panormitani in Sicilia Theſaurarius, ſcripſit *Hiſtoriam Siciliæ* ab Guillelmo primò qui regnare cœpit anno 1152 ad annum 1189, quam Gervaſius de Tournay Sueſſionenſis Eccleſiæ Canonicus eductam ex Ms. Codice Bibliothecæ Matthæi de Longue-Jouë Sueſſionenſis Epiſcopi, edidit Pariſiis anno 1550, unde tranſmiſſa poſtmodum in Collectionem Hiſtoricorum Siciliæ, Francofurti in Germania in fol. anno 1579 impreſſam.

GONTERUS sancti Amandi in Belgio Congregationis Cluniacensis Monachus, floruit sub finem sæculi XII, circa annum 1190 & ulteriùs, ob artem Poëticam magni factus. Scripsit *Poëma libris X. De rebus gestis Friderici Barbarossæ in Liguria & Lombardia*, quos intitulavit *Liguri-nus*, seu de gestis hujus Frederici Barbarossæ Imperatoris: opus sæpius citatum à Cardinale Baronio & aliis sub nomine *Ligurini*, impressum Strasburgi anno 1531, Basileæ anno 1569, Francofurti anno 1584, immisúmque in tertium Volumen Historicorum Germaniæ. Item scripsit aliud Opus in XIII. libros *De Oratione, Jejunio & Eleemosinâ*, impressum Basileæ anno 1504 & 1507, apud Michaelem Furterum in 4°. Item scripsit Carmine *Vitam Sanctorum Cyrici & Julittæ*, de quibus vide Surium & Bollandistas ad diem 16 Junii, de quo Sigebertus in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 166. Dubium tamen est, an sint unius atque ejusdem Gonteri omnia ista opera, atque potissimè hoc ultimum *De Vita SS. Cyrici & Julittæ*.

OTHO de sancto Blasio Germanus continuavit *Chronicon Ottonis Episcopi Frisingensis* usque ad tempora quibus floruit, nempe ad annum circiter 1190, opus impressum cum Ottone Frisingensi in Collectione Rerum Germanicarum, Christiani Urstitii Basileensis fide & studio in lucem editâ in fol. Francofurti anno 1585 Vvechelianis typis. De illo Antonius Possevinus in Apparatu sacro, tom. 2 pag. 204.

PETRUS Theologicæ Scholæ Rector per multos annos Parisiis, & tandem Cantor in Ecclesia B. Mariæ hujus Urbis primariæ, unde cognomen

ei adhæsit Petri Cantoris. Celeberrimus Theologus anno 1191 Tornacensis Episcopus electus est, cujus electione in controversiam vocatâ, Stephanus Abbas sanctæ Genovefæ Parisiensis Guillelmum Archiepiscopum Remensem tunc supremum Regni Administrum per litteras oravit ut electo faveret. Verba ejus describam, quibus eximia *Petri Cantoris* commendantur merita, sic itaque Epistolâ 175. *Vir est*, inquit, *cujus per omnes Ecclesias famæ suavis diffunditur opinio, qui geminâ scientiâ efficacissimè clarens, & doctrinam monitis ornat, & moribus Disciplinam. Origeni parem in aliquo, sic eum docere credimus, ut vivere; sic vivere, ut docere. Tales in Candelabro vestro lucernas, tales in Diademate Capitis Aaron lapides, tales in sancta Remensi Ecclesia suffraganeos esse decet, ut vicinæ Provinciæ sancta æmulatione moveantur ad promotionem consimilium: & sollicitudo vobis commissa facilius & frequentius juvetur per Religionem & prudentiam ipsorum, &c.* Petrum Cantorem hoc etiam ornat Elogio Jacobus de Vitriaco in Historia Occidentali, *Magister Petrus, venerabilis Cantor Parisiensis, vir potens opere & sermone, aurum suum & argentum similiter conflans, & verbis suis stateram faciens, morum honestate pondus & gravitatem conferens suæ doctrinæ: cœpit enim facere & docere, velut lucerna ardens & lucens, & civitas supra montem posita, & candelabrum aureum in domo Domini.* Plura possent colligi in laudem Cantoris Petri ex variis sui temporis Scriptoribus, quæ compendii gratiâ omittuntur, ut ad scripta tàm edita quàm Mss. veniamus. Scripsit itaque *Summam* quæ dicitur *verbum Abbreviatum*,

eò quod ab his verbis incipiat, ſolam impreſſam Montibus Hannoviæ anno 1639 in 4°, apud Franciſcum Vvaudreum cum Notis Georgii Galopini, Monachi ſancti Giſleni, Ordinis Divi Benedicti. Quæ extat etiam Ms. in Bibliotheca ſanctæ Genovefæ Pariſienſis, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii ſancti Benedicti cod. 223, & in Cœnobio Longipontis Ord. Ciſtercienſis in tractu Sueſſionenſi. Item ſcripſit *Summam* quæ dicitur *Abel*, eò quod procedens per Ordinem Alphabeticum, incipiat à nomine *Abel*, quam vidi Ms. in Cœnobio Longipontis citato, & in Bibliotheca Branenſi Ord. Præmonſtratenſis, quod utrumque in Epiſcopatu Sueſſionenſi eſt. Et Ms. Cantabrigiæ in Collegio Domus ſancti Petri cod. 97. Item *Magnam Summam de Sacramentis* quæ incipit: *Quæritur de legalibus*, partim deſumptam ex ſanctis Patribus, quam vidi Ms. in Cœnobio Longipontis, & in Bibliotheca Vallis-Claræ Ord. ejuſdem Ciſtercienſis in Laudunenſi Epiſcopatu. Item Summam quæ inſcribitur, *Diſtinctiones Cantoris Pariſienſis*, Ms. Cantabrigiæ in Collegio ſancti Benedicti cod. 219 & cod. 371. Itemque Oxonii in Biblioth. Collegii Mertonenſis cod. 164 & Cantabrigiæ in Collegio Domus ſancti Petri codd. 72 & 78. An autem aliud opus ſit à Summa de Sacramentis, collatione utriuſque, facilè noſci poteſt ab eo qui veritatem experiri voluerit: ſæpe enim unum atque idem opus, in Mss. codicibus inſcribitur variis titulis, ut docti in his rebus ſciunt. Item *De Contrarietatibus Theologiæ* opuſculum quod incipit: *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, &c.* Ms. in Bibliotheca Navarrica codice in 4°, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii ſancti Bene-

dicti cod. 371, sed Anonymum & inscriptum ; *Tractatus De Contrarietate Scripturæ. Scripsit etiam* (juxta Henricum Gandavensem libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 15) *alium librum quem vocavit Grammaticam Theologorum, ad intellectum Sacræ Scripturæ in multis locis satis utilem:* quem ego opinor esse *ipsas Allegorias Petri Cantoris in Scripturas seu Sacros Libros Veteris & Novi Testamenti*, quas vidi Mss. in Bibliotheca Parisiensi Navarrica, quorum hoc est initium, *in Principio creavit Deus cœlum & terram, &c.* quæ etiam Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Pembrochianæ cod. 76, cum Sermonibus Petri Comestoris, cui malè attributæ sunt. Sæpius enim Opera Petri Cantoris & Petri Comestoris confusa sunt in Mss. Codd. ratione solius primæ litteræ cognominis initialis, quæ cum legatur in Mss : alii addiderunt pro libitu vel speciali genio, nunc Petri Cantoris, nunc Comestoris. Ejusdem *in libros Numerorum, Deuteronomii, Josue, Judicum, Ruth*, Oxonii Ms. in Bibliotheca Balliolana cod. 22, in Psalmos ibidem cod. 30. Item *Glossa in Evangelia*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii Mertonensis cod. 144. Ejusdem *Glossa in Novum Testamentum* Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca aulæ Penbrochianæ cod. 179. Præterea doctum opus inscriptum, *Consiliarium Cantoris Parisiensis de Pœnitentia*, compositum à quodam Discipulo Petri Cantoris Parisiensis ex dictis & Scriptis ejus, habet Bibliotheca Colbertina cod. 2208, quod eximiè laudat Stephanus Baluzius vir ingenio & Scriptis clarissimus. Virum piissimum Infulas Episcopales declinasse, & Monachum induisse in Monasterio Longipontis Ordi-

nis Ciſtercienſis, ubi ſanctitatem vitæ ſancto fine complevit, Necrologium Eccleſiæ Tornacenſis teſtatur. Obiit x. Kalendas Octobris anno 1197, ut ejuſdem Abbatiæ in qua obiit, Necrologium commemorat. Plura de Petro Cantore Sammarthani in Gallia Chriſtiana tom. 3 ubi de Epiſcopis Tornacenſibus, Antonius Murdach Supprior Longipontis in Chronico ſuæ Abbatiæ, Scriptores omnes Rerum Ciſtercienſium.

GUALTERUS dictus de Caſtellione, Inſulis Oriundus, unde eſt ejus illud Monoſticon, (in- ſula me genuit, rapuit Caſtellio nomen) ſcripſit geſta Alexandri Magni eleganti metro; qui liber in Scholis Grammaticorum tantæ dignitatis eſt hodie, ut præ ipſo veterum Poëtarum lectio negligatur. Hæc Henricus Gandavenſis in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 20 pag. 165 Bibliothecæ Auberti Miræi. Floruit Gualterus anno circiter 1190 vel ultrà etiam, extant autem. *Libri decem Alexandreidos* ſive *de geſtis Alexandri Magni* à Gualtero Caſtellionenſi verſu Heroico nec infœlici, ad Guillelmum Remenſem Archiepiſcopum ſcripti, qui Argentorati 1531 Ingolſtadii & Lugduni 1558 typis editi. Scripſit etiam *Libellos tres contra Judæos*, quos vidi Mss. in Bibliotheca Branenſi Ord. Præmonſtratenſis Epiſcopatûs Sueſſionenſis, cum aliis Tractatibus contra Judæos in unum volumen compactis. Sunt autem per formam Dialogi inter *Gualterum* qui ſe Caſtellionenſem appellat, & *Balduinum* Valentianenſem hujus Eccleſiæ Branenſis Canonicum, Gualtero ob eandem Patriam cariſſimum. Denique alia ejus opuſcula Mss. in Bibliotheca Gallarum Regia.

NICOLAUS Methonenſis Epiſcopus, Græcus Schiſmaticus floruit anno circiter 1196. Scripſit *librum unum de Proceſſione Spiritus ſancti contra Latinos*, Græcè Ms. in Bibliotheca Vaticana, & Bavarica ſereniſſimi Ducis cod. 116. cod. etiam 129 ejuſdem Bavaricæ Bibliothecæ habetur *Nicolai Methonenſis Epiſcopi diſcuſſio Theologicæ Inſtitutionis Procli Platonici Philoſophi, ne quis probabilitate deceptus à vera fide deficiat.* Plura dabit Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, verbo *Nicolaus Methonenſis Epiſcopus* tom. 2 paginâ 152.

RADULFUS DE DICETO Decanus ſancti Pauli Londinenſis, qui etiam *Dicetenſis* appellatur, vir erat ſui temporis tum ob doctrinam, tum ob pietatem ſingularem percelebris, de quo ita Boſtonus Burienſis Ms. *Radulfus de Diceto Decanus Eccleſiæ ſancti Pauli Londonienſis floruit anno Chriſti* 1197, *& ſcripſit librum Chronicorum qui dicitur Imagines Hiſtoriarum. Chronica ſunt Imagines Hiſtoriarum, & finit anno Chriſti* 1195. Opera autem Radulphi impreſſa in collectaneo Hiſtoricorum Angliæ edito Londini in folio anno 1652 curis & ſtudio Joannis Seldeni ſunt, *Abbreviationes Chronicorum* pag. 429, *Imagines Hiſtoriarum* pag. 525, *Series cauſæ inter Henricum Regem & Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum* pag. 711. Claruiſſe dicitur etiam ſub Rege Joanne, & vixiſſe uſque ad annum 1210.

MAURITIUS DE SOLIACO, humili apud Soliacum ad Ligerim loco natus, ob eruditionem & facundiam eximiam ad Pariſienſem Epiſcopatum evectus eſt poſt obitum Petri Lombardi anno 1164. Cathedralem Eccleſiam Deiparæ Virgini ſa-

eram à fundamentis erexit, quatuor Abbatias condidit ac dotavit, Herivallem, Hermerias, Hederam, & Gif, jure nuncupatus *Pater pauperum. Sermones per totum annum tam de Dominicis quàm de Sanctorum festivitatibus, & exhortationes ad Presbyteros de cura animarum fideliter gerendâ*, ipsum scripsisse Henricus Gandavensis lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 14 testatur: quos audio Mss. asservari in Bibliotheca Regia & sancti Victoris Parisiensis. Vir sanctus obiit anno 1196 tertio Idus Septembris, & ad sancti Victoris Ecclesiam deportatus, ubi sepultus est, cum cartulâ quam supra pectus suum poni jusserat, ut viros plerosque Litteratos circa Resurrectionem Corporis hæsitantes in fide confirmaret, cui hæc verba inscripta legebantur: *Credo quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes mea, in sinu meo.* Ita refert Rigordus in Vita Philippi Augusti. *Mauritio* Epitaphium composuit Stephanus Tornacensis, rogantibus Canonicis Parisiensis Ecclesiæ, quod Epistolæ ipsius CCLX infertum est. De illo plura Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 1 ubi de Archiepiscopis Parisiensibus pag. 436 & seqq. Sufficiat hoc compendium ex Natali Alexandro in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo XII. tom. 1 cap. 6 pag. 545.

ROBERTUS DE FLAMESBURIA Ord. Divi Augustini Canonicus Regularis, & Pœnitentiarius Parisiensis in Cœnobio sancti Victoris, floruit circa annum 1198, atque ex primis Theologis

scripsit *Pœnitentiale quatuor libris nobile & amplum*, quod asservatur Ms. in duabus Bibliothecis Parisiensibus, sancti Victoris nempe & Collegii Choletani.

RICHARDUS Canonicus Hagulstadensis in Anglia, Ordinis Canonicorum Regularium Divi Augustini, floruit anno 1190 & sequentibus, de quo nos diximus supra ad annum 1150 *in Joanne* Hagulstadensi pag. 422.

JOANNES BROMPTON Abbas Jornallensis Ordinis Cistercienſis, de quo Chrysostomus Henriquez in suo Fasciculo libro 2 distinct. 26 cap. 50, „ & in suo Phœnice cap. 20 his verbis: Joannes „ Bromptonus Ordinis Cistercienſis habitum in „ Anglia ab adolescentia susceptit, qui virtutum & „ eruditionis meritis factus est Abbas Jornallensis, „ aliàs Jarvavvgensis Cœnobii. Fama est hunc mul„ ta scripsisse, quorum tamen nihil quod sciam ex„ tat, præter Historiarum Opus, quod composuit „ & suo Monasterio dicavit, cui titulum præfixit, „ *Chronicorum librum unum*: postquam contigit „ Britones. Extat manuscriptus Cantabrigiæ in „ Collegio sancti Benedicti, quando autem auctor „ floruerit, ignoratur. *Hoc Chronicon* incipit ab anno Domini 588, quo sanctus Augustinus venit in Angliam, usque ad mortem Richardi primi Regis, scilicet annum Domini 1198, quod impressum Londini in folio anno 1652 pag. 725 in Collectaneo Scriptorum Rerum Anglicarum veterum Joannis Seldeni. Sunt qui velint eum non esse Auctorem hujus Chronici, sed tantùm illud emptum & comparatum eo tempore, quo Abbatiam Jornallensem tenebat: unde factum ut Chronicon ei attribueretur, sicut Seldenus narrat plu-

ribus, in Prologo ad Scriptores decem Historiæ Anglicæ, pag. 38 circa medium, quem cupidi plurium adeant.

GERVASIUS Dorobernensis seu Cantuariensis Monachus Benedictinus, quem claruisse anno 1128 falsò hallucinatus est Gesnerus in sua Bibliotheca, & quem etiam laudat Lelandus Ms. in Bibliotheca publica Oxoniensi. Ejus sunt in citato suprà Seldeni Collectaneo Opera, *Tractatus De combustione & reparatione Cantuariensis Ecclesiæ pag.* 1289, *Imagines de Discordiis inter Monachos Cantuarienses & Baldewinum Archiepiscopum* 1303, *Chronica &c.* 1338, *Vitæ Pontificum Cantuariensis Ecclesiæ pag.* 1629. Floruit sub Joanne Rege, seu anno Christi 1200, laudatus à Baleo cent. 3 script. 48, Pitseo ætate 13 script. 285, Vossio de Historicis Latinis lib. 2 cap. 56. 1200.

PETRUS Blesensis natione Gallus, dignitate Archidiaconus Bathonensis in Anglia, floruit ab anno 1160 usque ad 1200 & ultrà, scripsit multa quæ undique conquisita nuperrimè evulgavit Parisiis in folio apud Simeonem Piget anno 1667 viâ Jacobæâ sub signo Prudentiæ, Petrus de Gussanvilla Carnotensis Presbyter doctissimus, cum Notis & variantibus Lectionibus, quæ quia nondum facta quando Opus suum vel Bellarminus vel Labbeus conscripserunt, ideò hic Elenchum substituimus. Sunt autem ejusmodi Opera Petri Blesensis in editione hac præstantissima & ultima.

Epistolæ numero CLXXXIII, pag. 1.

Sermones de variis argumentis LXV, p. 267.

Tractatus *De Transfiguratione Domini*, p. 400.

Tractatus *De Conversione sancti Pauli*, p. 404.
Compendium in Job, p. 408.
Tractatus *De Peregrinatione Jerosolymitana*, p. 425.
Instructio fidei ad Soldanum Iconii, p. 431.
Liber *De Confessione Sacramentali*, p. 436.
Liber *De Pœnitentia, vel Satisfactione*, pag. 444.
Canon Episcopalis, vel Tractatus *De Institutione Episcopi*, p. 447.
Invectiva contra Depravatorem, p. 455.
Liber *contra perfidiam Judæorum*, p. 462.
Tractatus duplex *De Amicitia Christiana*, pag. 497.
Tractatus *De utilitate Tribulationum*, p. 553.
Tractatus *Quales sunt*, p. 563.
Tractatus *De Divisione & Scriptoribus Sacrorum Librorum*, p. 596.
Tractatus *De Eucharistia* metricè, p. 600.

Variantes lectiones & breves Notæ tam Joannis Busæi Theologi Soc. Jesu, quàm Petri de Gussanvilla Presbyteri, à paginâ 619 ad 802, non contemnendæ. Continuavit *Historiam Ingulfi Croilandensis de Regibus Angliæ*, quem Ingulfum habes integrum cum continuatione Petri Blesensis, in fol. anno 1684 è Theatro Seldoniano Oxonii in Anglia, cum aliis Anonymis Historiis. Vidi etiam olim libros ejus *De præstigiis Fortunæ* Mss. in aliqua Bibliotheca, sed ubinam gentium, meminisse non potui.

PETRUS DE RIGA Canonicus & Cantor Beatæ Mariæ Remensis, florebat anno circiter 1200, quem inter sui temporis doctores doctissimum vocat Joannes Trithemius. Scripsit carmi-

ne vario opus *Auroram* inscriptum, quo plurimos sacræ Scripturæ libros carmine insigni exponit, Ms. in multis Galliarum, Angliæ & Germaniæ Bibliothecis. Hujus decem Mss. Codd. in Bibliotheca Galliarum Regia, 2 Codd. in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis Ordinis D. Benedicti, plures in Colbertina. Idem Ms. in Bibliotheca Præmonstrati, Bonifontis Cistercienſis & Bellæ-Vallis Præmonstratensis Ordinum in Episcopatu Remensi, in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Lugdunensium, ac pauci auctores qui tantùm & tam frequenter transcripti sint, quamvis opus impressum non sit. Ecloga Thomæ James quam Oxonio-Cantabrigiensem vocat, numerat exempla quatuor hujus Auroræ Mss. lib. 2 pag. 53: Oxonii in Bibliotheca Magdalenæ cod. 3, Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti codd. 43, 371 & 395. *Ejusdem Tropi & Phrases Scripturæ* Mss. cod. 395 jam citato S. Benedicti, Hanc *Auroram* ad varios collatam Mss. Codd. habeo paratam editioni, nullus certè qui tanto successu Scripturam carmine reddiderit. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1263 pag. 19 hunc Petrum Remensem assignavit suis Dominicanis absque auctoritate vel ratione, nisi forsitan quod Mss. Opera hujus Petri inveniantur in Bibliothecis Conventualibus Fratrum Prædicatorum. At mortuus erat Petrus de Riga ante natum Ordinem Dominicanorum, quem alii ferè omnes scribunt claruisse circa annum 1160.

THEODERICUS Abbas Ordinis Divi Benedicti florens circa annum 1200, scripsit *libros tres De Vita sanctæ Hildegardis Abbatissæ* quæ obiit anno

1180 die 17 Septembris, quam apud Surium habes.

SAXO Grammaticus Sialandicus floruit anno circiter 1200, qui scripsit *Historiam Danicam lib. XVI.* dedicatam Andrææ ejusdem Regni Episcopo, stilo quidem elegantissimam, sed quoad priora tempora fabulis plenam, ut multi contendunt, quam habes impressam sæpe, sed præsertim in folio Seræ in Dania anno 1644, & antea Basileæ anno 1534 ac Parisiis anno 1514.

STEPHANUS Canonicus primùm Regularis Ord. Divi Augustini, tum Abbas sanctæ Genovefæ Parisiensis & tandem Episcopus Tornacensis ab anno 1191 ad annum 1203, de quo Bellarminus & Labbeus. Quibus addo impressas nuperrimè Epistolas Stephani Tornacensis cum accessione novâ Parisiis anno 1679 in 8° apud Ludovicum Billaine, curâ & studio Claudii du Molinet Canonici Regularis Congregationis Gallicanæ, cum Vitâ Stephani Epistolis præmissâ. Scripsit idem Stephanus *prolixum Commentarium in Decretum Gratiani*, Ms. in fol. in Bibliotheca celebri Colbertina cod. 2592, & in Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis. Item *Sermones aliquos* quos ad XXXI. hinc & inde ex Mss. Codicibus erutos & editioni paratos habet apud se idem qui suprà Claudius du Molinet, sed ut nimiùm stilo simplices non edidit.

STEPHANUS LANGTON Anglus floruit sub initium sæculi XIII, electus Cancellarius Universitatis Parisiensis. Factus ab Honorio III. Summo Pontifice anno 1206 S. R. E. Cardinalis tit. sancti Chrysogoni & anno sequenti ob eminentiam scientiæ morúmque probitatem Archiepisco-

pus Cantuariensis. Scripsit commentarios in plures Scripturæ libros lectos à se in Scholis, nempe *in* 12 *Prophetas* qui incipiunt: *Ossa duodecim Prophetarum. In libros duos Machabæorum, Nehemiam, Tobiam, Judith, Esther, Ruth, libros Regum*, & incipiunt: *Residuum erucæ comedit locusta.* Quæ omnia vidi contineri 2 ingentibus tomis in fol. in Bibliotheca Fulcardi Montis Cisterciensis Ordinis, quæ postea transierunt in ditissimam Bibliothecam Colbertinam. Habentur autem plura passim hujus Stephani Langtonii Opera Mss. in Bibliothecis Anglicis, nempe Commentaria in Scripturam sacram.

In Pentateuchum Oxonii in Biblioth. Collegii Trinitatis cod. 5, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 248.

In Josuam, Judices & Ruth Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 248, & sancti Benedicti cod. 151. Item *in Leviticum, Josue, Judices, Ruth, &c.* Ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 661.

In Job Oxonii in Bibliotheca Orialensi cod. 12. *in Ecclesiastem* Ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 2808.

In Tobiam, Judith, Esther, Esdram, lib. 2 *Machabæorum* Oxonii in Bibliotheca Exoniensi cod. 3, Cantabrigiæ in Biblioth. Domus sancti Petri cod. 241 & sancti Benedicti cod. 151.

In Hieremiam, Ezechielem, Esdram, Nehemiam, & 2 libros Machabæorum, Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti cod. 145. *In Isaiam* ibidem cod. 376.

Tropologia in 12 *Prophetas Minores*, Oxonii in Collegio Trinitatis cod. 6, in Exoniensi cod. 3,

& Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 16, & in Collegio ſancti Benedicti cod. 148. Et in Bibliotheca Colbertina codd. 1754 & 4777. Scripſiſſe etiam dicitur *Vitam, paſſionem & tranſlationem ſancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris lib. V*, qui incipiunt: *Profeſſores artium ſæculi proprios, &c.* qui etiam extant Mss. Cantabrigiæ in Collegio ſancti Benedicti cod. 75.

Annalium Archiepiſcoporum Cantuarienſium liber 1, qui incipit *res geſtæ, &c.* habetur in Bibliotheca Collegii ſancti Benedicti Cantabrigiæ cod. 22, ſub nomine Stephani Archiepiſcopi; ſed ex Notâ veteris cujuſdam, ſpectat ad Radulfum de Diceto Londonienſis Eccleſiæ Decanum. Vixit uſque ad annum 1228 quo obiit die 2 Julii, de quo Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 2 cap. 56. Faciunt eum Ciſtercienſes *in Bibliotheca Scriptorum Ciſtercienſium*, Monachum ſui Ordinis, ſed pro more Monachorum ſibi facilè multa attribuentium, quæ ad eos nullatenus ſpectant. Scimus equidem *Stephanum de Lingnatona* exulem, recepiſſe ſe Pontiniacum Ord. Ciſtercienſis Cœnobium: ſed aliud ibidem hoſpitio caritativè exceptum aliquot annis manſiſſe, aliud Monachiſmum adſumpſiſſe, quod non legimus, niſi apud Neotericos Ciſtercienſes ſibi de his aggaudentes.

PETRUS Pictavienſis Cancellarius olim Univerſitatis Pariſienſis, poſt Petrum Lombardum atque Robertum Pullenum Lector Theologiæ in Clauſtro B. Mariæ, inde teſte Alberico Archiepiſcopus factus eſt Ebredunenſis. Scripſit ad eorum exemplum *Summam Sententiarum* Guillelmo Senonenſium Archiepiſcopo dedicatam teſte eodem Alberico, quam habes impreſſam in fol. Pariſiis

cum Summa Sententiarum Roberti Pulli anno 1655, de qua vide supra ad annum 1150. Scripsit etiam *super Tabernaculum Moysis* Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana cod. 75: *Allegorias super Biblia* Mss. privatim in Biblioth. L. cod. 231. Obiit anno 1205, de quo Albericus in Chronico, Auctor Historiæ Universitatis Parisiensis sæculo XII.

ADAMUS DE CORLANDON Canonicus & Decanus B. Mariæ Laudunensis, Discipulus Michaëlis Senonensis Archiepiscopi, claruit ab anno 1180 usque ad 1200, quo obiit, sepultus in capitulo sancti Martini Laudunensis, sub marmore cum Epitaphio. Scripsit *varias quæstionum in Sacram Scripturam solutiones* variis temporibus, quas dicto Michaëli Archiepiscopo dicavit, Mss. in 3 voluminibus in fol. in Bibliotheca Abbatiæ Cuissiacensis, in Episcopatu Laudunensi. Prologus incipit, *Frange esurienti panem tuum, &c. Pater reverende ratio consulit, utilitas suggerit, necessitas cogit, &c.* quæ autem desunt ex uno volumine quod mutilum est, suppleri possunt ex altero continente opus integrum, opera enim quædam ibi bis manuscripta sunt.

ADAMUS primùm Monachus, post Abbas de Persennia Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Cenomanensi, floruit anno 1200, scripsitque ad suos fratres in Capitulo congregatos *Opus Sermonum impressione dignissimum* quod est Ms. Romæ in manibus clarissimi viri Hilarionis Rancati Abbatis sanctæ Crucis in Hierusalem. Impressi ejus Sermones de Beatissima Virgine ex Codice Cœnobii Casemarii, & Notis illustrati studio Hyppoliti Maraccii Presbyteri Lucensis, Romæ apud

Ignatium de Lazzeriis 1652 in 4°. Item scripsit *Epistolas quasdam ad Osmundum Mortui Maris in Normannia Monachum*, quas edidit Stephanus Baluzius tom. 1 Miscellaneorum pag. 423. Audio etiam Ms. Cod. dictorum Sermonum asservari apud Cœnobium Persennense, quem non vidi.

ANDRÆAS SILVIUS primùm Monachus, tum Cœnobii Marchianensis Ordinis Divi Benedicti in Territorio Duacensi Abbas, scripsit circa annum 1200 *Historicam Merovingicæ stirpis Regum Francorum Synopsim*, cum continuatione aliorum editam Duaci anno 1633 2 tomis in 4° à Raphaële de Beauchamps cum Notis. Fuit autem composita hortatu Petri Attrebatensis Episcopi, ex Abbate Cistercii in Episcopum consecrati anno 1184, & mortui anno 1203. Scripsit etiam *Libros duos De Miraculis sanctæ Rictrudis*, quos Anonymos ediderunt Bollandi Continuatores ad diem 12 Maii. Hæc tempora planè conveniunt cum Prælaturâ Simonis apud Marchianenses Abbatis anno 1199 constituti & 1202 mortui, sub quo *Chronicon Scriptum Marchianense* ut creditur ab Andræa Silvio, quod Ms. asservatur Antuerpiæ apud Patres Societatis Jesu.

ALBERTUS primùm, ut volunt, Eremita, tum postea Vercellensis Episcopus, inde Patriarcha Hierosolymitanus, florebat adhuc anno 1206, qui scripsit *Regulam Carmelitis* seu Solitariis in Monte Carmelo commorantibus, quam ediderunt Bollandistæ in suo mense Aprili, in prælusiis Commentariis suis ad Vitam dicti *sancti Alberti Carmelitarum Legislatoris*. De illo Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 381 pag. 255 Bibliothecæ Ecclesiasti-

cæ, sed ad nauseam Bollandiſtæ in suo menſe Aprili, quem quivis conſulere poteſt.

BALDUINUS Flandriæ & Hannoniæ Comes; Balduini cognomento Magnanimi filius, anno 1204 ex Latinorum genere primus Conſtantinopoli à noſtris occupatæ datus eſt Imperator, annum ætatis 32 agens: à Nicetâ Choniate aliiſque Græcis (quod magnum virtutis eſt argumentum) ſummoperè laudatus. Scripſit Balduinus ipſe Latinè ad ſuos in Belgio ſubditos, *longam Epiſtolam de urbis Conſtantinopolitanæ expugnatione*, quam ex Ms. Sonegienſi, in Codice piarum donationum cap. 99 edidit ac publicavit Aubertus Miræus. Balduinus porrò anno 1205 die 25 Aprilis à Bulgaris captus in prælio, & menſes ſexdecim in vinculis habitus, demùm juſſu Joannis Bulgarorum Regis crudeliter interemptus fuit. Succeſſit ei in Imperio C. P. Balduinus Frater.

GAUFRIDUS Dominus de Villehardoüin, Mareſcallus Campaniæ & Romaniæ, adfuit huic Francorum & Venetorum Expeditioni anno 1204, quam Gallico idiomate conſcripſit anno eodem, quam ediderat in 4° Pariſiis anno 1585 Blaſius de Vigenere apud Abelem Langelier: & quam anno 1657 *in ſuo Conſtantinopolis Chriſtianæ Imperio* edidit iterùm in fol. Pariſiis Carolus du Freſne du Cange, Quæſtor Regius Ambianenſis, cum ſuis Annotationibus doctiſſimis & collaterali comparatione veteris Idiotiſmi Gallici cum hodierno.

NICETAS CHONIATES, magnus Logotheta Secretorum &c. de quo plenè loquitur Labbeus in diſſertatione Hiſtorica De Scriptoribus Eccleſiaſticis à Bellarmino recenſitis. Huic tantùm

addo extare Mss. Græcè in Bibliotheca Bavarica cod. 119 Thesauri Orthodoxæ fidei *Nicetæ Choniatæ de Armeniorum Hæresi tom.* 17, *ejusdem tom.* 18 *contra Paulitianos*, & 19 *contra Saracenos, cum modo recipiendi illos qui à Saracenis ad Christiana Sacra redeunt.* Dabit autem plura citatus Labbeus, sed plura dicere nostrum non patitur institutum, qui tantùm omissa ab ipso allegamus in auctoribus adductis, vel auctores ipsos omissos.

ABSALON ex Canonico sancti Victoris Parisiensis, factus Abbas Spinkirbatensis in Archiepiscopatu Trevirensi, anno circiter 1210 floruit, ex Cæsario qui eum allegat in opere suo de Miraculis suorum temporum, tanquam sibi Synchronum aut proximum. Scripsit *doctos & elegantes Sermones*, quos Daniel Schillingus ejusdem Ecclesiæ Abbas procuravit imprimi in folio Coloniæ anno 1534 sub hoc titulo: *Sermones festivales quinquaginta Absalonis Abbatis Spinkirbatensis.* Horum aliquos iterum recudi curavit Petrus de Alva & Astorga in suo Mariali, ubi de hac impressione agit. De illo Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 337 pag. 242, ubi malè tamen cum affigit ad annum 1120, quo nondum natus erat.

GUIBERTUS seu GILBERTUS Martinus Gemblacensis Monachus, ita cognominatus ob specialem suam in sanctum Martinum Turonensem Episcopum devotionem, claruit anno circiter 1208, multa scribens quæ Mss. asservabantur in Monasterio Gemblacensi in Brabantia, ubi Abbas fuerat olim. Hæc viderat Joannes Mabillon in 3 voluminibus, unde summatim refert tom. 2 suorum

suorum Analectorum pag. 544 & seqq. sed combusta omnis hujus Cœnobii Bibliotheca nuperrimè, imò totum Cœnobium incendio momentaneo, cui nullus mederi unquam potuit.

ROBERTUS DE CHORÇEON seu DE CHORCEONE Anglus, Theologus suo tempore clarissimus, scripsit *Summam Theologicam*, quam Ms. asservant custodes Bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis. Est autem Robertus factus S. R. E. Cardinalis & Legatus Apostolicus, qui florebat anno 1206, & anno 1212 habuit Concilium in Urbe Parisiensi ad Ecclesiæ Gallicanæ Reformationem, ut patet ex Conciliis ultimæ editionis; de quo plura sæculo 13 Historiæ Universitatis Parisiensis.

GERVASIUS Abbas Præmonstrati, tum 1210
postea Sagiensis in Normannia Episcopus, floruit anno 1206 & sequentibus, usque ad annum 1228 quo mortuus est. Scripsit *Epistolas circiter centum ad personas sui temporis illustres*, quas ex Ms. Codice Viconiensi eductas, edidit in 4° apud Montes Hannoniæ anno 1662 Norbertus Cailleu Prior Præmonstrati. Plura de Gervasio, Auctor Bibliothecæ Præmonstratensis, & Sammarthani Fratres in Gallia Christiana, ubi de Præmonstratensibus Abbatibus & Sagiensibus Episcopis.

GERVASIUS Tillebericnsis Marescallus seu Polemarchus Regni Arelatensis, clarus ad annum 1210, scripsit ingens opus Chronographicum ac Geographicum, inscriptum *Otia Imperialia*, bis Ms. in celebri Bibliotheca Colbertina, ex Mss. Thuaneis: Itemque Ms. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti cod. 237. Meminit hujus

Gervasii Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, pag. 638, quem legas.

ALEXANDER NECKAM Anglus, Grammaticus, Philosophus ac Theologus hoc tempore non ignobilis, floruit circa annum 1210, scribens varia quæ tantùm in diversis Angliæ Bibliothecis Mss. extare leguntur. Sunt autem,

Isagoge seu Isagogicon, Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 154.

De nominibus utensilium, Cantabrigiæ in Domo sancti Petri cod. 25, & in Archivis Collegii Caii cod. 70.

Commentarius in Martianum, Ms. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 185.

De Accentu in mediis Syllabis cum alio Tractatu dubii generis, ibid. cod. 262.

De natura rerum, in Bibliotheca privata Gualteri Copi cod. 62.

Super Evangelia, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolnienſis cod. 21.

Super Cantica, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 285, Balliolensi cod. 38, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 122, & Penbrochiana cod. 152.

Laudes Divinæ Sapientiæ, Ms. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 33.

ADAMUS BARKINGENSIS Anglus floruit anno circiter 1216, qui scripsit *Postillas breves super Vetus & Novum Testamentum*, Mss. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 91.

ROBERTUS Canonicus Ordinis Præmonstratensis in Abbatia sancti Mariani apud Antissiodorum, scripsit circa annum 1212 *Chronologiam ab orbe condito usque ad annum* 1212, unde creditur

mortuus esse anno proximè sequenti. Hugo ejusdem Ecclesiæ Canonicus Appendicem adjecit usque ad annum 1227. Nicolaus Camuzatus Trecensis Canonicus curavit utriusque lucubrationes imprimi in 4° Trecis anno 1608 apud Natalem Moreau. De Roberto Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 388.

ARNOLDUS Hildesheimensis Præpositus, continuavit *Chronicon Helmoldi* usque ad annum 1212, de quo Bellarminus & Labbeus *in Helmoldo*, & ego suprà ad annum 1168 vel circiter.

HELINANDUS Frigidi-Montis Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Bellovacensi Monachus, claruit anno 1212. Scripsit *Chronicon* ad annum 1204 vel circiter, quod impressum noviſſimè extat in Bibliotheca veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis à Bertrando Tissier, *cum aliquibus ejusdem Sermonibus* erutis ex Autographo dicti Helinandi, quem penes me olim habui è Frigido-monte mutuatum, ac fideliter restitutum. Idem scripsit *Martyrium SS. Gereonis ac Sociorum ejus*, apud Surium ad diem 10 Octobris. Item *prolixum Commentarium in Apocalypsim B. Joannis* ex Patribus compilatum, quem vidi Ms. bis in Bibliotheca Longipontis Ordinis Cistercienſis. Addo *librum De laude Vitæ Claustralis*, & alium *De Regimine Principum*, qui reperiuntur Mss. Tongris in Bibliotheca Canonicorum Regularium. Ejusdem *lib. De Reparatione Lapsi* Ms in Bibliotheca Viridis-Vallis prope Bruxellas, quem Vincentius Bellovacensis Helinando nostro contemporaneus eidem tribuit: si tamen hic liber non est unus & idem cum libro *De Laude Vitæ Claustralis*, quod probabile satis est. Obiisse dicitur anno

1227. Fallitur Carolus de Vvisch in Bibliotheca Scriptorum Cistercienſis Ordinis, dum duos Helinandos alium è Frigido-monte, alium è Perſenniâ diſtinguit, eſt enim unicus horum omnium Scriptor Operum.

VINCENTIUS CADLUBCUS Polonus, Cracovienſis Epiſcopus, quo officio ſe ſponte abdicans, in Andreovicenſi Ciſtercienſis Ord. Cœnobio Monaſticen profeſſus, reliquos quinque vitæ ſuæ annos religioſè confecit. Scripſit *Hiſtoriam Polonicam juſſu Caſimiri Poloniæ Ducis*, impreſſam in fol. Dobromili anno 1612 in Officina Joannis Szeliga, cum Hiſtoriâ Polonicâ Joannis Longini ſive Dugloſſi, Canonici Cracovienſis & poſtea Epiſcopi Leopolienſis. Obiit Cadlubeus anno 1224.

INNOCENTIUS III. Summus Pontifex, de cujus Scriptis Bellarminus & Labbeus: Quibus addo *multos ejus Epiſtolarum libros* ex Ms. Codice erutos, impreſſos 2 tomis in folio Pariſiis, cum Vitâ Innocentii Epiſtolis iſtis præmiſſâ, ex veteri pariter Ms. Codice, apud Franciſcum Muguet anno 1682, curâ & ſtudio Stephani Baluzii Colbertini Bibliothecarii. Qui plura cupit, adeat Bellarminum & Labbeum citatos.

PETRUS Monachus Vallis-Sarnenſis Ordinis Ciſtercienſis, vulgariter, *des Vaux de Cernay*, ſcripſit anno circiter 1216 *Hiſtoriam Hæreticorum Albigenſium*, quam inſeruit Bibliothecæ veterum Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis Bertrandus Tiſſier tom. 7 pag. 1 & ſeqq. impreſſo ad annum 1669 apud Bonumfontem in Thieraſcia, Ord. ejuſdem Ciſtercienſis Abbatiam in Epiſcopatu Remenſi. Scripſit hanc Hiſtoriam hortatu Inno-

centii III. Summi Pontificis, cui & illam dicavit, quæ extat etiam edita typis anno 1615 Trecis in Campania Galliæ. De illo Aubertus Miræus in Auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 403, Carolus de Vviſch in Bibliotheca Scriptorum Ciſtercienſis Ordinis, atque alii.

SIMON Tornacenſis inſignis hoc tempore Theologus, cujus etſi nihil impreſſum ſit, doctrina tamen cognita ſufficienter eſt ex Hiſtoriâ Univerſitatis Pariſienſis ſub ſæculi XIII. initium. Scripſit *Summam Quæſtionum in Sententias*, Ms. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Balliolenſi codd. 58 & 188. *Inſtitutiones in ſacram Paginam* Mss. Oxonii in Collegii Mertonenſis Biblotheca cod. 36, nec mihi dubium quin etiam in aliis locis inveniantur Opera hujus antiqui Theologi. Ejuſdem *Summa Theologica* Ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 4314, quæ an idem opus ſit cum *Summa Quæſtionum in Sententias*, me neſcire fateor.

GUALTERUS ſeu WALTERUS Prior ſancti Victoris Pariſienſis, Ordinis Canonicorum Regularium D. Auguſtini, vel potiùs *ejuſdem loci Canonicus*, quem perperam Anonymus Abbatem ſtatuit, non enim Cenſetur in Syllabo Abbatum apud Sammarthanos in Gallia ſua Chriſtiana tom. 4 pag. 926. Floruit circa annum 1210, ſcripſitque opus inſcriptum, *Contra Quatuor Labyrinthos Franciæ*, ſeu *contra quatuor Petros Theologos, Lombardum, Abaelardum, Comeſtorem, & Pictavienſem:* quod Ms. aſſervatur in Bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſis, ut habet Joannes Mabillon tom. 3 Analectorum pag. 450, ubi de Vvaltero iſto plura habet, quem aliundè non noveram.

VVERNERUS Abbas sancti Blasii in Nigra Silva Ordinis sancti Benedicti, Diœcesis Constantiensis in Germania, collegit *ex diversis Patribus defloralionem, quæ continet Sermones postillares* (ut loquuntur) per annum, Basileæ anno 1549 editam. Floruit sub annum 1210 vel circiter.

PETRUS DE CORBOLIO Gallicè *de Corbeil*, Michaëlis de Corbeil Senonensis Archiepiscopi ac Reginaldi de Corbeil Parisiensis postea Episcopi consanguineus, Innocentii Papæ III. quondam Didascalus, ob eminentem scientiam toti Christiano vel saltem Latino orbi notissimam, evectus est anno circiter 1200 ad Episcopatum Cameracensem, atque aliquanto post à Sede Cameracensi est translatus ad Archiepiscopatum Senonensem. Ejus nominationem confirmat idem Innocentius III. cap. *Gratum* de postulatione, in tertia compilatione. Licèt autem hic subjicere excerpta Chronicorum Turonensis, & Antissiodorensis Roberti, dum inquiunt: *Anno* 1209 *Octavianus Episcopus Ostiensis Legatus Petrum de Corbolio, qui Litteraturâ sæcularis & Theologiæ prærogativâ famosus in Scholarum regimine Parisiis diu claruerat, & de Cathedrâ Magistrali ad Cameracensis Ecclesiæ Cathedram nuper assumptus fuerat, Michaële Senonensi Archiepiscopo mortuo, in Senonensem Ecclesiam inthronizat.* Idem verò Pontifex, Petro adhuc Canonico Parisiensi, committit causam Lingonensis Episcopi contra Capitulum lib. 1 Epist. *Cùm olim*, 1198. Atque ut ipsi tradatur pacificè Archidiaconatus in Ecclesia Eboracensi, mandat eodem anno 16 Kalendas Januarii Decano & Capitulo. *De cujus* inquit *Litteraturâ & scientiâ in longinquis & remotis partibus prædicatur, sub*

cujus Magisterio nos aliquando fuisse in memoriam reducimus, & ab eo divinarum audivisse paginam Litterarum (Parisiis) *quod volumus reputare gloriosum.* Et aliâ Epistolâ ad Richardum Angliæ Regem ait, *Magnificentiam ipsius Regiam non ignorare, qualiter is Petrus inter alios orbis clericos scientiâ liberali præfulgeat, & suâ probitate & discretione sit admodum commendandus, &c.* Scripsit *Summam Quæstionum Theologicarum* quam apud se Ms. adservatam habet Joannes de Launoy Doctor Theologus Parisiensis Scriptis suis notissimus, cujus hic titulus est: *Quæstiones Scholares Magistri Petri Senonensis Archiepiscopi*; de qua etiam mentionem facit idem Joannes Launoïus in libro *De Scholis celebrioribus* per Occidentem restauratis cap. 59 art. 6. pag. 229. Obiit Petrus anno 1222 Junii die 3 in Senonensi Ecclesiæ Choro, ipsâ die quâ celebrabatur Synodus, sub Archiepiscoporum conditorio tumulatus. Hæc breviter; qui plura cupit, legat Historiam Universitatis Parisiensis sæculo XIII, & adeat Sammarthanos Fratres in sua Gallia Christiana tom. 1 in Archiepiscopis Senonensibus pag. 635, ubi fusè meritas Petri de Corbolio laudes exequuntur.

OLIVERIUS Scholasticus Colonienſis, vir pius eruditus ac facundus fuit, qui à Romano Pontifice ad prædicandam crucem auctoritatem per Litteras Apostolicas habens; in Brabantia, Flandria, Frizia, aliisque vicinis Provinciis, cum Arnoldo Discipulo suo fortiter ac fœliciter id præstitit: ut Cæsarius Heisterbacensis qui eodem tempore vixit, Albertus Stadensis & alii narrant. Scripsit *Epistolam de Expugnatione Damiatæ* ad sanctum Engelbertum Colonienſem Archiepisco-

pum datam, quam Jacobus Bongarsius habet tom. 1 *Gestorum Dei per Francos* de quibus jam suprà & sæpè diximus. Subnectitur Epistolis ab Amalrico Rege, Amalrico Patriarchâ Hierosolymitano, Raymundo Principe Antiocheno, Gilberto Custode Hospitalis Hierosolymitani, & aliis ad Regem Francorum Ludovicum cognomento *Juniorem*.

ROBERTUS PULLANUS seu PULLUS quem alii Anglum, alii Gallum volunt, Gallicè *Robertus Poulain*, Doctus & Antiquus Theologus floruit in Gymnasio Parisiensi anno 1200 & ultrà, unde posteà ob morum præstantiam & doctrinæ simul eminentiam, elevatus est anno 1208 ad Archiepiscopatum Rothomagensem. Sacræ Militiæ nomen dedit contra Albigenses Hæreticos, unà cum aliis Præsulibus Gallicanis anno 1209, ut est apud Albericum & Petrum Vallis-Sernaii Monachum in Chronico cap. 62. Scripsit *libros 8 Sententiarum de Trinitate inscriptos*, quos cum Petro Pictavienſi ex Ms. Codice anno 1655 evulgavit Parisiis in folio Hugo Mathout Monachus Benedictinus Congregationis sancti Mauri. Huic rescripsit Innocentius III cap. 8 *ad reprimendam* de officiis Ordinarii, quatenus possit Archiepiscopus absolvere excommunicatum à suffraganeo. Moritur anno 1221, 4 Nonas Maii, sepultus in Cœnobio Mortui-Maris, Nonis ejusdem ménsis. Vide Historiam Universitatis Parisiensis sæc. XII & XIII, Sammarthanos in Gallia Christiana tom. 1 pag. 584 in Archiepiscopis Rothomagensibus. Summa ejus *de Trinitate*, Ms. olim in Bibliotheca Gualteri Copi Armigeri, seu Nobilis Angli cod. 41.

HONORIUS III. Papa Romanus, scripsit 1220.
Collectionem Decretalium Epistolarum, editam ex Mss. Tolosæ in folio anno 1645 ab Innocentio Cironio cum Notis ibidem, & cum aliis opusculis ejusdem Cironii ad jus civile spectantibus. Sedit Honorius III. anno 1216 post Innocentium tertium, obiit anno 1227. Hæc compilatio seu collectio Decretalium computatur quinta ex vetustis evulgatis.

ANTONIUS DE PADUA, natione Lusitanus, origine Ulyssipponensis, *de Padua* ex sepulturæ loco nuncupatus, ex Canonico Regulari sancti Augustini Conimbricæ, factus Minorita, primus (ut volunt) Ordinis Minorum Theologiæ Professor, multa scripsit de quibus abunde agunt Bellarminus & Labbeus in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*; hic ad annum 1231, ille tom. 1 pag. 94 & 95, & doctissimus Lucas Vvaddingus in Bibliotheca Ordinis Minorum pag. 345, quos consulas. His adde, cum plurimos scripserit Sermones Antonius de Padua qui variis temporibus & locis impressi sunt, Parisiis nempe anno 1521 per Badium Ascensium, Venetiis in 8° anno 1575 apud Joannem Antonium Bertranum, ac Parisiis anno 1641 ex Officina Caroli Rouillard: nuperrimè tamen his supplementum adjecit Antonius Pagi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Doctor Theologus, desumptum ut mihi dixit, ex Bibliothecæ Florentinæ Fratrum Minorum codice Ms. impressum in 8° anno 1684 Avenione apud Petrum Offray, carta ac prælo pessimis. Inscriptum illud, *Sermones de sanctis in particulari*, *Sermones de diversis*. Vidi ac legi nonnullos, qui mihi omnimode simplices ac

jejuni esse videntur, unde nisi grandioris meriti alia sancti Antonii Paduani Opera fuerint, erat convenientiùs latêre in Bibliotheca modicas ejusmodi merces, quàm in publicum evulgari. Sanè qui majori Scriptorum mole Patres opprimuntur, non ii semper inde majorem reportant gloriam, nisi respondeant evulganda, conceptis de Auctore opinionibus. Mortuus est Antonius Patavii anno 1231 die 13 Junii, ubi ingens Templum ejus nomini & corpori extructum; de quo plura Bellarminus, Labbeus & Vvaddingus locis citatis, post Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, eundem Vvaddingum in Annalibus Fratrum Minorum.

EBERARDUS sive EVERARDUS Bethunienſis in Artesia, vulgò dictus est *Græcista*, eò quòd librum *Græcismi* titulo scripserit, *De Figuris deque Octo partibus Orationis*, de quo hi versus extant:

Anno milleno centeno bis duodeno,
Condidit Ebrardus Græcismum Bethunienſis.

Hic liber fuit olim in pretio, & extat typis in 4° editus, cum Doctrinali puerorum Alexandri de Villa-Dei: sed apud hodiernos cultioris Latinitatis Grammaticos, nullius jam utilitatis est. Scripsit & Tractatum contra Valdenses Hæreticos, quem Jacobus Gretzerus Societatis Jesu an. 1614 in 4° Ingolstadi edidit. Ejusdem Ebrardi *Elementa Grammaticæ* manuscripta asservantur Lovanii in Bibliotheca sancti Martini. Item *Proverbia Senecæ in Poësim versa*, manuscripta in Bibliotheca Collegii Caii Cantabrigiæ cod. 147.

PREPOSITIVUS insignis hoc tempore Parisiensis Theologus, quem sanctus Thomas interdum allegat in Summa sua Theologica, scripsit *Summam Theologicam Scholasticam ex dictis Sanctorum Patrum*, quæ quidem huc usque impressa non fuit, sed manuscripta legitur & volvitur in nonnullis Bibliothecis; in Regia nempe Gallica, & sancti Victoris Parisiensis, Oxonii in Bibliotheca Collegii Balliolani Cod. 188, in Oriatensi Cod. 57, cujus initium, *Qui producit, &c.* & in Bibliotheca Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracensis in Belgio, pulpito 12. Denique in Bibliotheca FF. Augustinianorum Eremitarum Cremonæ. Plura de Prepositivo in Historia Universitatis Parisiensis, quæ multis voluminibus edita est.

RIGORDUS Chronographus Regius, natione Gothus, professione Physicus, sancti Dionysii Clericorum Minimus, ut seipsum in præfatione nuncupat, *Gesta Philippi Augusti Francorum Regis* solutâ oratione descripsit, & Ludovico VIII Augusti filio ac successori dicavit. De *ejusdem Philippi Vita* Guillelmus Brito Armoricus libros undecim Philippidos nomine, versu heroico conscripsit. Isti duo Historici, cum Guillelmo de Nangiaco Monacho sancti Dionysii prope Lutetiam qui scripsit *Gesta sancti Ludovici IX. Francorum Regis, ejusque filii ac successoris Philippi Audacis* anno 1285 defuncti, & aliis aliquot Anonymis, anno 1596 Francofurti typis Vvechelianis primùm in lucem dati sunt, ex Bibliotheca Petri Pithoei. Continent autem *Historiam Francorum ab anno Christi nongentesimo usque ad annum millesimum ducentesimum octogesimum quintum:* hoc est, narrant extrema stirpis Carolinæ, & Cape-

tiorum Regum res gestas usque ad Philippum Augustum sancti Ludovici filium. Ex ejusdem Pithoei divite Bibliotheca jam antea prodierant *Scriptores Veteres duodecim Coætanei*, qui Caroli Magni, & ejus familiæ Regum Francorum gesta Litteris reddiderant. Iidem Rigordus & Guillelmus Brito sunt in Collectione Duchesniana, tomo ultimo.

1230. Hugo Floreffiensis Canonicus Ordinis Præmonstratensis in Episcopatu Namurcensi, floruit circa annum 1230, & scripsit jussu Joannis Abbatis Floreffiensis *Vitam sanctæ Ivettæ viduæ & reclusæ apud Huyum* Ditionis Leodiensis oppidum, anno 1227 mortuæ, quæ extat apud Joannem Bollandum ad diem 13 Januarii. Item & *Vitas Idæ Nivellensis & Idæ Leuvensis* Virginum & Monialium Ordinis Cistercienſis in Rameia Gallo-Brabantiæ oppido, quæ omnia extant manuscripta in Villario apud Gallo-Brabantos Monasterio, Ordinis Monachorum Cistercienſium. De Hugone Aubertus Miræus in auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 388 pag. 257 Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Bollandus suprà citatus, Auctor Bibliothecæ Præmonstratensis, ubi de Scriptoribus hujus Ordinis, quæ Parisiis in fol. anno 1633 impressa est apud Michaelem Soly, viâ Jacobæâ sub signo Solis, Antonius Sanderus in Bibliotheca Belgica, & alii.

Joannes de Abbatis-Villa cognomento *Algrinus*, Doctor Theologus Parisiensis, postea Ambianensis Decanus, & (ut Albericus scribit) anno 1225 Remis postridie sancti Lucæ consecratur in Archiepiscopum Bisuntinensem. Idem Anagniæ à Gregorio IX, qui cum in Scholis Pari-

sienſibus noverat, menſe Septembri anni 1227 Cardinalis creatur Epiſcopus, Tit. ſanctæ Sabinæ, ſtatimque ad prædicandam Cruciatam (ut vocant) contra Saracenos, mittitur in Luſitaniam & Hiſpaniam. Inde ab eodem legatur ad Fridericum II, quem ad amicas pacis compoſitiones adduxit. Hic adjecit *breves Notas ad Commentarium prolixum Thomæ Ciſtercienſis in Cantica Canticorum*, quorum prologus incipit: *Ad honorem Matris & Filii Cantica Canticorum expoſiturus, &c.* quas cum dicto Commentatio Thomæ duodecim libris diſtincto edidit in fol. Pariſiis anno 1521 Jodocus Badius Aſcenſius. Has autem breves Notas adjecit dicto Thomæ Commentario Joannes Algrinus, (niſi potiùs utrumque Commentarium ſimul jungere Aſcenſio pro captu placuerit) anno 1235, tempore Domini Gregorii Papæ IX, ut indicat citata Pariſienſis editio Aſcenſii. Scripſit etiam *Sermones de tempore ac de Sanctis* per annum, de quibus ita loquitur Henricus Gandavenſis in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 38. Joannes dictus de Abbatis-Villa, ex Magiſtro Theologiæ Pariſiis Archiepiſcopus Biſuntinus, & inde Romæ Epiſcopus Cardinalis, ſcripſit Sermones tam de Dominicis quàm de Feſtivitatibus. Lectiones Evangelicas & Apoſtolicas breviter expoſuit, poſt hæc Sermones valdè prolixos, tot inductis Scripturarum Sanctarum teſtimoniis, quòd vix poſſint memoriæ commendari. Habentur prolixiùs Mss. in Anglia Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Codice 40, & in Archivis Collegii Caii codice 41. Breviùs autem cum ſolis Lectionum Evangelicarum & Apoſtolicarum brevibus Expoſitionibus, Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolnienſis co-

dice 271, Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana codice 169, & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 155. Inveniuntur pariter in insignioribus Galliarum Bibliothecis. Reversus Romam obiit anno 1236 aut 1237, de quo vide Franciscum Chiffletium in Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum tomo primo, verbo *Bisuntinenses Archiepiscopi*, & Jacobum Chiffletium in opere inscripto; *Vesuntio Sequanorum Metropolis.*

GUILLELMUS Andrensis Cœnobii Abbas, Ordinis Divi Benedicti, in Diœcesi Tarvanensi seu Morinensi, floruit anno circiter 1230, qui scripsit *Chronicon sui Cœnobii*, quod usque ad annum 1227, impressum anno 1669 tomo 9 Spicilegii Lucæ Dacherii paginâ 338. At idem Chronicon Ms. Antuerpiæ apud Bollandistas seu Patres Societatis Jesu, ab anno 1082 usque ad an. 1234, ut ipsi dicunt tomo tertio mensis Maii pag. 80 in prolegomenis ad Vitam sanctæ Rictrudis.

PETRUS DE VINEIS Germanus, doctissimus Jurisconsultus, & Frederici secundi Cancellarius, Imperatoris hujus magnus Confidentiarius, claruit hoc tempore Romanis Pontificibus valde infensus. Scripsit *Tractatum de Potestate Imperiali*, *Epistolarum libros sex*, & alia à Fulgoso recensita, quæ anno 1609 Ambergæ in 8°, & Basileæ anno 1566 in 8, in Germania impressa sunt. Vide Collectionem Melchioris Goldasti, *De Jurisdictione Ecclesiastica & Civili.* Obiit anno 1249. Capuæ incarceratus, qui cùm contra Romanam Ecclesiam stolidus cœcusque mente oblatrasset; ab Imperatore cujus partes sectatus fuerat, aliam ob causam excœcatus interiit. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti extant manuscri-

pta *Dictamina M. Petri de Vineis* cod. 331, quæ ad hunc spectare possunt.

GERMANUS Secundus nomine, Patriarcha Constantinopolitanus, successit Emanueli anno 1222, & Sedem per viginti & septem annos tenuit, agens strenuè cum Gregorio IX. Summo Pontifice de legitimis mediis reconciliandæ Ecclesiæ Græcæ cum Latina. Scripsit *Theoriam seu Contemplationem rerum Ecclesiasticarum*, græcè & latinè Gentiano Herveto Aurelianensi Canonico Remensi interprete, tomo 12 magnæ Bibliothecæ Parisiensis pag. 375. *Encomium Deiparæ Virginis* in quatuor Sermones, quos habet correctiores Franciscus Combefis in Auctario Græco-latino Bibliothecæ Sanctorum Patrum anni 1648 tomo 1 paginâ 1464. Item Orationes ejusdem tres, una *in sacram Beatæ Mariæ Virginis Vestem*, altera *in Zonam B. Mariæ Virginis*, tertia *in memoriam Regiæ Urbis sæpius à Barbaris liberatæ interventu ejusdem Virginis*, quas habet idem Combefis in dicto Auctario. Item Homiliæ duæ *De sancta Cruce*, quas Jacobus Gretzerus edidit tomo 2 de Cruce, cum doctissimis Notis. Denique Homiliam scripsit *in sanctam Christi Sepulturam*, *dictam in die Magni Sabbati*, eodem tomo 1 dicti Auctarii pag. 1470 ad 1524. Hujus *Epistola* etiam est *ad Gregorium IX Summum Pontificem*, in Conciliis tomo XI pag. 318 ultimæ editionis, cum responsione Summi Pontificis. Item *Epistolæ duæ ad Cyprios, cum Epistola Neophyti inclusi de calamitatibus Cypri*, ex codice manuscripto Bibliothecæ Regiæ 2376, quas græcè & latinè edidit Joannes Baptista Cotelier tomo 2 veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ. De Germano isto

Juniore, Labbeus in libro de Scriptoribus tomo 1 pag. 350, dum de Seniore loquitur, qui ad annum circiter 720 floruit, mentionem facit. Illiusque Opera nonnulla recenset Aubertus Miræus in Auctario suo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 382 pag. 255, & alii qui Opera sub ejus nomine ediderunt. Porrò quod Aubertus Miræus dicit hunc Germanum fuisse *Schismaticum & acrem hostem Latini nominis*, non video ubinam hoc habere potuerit.

GUILLELMUS DE PODIO-LAURENTII, clarus circa annum 1230, scripsit *Chronicon* quod potissimùm agit *De Hæresi Albigensium, rebusque gestis ad eam pertinentibus*: Opus impressum primò Tolosæ in folio anno 1623, tum posteà missum in tomum quintum Collectanei Historicorum Franciæ Veterum, ab Andræa Ducheſnio collectorum, de quo jam sæpiùs locuti sumus.

PHILIPPUS GREVIUS seu *de Grevia*, Cancellarius Parisiensis, *qui Theologicæ Scholæ Parisiis gloriosè præfuit, scripsit Sermones de singulis Psalmis duos vel tres, quibus usque hodie multi utuntur, qui prædicationis officio vacare voluerint*. Hæc Henricus Gandavensis in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 50. Sunt autem Philippi Cancellarii *Sermones* cccxxx *in Psalmos Davidis*, impressi primùm Parisiis anno 1523 apud Badium Ascensium, & Brixiæ in Italia anno 1600 ex officina Petri Mariæ Marchetti. Item *Summa Sermonum Magistri Philippi Cancellarii Parisiensis*, Ms. cod. 2843 Bibliothecæ Colbertinæ, Parisiis. Idem scripsit *insignem Commentarium in Job*, Ms. in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis pulpito 14 num. 6. Item *super Evangelia*, Ms.

Cantabrigiæ

Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri codice 103. Attribuit etiam illi Thomas James in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi lib. 2 pag. 34 *Distinctiones*, ex manuscripto codice 72 ejusdem Domus sancti Petri : sed in eo codice inscribuntur tantùm *Distinctiones* Parisienses, unde ex conjectura addidit, *Fortè Philippi de Greves Cancellarii Parisiensis, qui dicebatur Parisiensis.* Principium, *Incipiunt adaptationes.* At illæ spectant ad Petrum Cantorem, qui sæpiùs dictus est Parisiensis quàm Philippus, cui alii codices Mss. idem Opus attribuunt, ut constat ex principio Operis. Plura de Philippo dabit Auctor Universitatis Parisiensis sæculo XIII, ubi ille cum merito & laude Cancellariam gessit.

CONRADUS Abbas Everbakensis Cœnobii Ordinis Cisterciensis, floruit anno 1230 vel circiter, & scripsit *sex libris seu distinctionibus Exordium Cisterciensis Ordinis*, quod Magnum appellatur ad distinctionem ab altero quod Parvum dictum est, ac tribuitur Stephano Cistercensi Abbati. Impressum utrumque tomo 1 pag. 1 & 13 Bibliothecæ Veterum hujus Ordinis Scriptorum, quam procuravit Bertrandus Tissier, apud Bonæ-Fontis Cœnobium editum.

FRIDERICUS secundus Imperator ab anno 1220 ad 1244, per annos plures pluribus actus discordiis; agitatus negotiis, scripsit nihilominùs libros *De arte venandi cum Avibus*, quos unà cum Additionibus Manfredi Regis, habes impressos Augustæ Vindelicorum anno 1596 in 8. Item *Jus Navale Friderici secundi*, impressum linguâ Saxonicâ, id est, vulgari Germanicâ Hafniæ anno 1572 in 8. *Variæ Epistolæ* inter Epistolas Petri de

Vineis, in Collectaneis Goldasti, in Miscellaneis Baluzii, & alibi.

FABIANUS, HUGELINUS, aliique Auctores Minoritæ circa hunc annum 1230 scribunt *Antiquitates Franciscanas*, seu *de Vita sancti Francisci & sociorum ejus*, Opus editum Coloniæ anno 1623 in 8, cum Castigatione Philippi Bosquieri, ejusdem Ordinis, apud Viduam Joannis Crithii. Lucas Vvadingus de his in Bibliotheca Ordinis Minorum pag. 292, ubi de Scriptis Philippi Bosquieri.

CÆSARIUS Heisterbacensis, in Valle Sancti Petri Monachus Ordinis Cistercienſis in Diœcesi Colonienſi, ætatè primâ Litteris operam dedit in Urbe Colonienſi. Anno 1188 Henricum Cardinalem & Episcopum Albanensem, quem Clemens III in Germaniam Crucis prædicandæ gratiâ miserat, in Basilica sancti Petri in eadem Urbe concionantem puer audivit, & plurimos cruce signantem vidit, ut ipse libro 10 Miraculorum cap. 44 narrat. Anno 1199 vestem Monasticam Heisterbaci induit, & ibi posteà succesſu temporum & meritorum Magister Novitiorum, & apud Gallo-Brabantes Prior in Villari extitit. Anno 1226 *Libros tres de Vita ac passione sancti Engelberti Colonienſis Archiepiscopi* scribere cœpit, & anno demùm 1227 tertium librum, qui totus est in miraculorum insigniorum enarratione, absolvit, quos habet Laurentius Surius mense Novembri. Hos etiam tres Libros Notis & auctario à se illustratos, Ægidius Gelenius ad S. Andræam Colonienſis Canonicus, anno 1633 eadem in Urbe edidit. Scripsit item Cæsarius per modum Dialogi *Libros duodecim de Miraculis & Visionibus suo*

tempore in Germania potissimùm factis, Coloniæ olim impressos anno 1591 in 8, quos iterùm habes editos tomo 1 Bibliothecæ Veterum Scriptorum Ordinis Cistercienſis, de qua jam sæpiùs locuti sumus. Hoc in Opere quàm simplex fuerit Cæsarius in credendo, quàm facilis in scribendo; nullus negabit qui ejusmodi Monachalem farraginem legerit, nullus leget qui non ad tantas fabulas riserit. Item *Homilias* scripsit super Dominicis totius anni, tribus partibus Coloniæ anno 1615 in 4° impressas, & correctas ab Andræa Coppenstein Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologo. De hujus libris tam impressis quàm manuscriptis ubundè narrat Carolus de Visch in sua Bibliotheca Auctorum Cistercienſium, & hæc omnia ipse Cæsarius particulatim enumerat *in Epistola sua ad Petrum Priorem loci sanctæ Mariæ*, quam Andræas Coppenstein præfixit fasciculo Moralitatis Cæsarianæ in Ubiis à se edito. Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 388 pag. 257, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*.

CONRADUS Marpurgensis in Germania, Ordinis Fratrum Prædicatorum, scripsit *Vitam sanctæ Elizabeth*, quam obtulit Gregorio IX Summo Pontifici, quamque habes in Simmictis Leonis Allatii pag. 269 anno 1653 Coloniæ impressis. Opus modicum, sed oculati testis, quod magni ponderis est.

ALEXANDER DE VILLA-DEI, Dolensis Aremoricus, de quo sic Henricus Gandavensis in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 59. *Alexander Dolensis scripsit metricè librum quem Doctrinale vocant, cujus libri in Scholis Grammatico-*

rum magnus usus est temporibus hodiernis. Florebat anno circiter 1230, scripsitque carmine Leonino Opus inscriptum *Doctrinale puerorum*, quo pueri utebantur ad linguæ Latinæ peritiam antequam prodiisset Opus Joannis Despauterii Ninivitæ in Flandria. Istud Doctrinale est sæpè impressum litteris Gothicis, sed Venetiis anno 1483, cum Explicatione Ludovici de Guaschis. Vixit usque ad annum 1240, si verus est in hac parte Joannes Trithemius.

ADAMUS Monachus primùm Ordinis Cisterciensis, tum Abbas Caroliloci in Diœcesi Silvanectensi; denique posteà Silvanectensis Episcopus, quem vocant *Adamum de Chamilly*. Evectus est ad hanc sedem mortuo Guarino ad annum 1230. Erexit Parochiam sancti Stephani secus Silvanectum an. 1232, adfuit Concilio apud S. Quintinum in Veromandia an. 1233, & Conc. Remensi an. 1235, nominaturque 1239 & 1240 in Actis Thesauri Regii. Scripsit *insigne Opus Sermonum*, quod ego vidi manuscriptum in Bibliotheca Cœnobii Longipontis Ordinis Cistercienſis, incipiens ab his verbis: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post multa tempora invenies eum.* Idem Concilio Lugdunensi adfuit anno 1245, & dedicationi sancti Sacelli Parisiensis 1248. Quo eodem anno recensetur in Instrumento Transactionis factæ inter Regem Ludovicum & Ecclesiam Parisiensem, coram Philippo Bituricensi & Joanne Ebroicensi Episcopis. Obiit circa annum 1250 duodecimo Kalendas Septembris in Necrologio Abbatiæ Beatæ Mariæ de Victoria, & jacet in Choro Caroli loci.

1240. GUILLELMUS Diaconus, & anteà Judæus, sancti Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi, à quo

ad Christianam fidem conversus est, Discipulus ac susceptitius, post conversionem scripsit Opus inscriptum : *Bellorum Domini contra Judæos, & Saducæos Judæorum Hæreticos, libris duobus.* Incipit hoc Opus, *Per Allegorias Librorum Veteris & Novi Testamenti*, desumptas ex principio & fine cujuslibet libri, cum Allegoriis de quinque sensibus, Sermone de Passione Domini & Confessione de Corpore & Sanguine Christi. Hinc incipit prologum suorum Librorum, his verbis, *Omnibus in Christo credentibus Guillelmus Christi Diaconus, olim Judæus, salutem in Domino. Per admonitionem beati & eximii Confessoris Guillelmi Bituricensis Archi-piscopi, nuper veniens de umbra veritatis ad lucem, quæ videlicet per fidem Evangelicam illuminat omnem mundum, &c.* Liber primus incipit, *O Judæi! qui usque ad hodiernam diem, &c.* Liber 2. *Hæretici dicuntur ab hæresi, id est, Electione, &c.* Creditur vixisse usque ad an. 1240. Deceptus est Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Petrus Paludanus*, dum Opus istud dicto Paludano attribuere voluit, extatque hoc Opus manuscriptum inter paucos manuscriptos codices, in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, majoris (ut vocant) Conventus Parisiensis.

NICEPHORUS BLEMMYDA Monachus & Presbyter floruit anno 1240 sub Joanne Duca, amicus Latinorum, quorum causam Scriptis suis tuitus est. Extant pleraque ejus Opera græcè manuscripta in Bibliotheca Vaticana, atque in Bavarica cod. 108 habentur. *Nicephori Blemmytæ Monachi & Presbyteri Introductionis Dialecticæ & Physicæ Libri duo. Ejusdem Encomium in Joannem Evangelistam. Ejusdem Oratio de anima, ejusdem*

Oratio de corpore. Ejusdem enarrationes in aliquot Psalmos, ejusdem de Fide, de Virtute & Religione. Præter hæc atque ex his, *Nicephori Blemmydæ Lib. de Processione Spiritus sancti græco-latinè per Leonem Allatium*, in tomo primo Continuationis Raynaldi Romæ in fol. anno 1646. Item *Nicephori Blemmydæ Epitome Logica & Physica ante annos* 370 *conscripta*, & edita græcè à Joanne Vvegelino in 8° anno 1605 Augustæ Vindelicorum. Facit mentionem Nicephori Blemmydæ Nicephorus Gregoras libro 5 Historiæ, atque ex recentioribus Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2 pag. 138, ubi Mss. in variis Bibliothecis extantia narrat.

MONETA Cremonensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ampliùs eo cognomine notus quàm nomine proprio, claruit anno circiter 1240. Hic in sæculo Professor Artium Bononiæ, à Reginaldo in Ordinem FF. Dominicanorum admissus, scripsit *utilem Hæresibus eradicandis Summam*, adversùs Hæreticos Catharos, & alios, quæ manuscripta extat tum Neapoli, tum Bononiæ in Cœnobiis ejusdem Ordinis. De Moneta Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2 pag. 451, & Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana*, ad annum 1222, ubi eum appellat *Beatum*, pro more Regularium, præsertim verò Mendicantium, qui uno calami ductu Beatos etiam plurimos conficiunt.

ALVARUS DE LUCIA & MENDOZA Miles Calatravensis, jubente Jacobo secundo Aragoniæ & Valentiæ Rege, circa annum 1240, *Constitutiones Militum Mentesiæ* in scriptum redegit, quas cum aliis ejusmodi Militum seu Militarium Or-

dinum Constitutionibus habes impressas cum privilegiis Ordinis Cistercienſis, anno 1630 Antuerpiæ à Moreto excusis.

LUCAS TUDENSIS in Hiſpania Epiſcopus, patriâ Legionenſis fuit, vir ardentis ingenii, qui Romam, Constantinopolim, Cyprum & Hieroſolymam præſens luſtravit. Hic Gregorio IX Summo Pontifice ſedente *Sancti Iſidori Chronicon* locupletavit ac produxit ad ſuam ætatem, ſtilo magis gravi quàm nitido. Id Opus à pleriſque Iſidori nomine per errorem allegatur, cùm ſit ejus minima ex parte, multaque ſint addita & continuata, vix ut antiqua dignoſci poſſint, niſi cum Germano Iſidori Chronico conferantur. De illo Joannes Mariana lib. 12. de Rebus Hiſpaniæ capite 12 hæc: Lucas Tudenſis primùm Diaconus, « deinde Epiſcopus, Italiam & Orientis Provincias « Religionis eruditionisque ergo luſtravit, Roderico Præſuli Toletano æqualis, & in ſimili conſcribendæ Hiſtoriæ ſtudio verſatur, ingenio ſtiloque « non ineleganti, neque prorſus vaſto. *Hiſtoriam* « *edidit de Rebus Hiſpaniæ, ſancti Iſidori Chronico* « *inſerto*, unde opinio nata eſt primam ejus Operis « partem Iſidoro attribuentium. Præterea ſancti Iſi- « dori Vitam conſcripſit, & ſeparato volumine ipſius « Miracula, cujus voluminis pars altera in confutandis Albigenſibus conſumitur. Hæc Mariana « loco citato. Hiſtoria autem Lucæ Tudenſis habetur in Collectaneo Hiſpaniæ illuſtratæ, & *contra Albigenſes libri tres* habentur in Bibliotheca Sanctorum Patrum variæ editionis Colonienſis, Pariſienſis, Lugdunenſis. Item Lucas, multis hortantibus, tum *ſancti Iſidori Vitam, tum Miracula* juſto volumine conſcripſit, monente præſertim

Berengariâ Reginâ Ferdinandi Regis cognomento ſancti ſancta Matre, cui ut obtemperaret, in priore etiam Opere laboraverat. Quo in Opere Diaconum ſe ipſe vocat in præfatione, his verbis: *nos verò ad libros Chronicorum à Doctore Hiſpaniarum Iſidoro editos, manum mittimus; ſecundo libro quoſdam alios Hiſpanorum Regum & aliorum quorundam ſeriem perſequendo, præcepto glorioſiſſimæ Hiſpaniarum Reginæ Berengariæ omni deſiderio deſiderantes fideliter ſatisfacere: ipſa enim mihi Lucæ indigno Diacono, ut hoc perficerem imperavit.* Poſteà verò Epiſcopum Tudenſem creatum fuiſſe in confeſſo eſt, atque in ea urbe ſepulchrum ejus monſtratur, *B. Petri Gonſalvi* ex Ordine Prædicatorum quem olim viventem coluerat, ſepulchro olim conjunctum; uti ipſe moriens teſtamento fieri mandaverat. Fuit etiam Roderico Semeno Toletano Archiepiſcopo fermè æqualis, Heliæ autem familiaris, ei qui à ſancto Franciſco inſtitutum Ordinem (eo abdicante ac concedente) gubernandum ſuſcepit. Nam quæ ab eo audiverat, ipſe commemorat, non abſque honoris præfatione. Sic ferè Mariana in ſuis Prolegomenis ad eundem Lucam Tudenſem. Habetur *Vita S. Iſidori Hiſpalenſis & Miraculorum ejus* apud Bollandiſtas ad diem 4 Aprilis, & ſæculo 2 SS. Ordinis Divi Benedicti. Hæc Aubertus Miræus paucis à me additis, in Auctario De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 390 pag. 258.

RICHARDUS à ſancto Laurentio Canonicus & Archidiaconus Eccleſiæ Rothomagenſis, ſcripſit inſigne opus lib. 12 diſtinctum, egregium ſanè atque *omnimodas Beatæ Virginis Matris Dei Mariæ laudes* cumulatè continens. Hoc opus allegat

fæpius cum insigni encomio Aloysius Novarinus *in Umbra Virginea*, impressa in fol. Turnoni anno 1640 apud Laurentium Durand. Qui tanto fæpius ac liberius id facit, quòd asserat se primum habuisse notitiam hujus Scriptoris & Operis, cujus penes se Ms extabat. Impressum olim fuit, atque hujus impressi exemplar in Bibliotheca Franciscanorum de Bernaïo in Normannia, sub hoc titulo: *Dominus Richardus à sancto Laurentio qui ante 400 annos floruit, de laudibus Beatæ Virginis libri duodecim.* Præfatio ad Lectorem hujus editionis, advertit eum etiam fuisse Beatæ Mariæ Rothomagensis Pœnitentiarium, sequentibus verbis: *Richardus à sancto Laurentio vivebat circa annum* 1230, *Pœnitentiarius Rothomagensis.* Legitur in Catalogo Decanorum Ecclesiæ Rothomagensis circa idem tempus; unus Richardus Decanus adhuc vivens anno 1239, an idem sit, affirmare nolim. In processu verbali visitationis ab Odone Clement Rothomagensi Archiepiscopo factæ, & ordinationum pro Reformatione Capituli Andelicensis anno 1245, leguntur præsentes & testes Magistri *Richardus de sancto Laurentio*, *Richardus de Salmonville*, *Robertus & Reginaldus* Canonici ejusdem Ecclesiæ. Hoc autem Opus vel Anonymum inventum, vel avulso primo folio ex veteri impressione de qua suprà, placuit tandem Dominicanis ultimam editionem Operum Alberti Magni procurantibus, inserere proprio sensu in dictam collectionem Operum Alberti. Hoc detexit post Novarinum expressè Labbeus tom. 1 *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 31, restituitque libros legitimo parenti Richardo à sancto Laurentio. Hos eosdem Laurentio adscribit libros Theo-

phylus Raynaudus ejusdem Societatis, *in Nomenclatore Mariano*, quos perpetuò citat: idémque Hyppolitus Maraccius, in Opere *De Scriptoribus Marianis*. Porro quam allegat loco citato Labbeus hujus operis editionem factam Duaci ex antiquis Mss. anno 1625, opinarer falli, (licèt non affirmem) nullamque aliam inveniri nisi veterem, quæ Duaci forsitan anno 1525 contigit. Hæc nos ex Historia Gallica Ecclesiæ Rothomagensis lib. 2 cap. 23 pag. 283, quam edidit in 4° Parisiis Franciscus Pomerallius Benedictinus Monachus, congregationis sancti Mauri in Gallia.

GUALTERUS CORNUTUS Simonis Cornuti Domini Villæ-Novæ prope Monasteriolum oppidum filius, ex Decano Parisiensi creatur Archiepiscopus Senonensis anno 1223, uti asserit Albericus in Chronico, & Guillelmus Brito Philippidos lib. 12. Assumitur autem à sancto Ludovico cum Bernardo Episcopo Anicienſi & nonnullis Toparchis, ut in occursum Spineæ Coronæ properaret, quæ Constantinopoli Venetiis oppignerata, tandem pecuniâ restitutâ Rege tam pretiosum donum acceptante redempta fuerat. Scripsit igitur *hanc Historiam Coronæ Spineæ D. N. Jesu Christi*, ab urbe Constantinopoli in Galliam anno 1239 advenientem, impressam tom. 5 Historicorum Franciæ veterum, in collectaneo Andreæ Ducheſnii. Obiit anno 1241 die 20 Aprilis, conditus in Choro Metropolitanæ Ecclesiæ. Qui plura cupit, volvat Fratrum Sammarthanorum Galliam Christianam tom. 1 pag. 637, ubi insigne ejus elogium inveniet, cum Epitaphio quod ejus lapidi sepulchrali adscriptum est.

ALBERICUS Monachus Ordinis Cistercienſis

in Cœnobio Trium-fontium, scripsit *Chronicon* quod in gestis anni 1241 desinit, quod brevi edendum sperabat Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 403 pag. 262, ab Andræa Ducheſnio, cum Historia Episcoporum Virdunensium & Abbatum sancti Vitoni conscriptâ à Laurentio Monacho, & aliis id genus monumentis antiquis. Fefellit spem Auberti Miræi series temporum, nam Historiâ Laurentii Monachi de Virdunensibus Episcopis impressâ in Spicilegio Lucæ Dacherii tom. 12: remansit hucusque in tenebris & pulveribus Bibliothecarum Chronicon Alberici, quod tamen extat Ms. in Bibliotheca Parisiensi Regia cod. 5162 incipiens ab his, *Anni 1646 qui sunt à creatione Adæ usque &c:* in Colbertina, & Claromontana Soc. Jesu, ubi Philippus Labbeus habebat illud editioni paratum.

Ricerus natione Italus, ex Marchia oriundus, unus ex sancti Francisci Sociis, brevi tractatu explicuit, *quomodo homo possit citò pervenire ad agnitionem veritatis.* Extat Lovanii 1554 editus, cum aliis ejusdem argumenti.

Ægidius Assisias, unus ex primis Fratribus Ordinis Minorum, sancti Francisci similiter Socius, scripsit *verba Aurea* Antuerpiæ 1534 excusa & alibi: cujus plura opera recenset Rodulfus lib. 1 Historiæ Seraphicæ, quæ nondum edita sunt. Quidquid autem illius est editum, habetur cum Ægidii vitâ apud Bollandistas ad diem 23 Aprilis. Obiit anno 1262 die prædicta, de quo plurima Bollandistæ citati ad diem præfatam.

Alexander Halensis Anglus sic cognominatus ab *Hales* Monasterio Comitatus Claudio-

Ceſtrenſis ſeu Cloceſtriæ, ubi in juventute evaſit omnium humanarum ac divinarum ſcientiarum præſidiis inſtructus. Claruit autem ſucceſſu temporum in celeberrima Academia Pariſienſi circa annum 1230, unde poſtea calcatis omnibus ob Chriſtum, ſpretis ſæculi ſpebus ac vanitatibus, tranſiit ad Ordinem pauperum Fratrum Minorum, quem tunc temporis eximia ſanctitas venerabilem orbi ac omnibus Occidentalibus cariſſimum effecerat. Hic primus Ordinis Minorum Doctor, ſi credimus Labbeo in Opere *De Scriptoribus Eccleſiaſticis Bellarminianis* tom. 1 pag. 36, ubi de ipſo parcè ſatis agit, quanquam paucis multa contineat: ac juxta eundem ibidem & Lucam Vvaddingum in Bibliotheca Fratrum Minorum pag. 8 ac tom. 1 Annalium ad annum 1245, *Sanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis in Theologicis Præceptor*, dictus *Doctor irrefragabilis & fons vitæ*. Hoc *Myſterium*, ſeu *Magiſterium* ſanctorum Bonaventuræ ac Thomæ Aquinatis, clamitant omnes Franciſcani, negantibus protervè, immò rationabiliter etiam Dominicanis, de quibus nos poſtea. Agunt autem de Scriptis Alexandri Halenſis citati Labbeus ac Bellarminus, quibus addere pauca Halenſem commendantia non otioſum, nec forſitan injucundum fuerit. Itaque præter recenſita à Bellarmino & Labbeo ſcripſit *in Evangelia libros quatuor*, qui habentur Mss. in Bibliotheca Ambroſiana Mediolani. Convenit Poſſevinus, dum ſcribit ſe vidiſſe Romæ apud Cardinalem Sarnanum, hujus Auctoris tomos quatuor Mss. *in D. Marcum, in Lucam, & in omnes D. Pauli Epiſtolas*, quorum exemplar in prædicta Biblotheca Ambroſiana.

Commentarii autem *in omnes D. Pauli Apostoli Epistolas*, extant etiam partim manuscripti Oxonii in Bibliotheca publica.

Scripsit etiam Commentaries, *in Isaiam*, *in Jeremiam*, *in Ezechielem*, *in Danielem & in duodecim Prophetas Minores*, quos adservat Mss. Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensis: asservat & Gallia nostra cod. 429 clarissimæ Bibliothecæ Colbertinæ, ut constat ex illius Catalogo. Quod verò spectat *ad Destructorium vitiorum*, quod Alexandro Halensi nonnulli tribuunt: Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro* verbo, *Alexander Anglus*, & verbo *Alexander Halensis*, subdubitare videtur, an hujus sit illud doctum & proficuum opus, quod *Destructorium vitiorum* nuncupatur. Et quidem Pitsæus in Appendice Scriptorum Angliæ, illud attribuit Alexandro Anglo, quod ait prodiisse Venetiis anno 1582. Sed impressum pariter Nurembergæ anno 1496 in folio apud Antonium Koberger, sub cujus finem impressionis ait, opus compositum fuisse à quodam Fabri Lignarii filio, qui ob humilitatem voluerit reticere nomen suum. Unde Alexandri Halensis ligitimus esse partus non videtur, neque certò scias cui sit adscribendum. Hæc Vvaddingus in Bibliotheca Minorum. At meo quidem sensu argumentum ejusmodi valde infirmum est, quasi Alexander Halensis non potuerit esse hujus Fabri Lignarii filius; vel quotquot docti hoc tempore Franciscanam professi paupertatem, fuerint aut Nobilium aut Principum filii? Summa ista destructoria vitiorum, alludit rectè, cum summa de virtutibus, quam dictus Halensis composuit.

Jam veniamus ad *Mysterium* & *Magiste-*

rium simul sanctorum Bonaventuræ, & Thomæ Aquinatis, quod competere Alexandro Halensi scribunt Lucas Vvaddingus tam in suis Annalibus Ordinis Fratrum Minorum tom. 1 anno 1245, quam in Bibliotheca Scriptorum ejusdem Ordinis pag. 8 & 9 : Labbeus in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tom. 1 pag. 36 : atque cum eis multi. Probant assertionem suam isti, vel hujus sententiæ Auctores, maximè ex Epitaphio, quod hodie legitur in Conventu Minoritarum Parisiensium ad tumulum Alexandri Halensis, ubi dicitur Magister sanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis. Scripsit nuperrimè de hoc argumento doctam Dissertationem in contrarium Natalis Alexander Ord. Fratrum Prædicatorum, editam in 8° apud Antonium Dezallier anno 1680 viâ Jacobæâ sub signo Coronæ Aureæ, ubi meo quidem sensu rectè probat Alexandrum Halensem mortuum anno 1245 nunquam fuisse Magistrum sancti Thomæ Aquinatis qui anno circiter 1243 dabat primam Operam Theologicis studiis Coloniæ Agrippinæ sub Alberto Magno : atque ex ratione Chronologica, evincit meram hanc fabulam à Franciscanis ad majorem Halensi conciliandum honorem, gratis compositam. Longè tamen insigniorem dissertationem obtulisset Alexander, si rationi quam habet, modestiam atque humilitatem aptasset. Vidi enim unum ac plures viros doctos & graves, Alexandro amicos, sed militarem hanc (inquiebant) scribendi rationem improbantes, appellantesque dissertationem istam *Dicterium ac perpetuam in Franciscanos ironiam*: Ita compertum, ut nullus omnibus placere possit. Quantùm autem ad Epitaphium quod hodie

legitur Alexandri Halensis, contendit Alexander Dominicanus *venerabile illud Antiquitatis monumentum*, anno 1628 non esse vetustius, quò à Fratre Benigno Genuensi, Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro positum est. Ita Natalis Alexander Dissertationis suæ pag. 68, ubi multa acerba in Franciscanos projicit, quibus supersedeo referendis. Unum dicam; simpliciter & absque amplexu partium, audax esse facinus ejusmodi modernorum antiqua Epitaphia supprimentium, ut novitates suas intrudant: longèque venerabiliorem esse antiquitatem, etiam minùs eloquentem; quàm comptam, prurientemque auribus novitatem. Cæterum Epitaphium vetus Leoninis versibus editum, & Alexandri Halensis tumulo statim ab ejus obitu inscriptum, non narrat Halensem Alexandrum fuisse præceptorem sancti Thomæ Aquinatis. Nam prisca simplicitate conspicui Fratres Franciscani hujus sæculi, quam à Seraphico Patre Francisco hæreditario jure hauserant, ducebant religioni non ornare falsis honoribus, Doctorem veris titulis insignitum. Sic porro habet antiquum istud à Vvaddingo relatum in Annales Franciscanos Epitaphium, & in suam etiam Bibliothecam Ordinis Minoritarum fol. 9.

Inscriptio vetusta sepulchri Alexandri Halensis:

Clauditur hoc Saxo famam sortitus abundè
Gloria Doctorum, decus & flos Philosophorum,
Auctor Scriptorum vir Alexander variorum.
Norma modernorum, fons veri, Lux aliorum;

Inclitus Anglorum fuit Archilevita, ſed horum
Scriptor Clerorum, Frater Collega Minorum
Factus Egenorum; ſed Doctor primus eorum.

Et ibidem:

Si quis honos meritis, ſi qui virtute colantur,
Hunc animo præfer; hunc venerare Patrem.
Nec ſorde & culpâ, pigriter per otia deſis
Nanciſci ſtudio, quæ Minor iſte refert.

Advertit præterea Natalis Alexander in citata Diſſertatione pag. 89 *Commentarium in 4 Sententiarum libros* quem Auctor Anonymus *Firmamenti trium Ordinum*, & Lucas Vvadingus in Bibliotheca *Scriptorum Ordinis Minorum* tribuunt Alexandro Halenſi, tanquam *à Summa* diverſum; eſſe idem omnino Opus cum *Summa*. Quod probant (inquit) invictè manuſcripta duo Bibliothecæ Victorinæ Pariſienſis, quorum alterum *textum Magiſtri Sententiarum* cum Summa Alexandri Halenſis exhibet: Ad calcem verò ſummæ iſtius Ms. hæc leguntur, *Tabula hic contentorum. Primus liber Sententiarum, ſive Summæ Theologiæ Domini Alexandri de Halis, in cujus foliis ſequentibus hæc habentur, &c.* Quæſtiones percenſet hic Index, quæ prima & ſecunda parte Summæ continentur. Tertia verò parte hæc leguntur: *Tertius liber Sententiarum, ſeu Summæ Theologiæ, quem compoſuit Magiſter Alexander de Halis, in cujus libri foliis ſequentibus hæc habentur; &c.* Commentarios itaque in quatuor libros Sententiarum, Lugduni, ut refert Poſſevinus *in Apparatu Sacro*, ſub nomine Alexandri Halenſis

lensis anno millesimo quingentesimo decimo quinto excusos, alterius Auctoris fœtum esse compertum est. Non nescio Pitseum testari Ms. in 4 libros Sententiarum Alexandri Halensis Commentarium in Collegio Cantabrigiensi sancti Petri asservari: sed si accuratiùs illum inspexisset expendissetque, commentarium illum Summam ipsam esse textui Magistri Sententiarum adjunctam, facilè animadvertisset. Hæc Natalis Alexander, digna notatu.

Obiit Alexander Halensis anno 1245, sepultus Parisiis in magno Conventu sui Ordinis in Ecclesia ex opposito Crucifixi, cui appositum est Epitaphium de quo supra. Atque ut opinor, translatum postea sepulchrum in Capitulum Fratrum, utcunque à terra elevatum, cum Epitaphio recenti quod anno 1628 cum lapide novo sepulchrali appositum fuit, mandante F. Benigno Genuensi Ordinis Fratrum Minorum Generali. Qui plura vult, adeat citatos Possevinum *in Apparatu Sacro*, Bellarminum *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1245, Vvaddingum *in Annalibus* & *Bibliotheca* Ordinis Fratrum Minorum, Historiam Universitatis Parisiensis sæculo XIII, & alios.

GODEFRIDUS Monachus sancti Pantaleonis Colonienſis Ordinis Divi Benedicti, scripsit *Chronicon* quod incipit ab anno 1162 usque ad annum 1237; quod Marquardus Freherus edidit in suo Collectaneo veterum Historiæ Germanicæ Scriptorum tom. 1 pag. 239 editionis Francofurti 1600 & seqq. Claruit anno 1240 sub Frederico II & aliis Imperatoribus.

JACOBUS DE VITRIACO Episcopus Acco-

nensis & S. R. E. Cardinalis, de quo Bellarminus & Labbeus in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis. His addo quantùm *ad Sermones Jacobi Vitriacensis* impressos in folio anno 1575 Antuerpiæ apud Viduam & hæredes Joannis Steltii, esse tantùm impressas eorum quatuor partes, quæ spectant ad Sermones de tempore; sed *quintam partem quæ de sanctis est, & sextam quæ de variis hominum statibus*, cum aliis etiam partibus haberi Mss. sex vol. in folio, in Bibliotheca Alnensi Ordinis Cistercienſis Episcopatus Cameracensis, in Dominio tamen Leodiensi temporali, ubi eas vidi ac tenui. De aliis eorumdem Sermonum Mss. Codd. agit Antonius Possevinus in Apparatus Sacri Appendice, verbo *Jacobus Vitriacensis*, ad calcem tomi primi. Ejusdem insignis Epistola scripta anno 1219 ad Papam Honorium tertium tom. 8 Spicilegii pag. 373. Obiit Jacobus anno 1244 die 30 Aprilis, cujus ossa & cineres relata ad Abbatiam Oigniacensem, & condita in sepulchro, quod ibi magnificè extructum fuit.

RODERICUS SEMENUS vel XEMENUS Patriâ Navarrus seu Vasco, anno 1208 Episcopus Toletanus est electus. Anno proximè sequenti ejus hortatu, publicum Sapientiæ Gymnasium ab Alfonso Rege, Palentiæ est constitutum, ad Juventutem Litteris & humanitate informandam, artium Professoribus Galliâ atque Italiâ convocatis: quæ Academia inde posteà Salmanticam à Ferdinando Alfonsi nepote anno 1239 translata est. Scripsit *Historiam Hispaniæ libris IX*, non omnino inelegantibus, quam habes in Collectaneo Hispaniæ Illustratæ, cum Notis Andreæ Schotti Societatis Jesu. Anno demum 1245 vi-

vere desiit, Hortæ quæ est Monachorum Ord. Cistercienſis Cœnobium in Aragoniæ finibus, honorificè conditus : ubi ad aram maximam Cippus monstratur, cùm inscriptione hac : *Mater Navarra, Nutrix Castella, Schola Parisius, Sedes Toletum, Hortus Mausoleum, Requies Cœlum.* Semper in Hispania vivet Auctoritas Roderici, memoria vigebit, cujus defuncti Manibus in pluribus maximi Templi Toletani Sacellis ad hanc diem parentatur; aliquot Sacerdotiis ejus jussu atque impensâ, eam ob causam constitutis. Plura in laudem ejus Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 392 pag. 259, à quo hæc accepimus per compendium : Andræas Schottus qui ejus Historiam evulgavit, & alii omnes qui scripserunt de rebus Ecclesiasticis Hispaniarum.

JOANNES SEMECA Teutonicus, postea Præpositus Ecclesiæ Halberstatensis, dicitur à sancto Antonino in Summa, *Auctor Glossæ Communis in Decretum Gratiani*, sæpius cum Gratiani Decreto impressæ. Obiit anno 1245, ut constat ex inscriptione tumuli.

ALBERTANUS Brixiensis Causidicus, de ore sanctæ Agathæ, Capitaneus Gavardi, (inquit Ms. Codex ejusdem cum illo ætatis) qui conjectus est in carcerem à Friderico II. Imperatore, quando capta est Brixia quam defendebat ad communem utilitatem patriæ, clarebat his temporibus. Scripsit *librum De Dilectione Dei & proximi & aliarum rerum de formula vitæ* anno 1238, ad Vincentium filium suum, quem in Mss. tripartitum vidi. Item *librum De Consolatione & Consilio*, anno 1246 quando carcere detinebatur ad Joannem

filium suum, capita 35 continentem. Denique brevem *librum De Doctrina loquendi & tacendi* ad Stephanum filium suum, sex tantùm capitibus comprehensum. Hæc omnia vidi Mss. in Bibliotheca Dunensi Ord. Cisterciensis Brugis in Flandria, in Parchensi Abbatia prope Lovanium Ord. Præmonstratensis, in Valle sancti Martini Lovanii, & in Bibliotheca Canonicorum Regularium Tungrensium, demùm Oxonii in Anglia in Bibliotheca Magdalenensi cod. 161. Sed tandem inveni ac vidi impressos esse hos libros in 4° Cuneii (vulgò Coni) apud Pedemontanos per Magistrum Viotum De Dulcis anno 1507 die 4 Decembris. Sunt cum multis præli mendis, quæ facilè emendarentur impressione iteratâ, cujus unum exemplar vidi in Bibliotheca Domni-Martini Ord. Præmonstratensis in Artesia, dum illic anno 1680 excuterem cartas & antiquitates hujus Abbatiæ.

ÆGIDIUS Aureæ-Vallis Ordinis Cistercienſis in Ducatu Luxemburgensi Monachus, scribebat anno 1246 *Historiam suam de Episcopis Leodiensibus*, quam evulgavit anno 1613 Leodii Joannes Chapeaville, cum aliis ejusdem materiæ Scriptoribus.

GUILLELMUS Monachus sancti Martini Tornacensis Ordinis D. Benedicti, claruit circa annum 1246 scribens *Collectaneum Præclari Ordinis libris X. ex Scriptis Divi Bernardi Abbatis Claræ-Vallis*, quod inscripsit *Bernardinum* seu *flores ex operibus Divi Bernardi*, cujus Prologus incipit: *Cum non essem alicui exercitio magnopere occupatus, &c.* Incipit liber primus, *Quid est Deus?* De quo Joannes Mabillon tom. 1 Analect. pag. 319, ubi

citat Codicem Ms. Bibliothecæ Ciſtercienſis, ſed impreſſum eſt abſque nomine Auctoris ſub titulo Florum Divi Bernardi anno 1556 Lugduni apud Benedictum Rigaudum & Joannem Sangrinum in parvo 8°. Hoc opus fuit etiam editum olim in parvo 4° pulcherimo caractere & nitido, Pariſiis anno 1499 apud Philippum Pigouchet, cujus unum exemplar penes me eſt.

CONRADUS MOGUNTINUS, cognitus ſub nomine Conradi Epiſcopi, floruit anno 1240 & ultrà ſub medium ſæculi XIII, qui nunquam Moguntinenſis Archiepiſcopus fuit, ſed ſuccurſarius tantùm ac ſuppleturus vices Archiepiſcopi abſentis, vel nolentis fungi ſuis functionibus. Hic ſcripſit *Chronicon Rerum Moguntinarum* ab anno 1140 ad 1250, quod anno 1535 ab Hervagio primùm evulgatum eſt, tum impreſſum etiam anno 1569 Baſileæ, immiſſumque poſteà à Chriſtiano Urſtitio in ſuum volumen Hiſtoricorum Germaniæ pag. 567, editum Francofurti anno 1585 Vvecheliani typis. Ejuſdem *Chronicon vetus* cum Hiſtoricis Germanicis ex Bibliotheca Juſti Reuberi editis in fol. Francofurti anno 1584 iiſdem typis. De Conrado iſto Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 378 pag. 254 Bibliothecæ Eccleſiaſticæ, quem vult fuiſſe Archiepiſcopum Moguntinum ac mortuum Patavii in Bavaria anno 12 5. Sed abſurdè fallitur Aubertus Miræus in parte iſta, quamvis enim admittam cum Sammarthanis ac Miræo, fuiſſe Conradum quemdam Archiepiſcopum Moguntinum, qui mortuus ſit vel ex Miræo anno 1205, vel ex Sammarthanis anno 1202, quod ipſi optimè probant: attamen Conradus iſte hoc anno mortuus, non potuit ſcri-

bere res Moguntinas usque ad annum 1250, sicut scripsit Conradus de quo loquimur. Nisi velit Miræus suum Conradum fuisse Prophetam, qui scripserit aut præscripserit res futuras annorum quinquaginta post mortem suam: quod quàm lepidum sit cordato viro, judicent Lectores benevoli. Distinguendus est igitur Conradus iste Suffraganeus vel Chorepiscopus Moguntinus, qui res Moguntinas scripsit usque ad annum 1250, à Conrado verè Archiepiscopo Moguntino qui mortuus est anno 1202, de quo videndi Sammarthani tom. 1 Galliæ Christianæ pag. 355 & 356 in Archiepiscopis Moguntinis.

GUILLELMUS Patriâ Arvernus, Theologus & Philosophus insignis, vir admodum pius, ad Episcopalem Sedem Parisiensem electus anno 1228, damnavit anno 1240 articulos Theologorum quosdam Catholicæ fidei non conformes, vixit usque ad tertium Kalendas Apriles, mortuus feriâ tertiâ Majoris Hebdomadæ anni 1248 more Gallicano, aut 1249 more Romano, conditus in Ecclesia sancti Victoris Parisiensis cum Epitaphio tetrastico. Scripsit multa de quibus Bellarminus & Labbeus ex editione Venetâ anni 1591, sed emersit nuperrimè nova editio, curâ Domini Bartholomæi Ferronii Canonici Carnotensis & Theologi Sorbonici, Aureliæ anno 1674 duobus tomis in folio, quæ venditur Parisiis apud Ludovicum Billaine in Aula Palatii. His autem quæ jam impressa erant, addidit Ferronius aliquot insignes Tractatus, nempe *De Trinitate & Attributis divinis.* Item *De anima.* Item *Supplementum novi Tractatus de Pœnitentia.* Item *Tractatus duos De Pluralitate & Collatione Beneficiorum Ecclesiasti-*

corum : Quos omnes constat esse genuina Opera dicti Guillelmi Arverni, Parisiensis Episcopi ex fide Mss. Codicum. Addidit idem Ferronius *Opus ingens Sermonum de tempore & de Sanctis*, quos jam excusos scimus Parisiis anno 1638 in folio ex fide Ms. Codicis Bibliothecæ Cœlestinorum Parisiensium. Opinatus sum olim hos Sermones spectare ad Guillelmum Peraldum quem Lugdunensem vocant, & non ad Parisiensem, ac fefelliſſe Ms. Codicem Cœlestinorum Parisiensium. Hi igitur spectare mihi videbantur ad Guillelmum Peraldum Ord. Fratrum Prædicatorum, 1°. Quòd omnes qui agunt de Operibus Guillelmi Lugdunensis, recenseant hos Sermones, qui fuerunt semel & iterùm in Gallia impressi sub ejus nomine, antequam proderent sub nomine Guillelmi Parisiensis. 2°. Vidi Sermonum istorum exemplar Ms. in Bibliotheca Cuissiacensi Ord. Præmonstratensis sub nomine Guillelmi Lugdunensis, quod est ejusdem cùm auctore temporis. 3°. Guillelmus quidam Parisiensis Dominicanus, cujus edita postilla in Epistolas & Evangelia totius anni, Parisiis anno 1509 & Argentorati annis 1513 & 1521, his Sermonibus utitur sub nomine Guillelmi Lugdunensis, qui nullum excerpit Scriptorem Nicolao Lyrano recentiorem. Variant autem maximè impressiones veteres istorum Sermonum. Nam ut jam dixi, impressi sunt Parisiis anno 1638 in folio & Tubingæ anno 1499 in 4°, sub nomine Guillelmi Episcopi Parisiensis. At è contrario sub nomine Guillelmi Peraldi Lugdunensis Episcopi, ex editione Parisiensi anno 1494, apud Udalricum Gering & Bertoldum Rembold in 8°, & Lugduni anno 1567 in 8°; demum Coloniæ anno

1629 in 4°. Sunt itaque editiones oppositæ, & aliqui Codices Mss. aliis Codicibus, ut allegatus Cuissiacensis Cœlestiniano Parisiensi : sed quod me movet contra primam opinionem, ut hos opiner jam pertinere ad Guillelmum Arvernum Parisiensem Episcopum, illud magna multitudo Mss. Codicum ejusmodi Sermonum extantium in diversis Angliæ Bibliothecis, qui omnes uniformiter inscribuntur vel *Guillelmi Parisiensis* vel *Parisiensis* simpliciter, nomine Guillelmi suppresso. Ita Oxonii in Bibliothecis Collegii novi cod. 255, Magdalenensi codd. 30, 31, 32, 34, 56, Mertonensi cod. 135, Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 111. Nec omnia etiam vidit Ferronius, nec habuit in impressione suâ, quæ spectant ad Guillelmum Parisiensem. Si enim ingressus fuisset non ignobilem Bibliothecam Longipontis in Suessionensi Episcopio, vidisset insigne volumen in folio, sub nomine Guillelmi Parisiensis, continens *Commentaria in Cantica Canticorum & in Ecclesiastem*, de quibus loquitur Sixtus Senensis in sua Bibliotheca. Sic autem volumen incipit, *incipit insignis expositio Magistri Guillermi Parisiensis Episcopi super Cantica Canticorum. Liber Canticorum qui & Canticum amoris, & Sirasirim Hebraicè, id est Cantica Canticorum dicitur, &c.* Item, *Incipit expositio Magistri Guillermi Episcopi Parisiensis super Ecclesiastem. Ecce inquit Salomon Proverb. 22. descripsi tibi doctrinam tripliciter, &c.* Scripsit etiam *Tractatum contra Exemptiones* Ms. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 238, & in Mertonensi cod. 261. Vidimus etiam in aliquibus Bibliothecis *Commentarium in Matthæi Evangelium*, Ms. sub nomine nostri Guillermi Parisiensis, ad quem spectare etiam ex stilo co-

gnoscitur. Suspicionem ergo vel certitudinem injicit, esse Guillelmi Parisiensis eam de qua agimus explanationem in Matthæum : 1°. Quòd in ea Auctor cap. 6 ad ea verba : *Sed libera nos à malo*, ita scribat. *Homo qui vult ascendere in cælum, videns quia non potest aliter ascendere, nisi à malis hujus mundi liberetur, clamat : libera nos à malo, id est, à peccato originali & actuali & à desiderio hujus mundi, ut & temporalia & meipsum abjicere queam, & fiam pauper spiritu : quod totum fit per spiritum timoris, sicut superius expositum est plenius in Tractatu Virtutum.* Hoc autem, in Tractatu Guillelmi Parisiensis *De Virtutibus* legitur aliquoties, saltem quoad substantiam. 2°. Idem lib. *De Moribus* cap. 10 ipso initio capitis videtur allegare seu remittere ad suum quemdam Commentarium in Matthæum. 3°. Denique eum scripsisse in Matthæum volunt indices omnes apud Trithemium & Possevinum. Sed quia in omnibus editionibus hujus Commentarii *in Matthæum* qui sancti Anselmi Operibus attexitur, Theophilus Raynaudus Soc. Jesu Theologus advertit desiderari præfationem insignem ejusdem Commentarii, quam habet Codex Ms. Bibliothecæ Collegii Soc. Jesu Lugdunensis : hanc uti non ingratum Embolum repræsentavit ad calcem suæ editionis novæ Operum sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi pag. 457, Lugduni in folio anno 1630 apud Laurentium Durandum. Hæc in gratiam Guillelmi Parisiensis dicta sunto, ut unicuique proprium reddatur. Qui plura cupit, adeat Bellarminum & Labbeum in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quorum omissiones hic tantùm supplemus : Fratres Sammarthanos in Gallia Christiana tom. 1 pag. 444, ubi de Episcopis

De decem Præceptis, Ms. Oxonii in Bibliotheca Lincol cod. 14 & 38, Exonienſi cod. 24, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica codd. 118, 137 & 200, in Penbrochiana cod. 175.

Moralitates ſuper 4 Evangelia, Ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolana cod. 34, ſanctæ Trinitatis cod 15, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 26.

De pœnis Purgatorii, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 26.

De Pœnitentia, Ms. ibidem cod. 118.

Scala Voluptatis, Ms. ibidem cod. 130.

Summa Juſtitiæ, Ms. Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi cod. 14, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod 57, & Domus ſancti Petri cod. 89, & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 183 & 262.

Templum Domini, Ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenenſi cod. 33 & 160, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 118 & 133, Penbrochiana cod. 59 & 123, & privatim in Bibliotheca Lumleii cod. 183.

Teſtamentum 12 Patriarcharum, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 243, in Collegio ſancti Benedicti cod. 122, in Penbrochiana cod. 123, privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 208, & Gualteri Copi Armigeri cod. 153.

De Triplici gratia & Juſtificatione, Ms. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 151.

De Veritate Chriſti, Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolnienſis cod. 19.

De lingua & corde moraliter, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 281, Lincolnienſi cod. 12 & 14, Magdalenenſi cod. 19, Cantabri-

giæ in Bibliotheca publica cod. 57 & Penbrochiana cod. 116.

De oculo moraliter, Mss. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 186, Magdalenensi codd. 58, 69 & 160, Balliolensi cod. 235, Mertonensi codd. 158, 160, 161 & 273. Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana cod. 123, & privatim in Bibliotheca clarissimi viri Baronis Lumleii cod. 183.

De venenis moraliter, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 260, Magdalenensi codd. 50 & 160, Mertonensi cod. 160, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 137 & Penbrochiana cod. 106.

Ejusdem varii Tractatus, Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 92.

Ejusdem dicta, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 260, Lincolnienſi cod. 12, Exonienſi cod. 24, Magdalenensi cod. 157, Mertonensi cod. 151, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 52, in Collegio sancti Benedicti cod. 207, Domus sancti Petri cod. 97 & Penbrochiana cod. 59.

Positio Domini Lincolnienſis contra Papam, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 260, Mertonensi cod. 68, Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 207 & 250.

Sermones, Mss. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 186, in Lincolnienſi cod. 12, Mertonensi cod. 232.

Epistolæ, Mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. ultimo, Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti codd. 227 & 386. Item *Epistola ad Conventum Missenden pro Abbate eligendo*, Ms.

Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 232.

Epistola & quædam excerpta ex dictis ejus, Ms. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 285.

Denique *Vita Guillelmi Capitonis*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 260.

Quicunque plura cupit de doctrina & virtute hujus Guillelmi, legat Historiam Universitatis Parisiensis sæculo XIII, ubi multa & præclara leget, quæ virum hunc intrepidum commendabunt in sæculum sæculi; ante Deum & homines.

1250. REINERUS Sacconus Placentinus, Theologus Ordinis Fratrum Prædicatorum, floruit anno 1254, ut testatur Antonius Senensis in sua Bibliotheca ejusdem Ordinis, & scripsit *librum contra Vvaldenses Hæreticos*, quem integrè Jacobus Gretserus ex Ms. Codice primùm eruit, & cum aliis ejusdem argumenti anno 1614 Ingolstadii in 4° edidit. Scripserunt autem adversùs eosdem Vvaldenses *Eberardus Bethunienſis* ab Henrico Gandavensi cap. 60 memoratus, *Bernardus* Abbas Fontis-Calidi Ordinis Præmonstratensis & *Hermengardus*, quos idem qui suprà Gretzerus edidit, unde postea transierunt in Bibliothecam sanctorum Patrum editionis Colonensis anni 1618 & Lugdunensis 1677. Incertum, quonam anno præcisè floruerint aut vixerint, sed ab anno circiter 1220 ad 1260, nec mihi aliud rescire licuit.

JORDANUS de Saxonia secundus Generalis Præpositus Ordinis Fratrum Prædicatorum, successit sancto Dominico anno 1221 in Regimine Ordinis, quem sanctis moribus atque Institutis illustravit. Scripsit Librum *De Origine sui Ordinis*, impres-

sum Romæ anno 1587 cum Notis Antonii Maffæi Salernitani. Itemque *Historiam translationis Corporis sancti Dominici*, quam inseruit suis Annalibus Abraham Bzovius Dominicanus anno 1233 num. 5. Hic cautè distinguendus est ab altero Jordano de Quedelingeburg etiam Saxone, sed Augustiniano Eremitâ, de quo nos loquemur posteà. Leander Albertus scripsit hujus Jordani Vitam quam retulit Surius ad diem 13 Februarii, sed consule S. Antoninum tit. 23, Jacobum Bergomensem in Supplemento Chronicorum, Ferdinandum in Historia FF. Prædicatorum centuria 1, Bzovium & Spondanum in Annalibus, Gerardum Joannem Vossium de Historicis Latinis, Bollandum in probatis Sanctorum Vitis ad diem 13 Februarii, ubi plurima ad laudem Jordani istius leguntur.

BERNARDUS DE COMPOSTELLA in Gallecia, Presbyter hujus Ecclesiæ & Sacrorum Custos, floruit anno circiter 1250, Carissimus Innocentio IV Summo Pontifici, cujus Sacellanus fuit. Scripsit opus inscriptum, *Diplomata Summorum Pontificum & Antiquorum Hispaniæ Regum*, quod edidit Ambrosius Morales, posteà immissum in 4 volumen collectanei quod appellatur *Hispania Illustrata. Notabilia & casus super 5 libros Decretalium Magistri Bernardi Compostellani quinque libris contenta*, Mss. in Bibliotheca majoris Ecclesiæ Cameracensis, sed prodierunt Argentorati anno 1498 & Norimbergæ anno 1493. Ejus verò *Lectura in 1 librum Decretalium* cum Apostillis Antonii de Crevant, edita in 4° Parisiis anno 1516. Plura apud Possevinum in suo Apparatu Sacro.

JOANNES DE DEO Hispanus, Doctor in De-

cretis, Professor olim & Canonicus Urbis Bononiensis, scripsit anno 1247 *insigne Pœnitentiale ad usum Ecclesiæ Bononiensis, imò & totius Ecclesiæ*, quod Ms. asservat apud se D. Bartholomæus Ferronius Carnotensis Canonicus & Doctor Sorbonicus. Idem opus extat Ms. Cantabrigiæ in Anglia in Bibliotheca publica cod. 118, cum *Pœnitentiali Raymundi de Penna-forti*, & altero *Roberti Grosseteste Lincolniensis Episcopi*, qui omnes eodem tempore vivebant & scribebant.

PANTALEO Diaconus Constantinopolitanus scripsit anno 1252 in gratiam Latinorum, *Tractatum contra Græcorum errores de processione Spiritus Sancti & Animabus Defunctorum, de Azimis & Fermentato, de Obedientia quæ debetur Ecclesiæ Romanæ*, editum Constantinopoli in ædibus Fratrum Prædicatorum anno 1252 ut habet Ms. Codex Bibliothecæ Bavaricæ, unde versus in Latinam linguam habetur in Bibliotheca SS. Patrum novissimæ editionis Lugdunensis anni 1677 apud Anissonios sæculo XIV. pag. 321. Habetur etiam Latinè impressus à Petro Stevartio Leodiensi anno 1616 Ingolstadii in 4° pag. 535 Auctarii seu Appendicis ad antiquas lectiones Canisii. Florebat autem eodem tempore cum Joanne Vecco seu Becco, unde idem hic mihi videtur Pantaleo Diaconus & Cartophilax Magnæ Ecclesiæ, cujus extant varii Sermones partim ab aliis editi, partim non editi. Extant hujus Diaconi, *in sancta Luvina id est de Christo Domino & Joanne Baptista & in dominicam Transfigurationem* Sermones duo, quos Græcè & Latinè produxit Franciscus Combefis ex Ms. Regio, in Auctario suo ad Bibliothecam SS. Patrum, quod editum in fol. duobus tomis

Parisiis

Parisiis anno 1648. Item *laudatio sancti Michaëlis Archangeli*, cui & narratio de Miraculis ejusdem annectitur, apud Lipomanum & Surium, atque in Bibliotheca SS. Patrum Concionatoria. Huic etiam lubens adscriberem Sermonem *in festum Exaltationis sanctæ Crucis* editum Græcè & Latinè à Jacobo Gretzero tom. 2 de Cruce. Quamvis enim auctor dicatur Presbyter Monasterii Bizantinorum, hoc non impedit quominus ad eundem Pantaleonem Diaconum pertineat, qui alia atque alia Opera partim Diaconus, partim Presbyter conscripserit. Ita sentit mecum Franciscus Combefis in Apparatu seu Auctoribus recensitis ante Bibliothecam SS. Patrum Concionatoriam, verbo *Pantaleon*: Unde multùm errant Margarinus & Colonienses qui eum Pantaleonem sæculo VII; & Coccius qui anno DCCCL assignant.

ALEXIUS ARISTINUS Græcus floruit anno 1254 & scripsit *Synopsim Canonum Ecclesiasticorum*, quam Græcè & Latinè editam habes tom. 2 Bibliothecæ Juris Canonici veteris, apud Ludovicum Billaine Parisiis in fol. anno 1661. De illo plura Justellus in præfatione seu præludiis, quem adeas.

MATTHÆUS PARIS seu PARISIUS ad fanum Divi Albani, quod olim Verolamium dicebatur, Ordinis Divi Benedicti Monachus, liberalibus studiis ab adolescentiâ eruditus, animum studio Historiæ perpetim appositi, cujus indicium varia ab eo posteritati suppeditata volumina, quæ tractantur omnium manibus. Extat ejus *Historia Major* juxta exemplar Londinense anni 1571 verbatim recusa tum Londini anno 1640, tum Parisiis anno 1644 in fol. apud Viduam Guillelmi Pelè

viâ Jacobæâ ſub ſigno Crucis Aureæ, Londini denique iterum anno 1684 in folio. His autem ultimis editionibus acceſſerunt primùm *Vitæ duorum Offarum Merciorum Regum, cum Vitis viginti trium Abbatum ſancti Albani*, unà *cum libro additamentorum ad majorem Hiſtoriam* per eundem Auctorem. Florebat anno 1250 & obiit eo anno quo Chronica finiebat, anno ſcilicet Salvatoris noſtri 1256, Henrico III Rege, ſepultus in Eccleſia ſancti Albani. Sunt autem Additamenta, ſi genuina ſunt, inſerenda ſuis locis & temporibus, ut unum idemque Opus cum Hiſtoria conficiant. Agunt de Matthæo Pariſienſi Antonius Poſſevinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 403 pag. 262, Bellarminus & Labbeus in ſua Diſſertatione *de iiſdem Scriptoribus*.

ALBERTUS Stadenſis Abbas Ordinis Divi Benedicti in Archiepiſcopatu Bremenſi, allaboravit anno 1234 ad inducendam in Abbatiam ſuam Ordinis Ciſtercienſis Obſervantiam, atque eam ob rem anno 1236 obtinuit Bullam à Gregorio IX. Summo Pontifice: quam cum non potuiſſet executioni mandare, Fratribus renitentibus, tranſiit anno 1240 ad Ordinem Fratrum Minorum, ex voto perfectioris vitæ. Hic *Chronicon* ſcripſit ad annum 1256, quod ex Ms. Codice Henrici Ranzovii Helmenſtadienſis edidit Reinerus Reineccius anno 1587, cum Notis cautiſſimè legendis ob juſtam ſuſpicionem Auctoris. Videas Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Ordinis Minorum*, pag. 6, cum aliis.

1260. GUILLELMUS *de Sancto Amore* dictus, ab Oppido unde oriundus erat, in Burgundia Se-

quana seu Comitatu Burgundiæ, Doctor Parisiensis, infensus Mendicantium Ordinibus, dum in Ecclesia nascebantur, à quibus in odii compensationem summus audiit Hæreticus. Scripsit varia opuscula, impressa in 4° Constantiæ ad Rhenum anno 1632, sed verè quidem ex caractere impressionis impressa Parisiis, ubi prostant. Sunt autem *Commentarius in Psalmum primum*, pag. 1.

Concio de Publicano & Pharisæo, pag. 7.

De periculis novissimorum temporum adversus mendicantes Ordines, pag. 16.

Quæstio unica de quantitate Eleemosynæ, utrum liceat homini dare quidquid habet, ita quod sibi nihil retineat & mendicet, pag. 73.

Quæstio unica de valido mendicante; utrum debeamus dare Eleemosynam valido mendicanti, si sit pauper, pag. 80.

Casus & articuli super quibus accusatus Magister Guillelmus de sancto Amore à Fratribus Prædicatoribus, pag. 88.

Collectiones Catholicæ & canonicæ ad Clementem IV. Summum Pontificem anno 1266 delatæ, ad deffensionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ & ad institutionem & præparationem simplicium Christi Fidelium, contra pericula imminentia Ecclesiæ Universali per Hypocritas, Pseudo-Prædicatores, & penetrantes Domos, & otiosos & curiosos & girovagos à pag. 111 ad 487.

Tabula de signis, per quæ Pseudo-Prædicatores discerni possunt à veris, pag. 487.

Sermo Magistri Guillelmi de sancto Amore in die Sanctorum Apostolorum Jacobi & Philippi, pag. 491.

Claruit anno 1260 & sequentibus ac præceden-

tibus, de quo qui plura cupit, inveniet plurima in Historia Universitatis Parisiensis sæculo XIII: maximè ob contestationes atroces quas habuit cum Ordinibus Mendicantibus FF. Prædicatorum & Minorum, ubi ad longum deductæ sunt.

MATTHÆUS Vindocinensis dictus eò quod ex hoc oppido esset oriundus, Abbas erat sancti Dionysii in Francia anno 1260 mense Octobri, ut est in veteri Regesto Parlamenti. Fuit Carissimus S. Ludovico Regi, quem idcirco, uti negotiorum in Republica gravioris momenti gerendorum summoperè peritum cum aliis Proceribus Moderatorem Regni constituit. Custos Regni vocatur apud Guillelmum Nangium, & Regis locum tenens cum in partibus transmarinis ageret. Præterea testamenti sui executor ab eodem sancto Ludovico declaratur Diplomate anni 1269. Scripsit inter assiduas negotiorum curas, *Historiam sancti Tobiæ carmine eleganti*, oblatam Bartholomæo Vindocinensi Archiepiscopo Turonensi, quam Joannes Heringius J. C. & Syndicus Bremensis evulgavit Bremæ anno 1642 in 8°; & ante eum Basileæ Joannes Heroldus Germanus anno 1563, appellans in præfatione sua *Libellum verè aureum, cujus non solùm versus singuli, verùm etiam unum quodque verbum Sententia selectior, & testimonium aliquod singulare æstimandum est.* Extat Ms. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 76, aliudque ejusdem Matthæi opusculum *de doctrina versificandi* in Collegio Domus S. Petri cod. 5, & *Æquivoca* ibidem cod. 202. Mortuus est anno 1286 die 25 Septembris, de quo plura Fratres Sammarthani tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 336, dum de Abbatibus sancti Dionysii in Francia.

SANCTUS LUDOVICUS, IX nomine Rex Francorum, floruit ab anno 1226, multis susceptis laboribus & expeditionibus ad Christianos conservandos in fide apud Orientales & Africanos. Edidit *aliquas Constitutiones* Rex sanctissimus, quæ habentur in tomis Conciliorum ultimæ Parisiensis editionis anni 1671. Item *documenta salutaria & testamentum*, quæ omnia habentur in collectaneo veterum Historiæ Gallicæ Scriptorum Andrææ Ducheſnii, &c. Obiit anno 1270 die 25 Augusti prope Tunetum in Africa, unde Corpus in Galliam postea relatum est, & in Ecclesia sancti Dionysii conditum.

GUILLELMUS DE BROCIA, Gallicè de Broſſe, tertius nomine Senonensium Archiepiscopus, Bernardo IV. Vice-Comite Brociæ, ex nobilissima Vice-Comitum Lemovicensium prosapia oriundus, cum esset propter eximias doctrinæ & morum dotes laudatissimus, ex Canonico Senonensi, Officialis, Cellerarii, Præcentoris & Decani muneribus egregiè fungitur. Postremò meritis expoſcentibus; anno 1258 Archiepiscopus ab Alexandro Papa consecratur. Transmisit autem nomen suum ad posteros grandi opere Ms. in Bibliotheca Colbertina voluminibus in fol. quatuor, codd. 1146, 1147, 1148, 1149 quorum titulus: *Summa de virtutibus & vitiis Guillelmi de Brocia Archiepiscopi Senonensis.* Hujus temporibus Fratres Mathurini in Castro Regio Fontis-Bellæaquæ fundantur, Institutore sancto Rege Ludovico, Metropolitano assensum præbente, ut patet ex Instrumentis desuper confectis anno 1259. Itaque cum Guillelmus longa jam ætate confectus, Episcopali functioni minus idoneus videretur, Ponti-

ficium onus Petro de Chamiaco transmisit anno 1267 ; & in secessu apud Brinonium , animam Domino reddidit anno 1269 die 8 Februarii, tumulatus ante Majus Altare sancti Stephani ad latus Evangelii, cum hoc monumento.

De Brocia natus est hic Guillelmus humatus,
Munere multiplici debet sua laus pia dici:
Sine sorde vili crescens ex Officiali,
Fit Celerarius, Senonis ille prius:
Paulò post idem datus est Præcentor ibidem,
Inde Decanatum tenuit, post Pontificatum,
M Sexageno nono cum C bis in anno,
Tertia dum colitur Agathæ Lux, hîc sepelitur.

Ita Sammarthani Fratres in Gallia Christiana dum *de Senonensibus Archiepiscopis* tom. 1 pag. 639, quos hic ad verbum expressimus.

BENEDICTUS post Petrum de Montlaur creatus Massiliensis Episcopus anno 1229: quo anno à Romano Cardinale S. Angeli, Legato Summi Pontificis, committitur arbiter 3 Kal. Februarii, controversiæ quæ intercesserat inter Massilienses & Communiam Civitatis ex una parte, Comitales ac sancti Victoris Cœnobium ex altera: cùm illi Vice-Comitum jurisdictionem penitus extinguere decrevissent, isti tuerentur partem quæ ad eos spectabat cessione Roncelini Vice-Comitis. At Massilienses cum per vim bona Abbatiæ detinerent, à Pontifice Interdicto & Excommunicatione mulctati, tandem Benedicti prudentia cum Ablata Cœnobio restitui curavisset, ac nihilominus Dominium jurisdictionis ad urbem transmisisset, consentiente Abbate sancti Victoris & Monachis,

publicam absolutionem Massilienſibus indulſit in cimeterio Eccleſiæ Majoris, adſtantibus Joanne Tolonenſi, & Roſtagno Reïenſi Epiſcopis. Anno 1230 pollicitus eſt Joanni Epiſcopo Tolonenſi, ſe non inîturum pacem cum inferiori Villâ Maſſilienſi Vice Comitali, donec ipſi reſtituerent omne damnum, ſcripto dato Maſſiliæ in Caſtro Epiſcopi: cui Vvillelmus de Signa Abbas hoc Caſtrum vendidit, pretio 300 Solidorum Regalium, ex Archivis Capituli. Porro ſeſe nuncupat Epiſcopum & Dominum Maſſiliæ anno 1233 4 Kalendas Martii, in quadam Carta Carthuſianorum Montis-Rivi. Arbiter quoque deligitur anno 1243 in cauſa Raymundi Comitis Toloſani, cum Syndicis Maſſilienſibus. Cum verò Raymundus Berengarius Provinciæ Comes, in animum induxiſſet Maſſiliam ſuæ poteſtati ſubjicere, uſus eſt Benedicto Epiſcopo ut id negotium ad exitum perduceret, à quo viginti duo mille quingentos ſolidos coronatos mutuatus eſt. Epiſcopus ergo ſimulans ſe velle emere Urbis Juriſdictionem, idque è re civitatis eſſe Conſulibus cùm propoſuiſſet: illi ſuæ libertatis appetentiſſimi, Præſulem quem antea ſummo honore coluerant, odio perſequi cœperunt, & inde enatum bellum quod ab anno 1237 ad 1243 geſtum eſt, fuſiúſque narratur in publicis Eccleſiæ & Urbis Maſſilienſis Tabulis. Ita Sammarthani Fratres *in Gallia Chriſtiana* verbotenus tom. 3 pag. 661. Hujus in Biblioth. Colbertina Ms. Codex num. 1454 inſcriptus: *Fratris Benedicti Epiſcopi Maſſilienſis Tractatus fidei contra diverſos errores, ſuper titulo De Summa Trinitate & fide Catholica in Decretalibus.* Pertæſus poſtea Benedictus Maſſilienſium ſibi infenſorum, quorum iratos animos com-

peſcere non potuit, depoſito Epiſcopatu ingreſſus eſt Ordinem Franciſcanorum, amplexatus eorum in paupertate divitias, ut tradit antiquus Codex Ms. Contigit id circa annum 1254, aſſumpto in ſucceſſorem altero Benedicto de Aligniano, quem fuiſſe ei & nomine & ſanguine proximum ſuſpicor, licèt deſtituar idoneis ad id ſtabiliendum inſtrumentis. Vixit circiter uſque ad annum 1270.

JOANNES GUALENSIS ſeu VVALLENSIS, Anglicè Vvalleis, Philoſophus ac Theologus Ordinis Fratrum Minorum, claruit anno 1260 & ſeqq. Scripſit multa, quorum aliqua impreſſa ſunt, alia latitant adhuc in Bibliothecis potiſſimùm Anglicanis: qui in Gymnaſio Pariſienſi docens, Arbor vitæ appellatus eſt, fuitque etiam Nobilis Juriſconſultus Antonius Auguſtinus Tarraconenſis in Hiſpania Archiepiſcopus collegit anno 1575 *antiquas Collectiones Epiſtolarum Decretalium Romanorum Pontificum* Ilerdæ impreſſas in folio anno 1576, & poſtea Pariſiis anno 1609 apud Sebaſtianum Cramoiſy, quorum prima eſt Bernardi Circa Papienſis, ſecunda *Joannis Guallenſis* ſeu *Vvallenſis*, tertia Petri Beneventani, quarta & ultima Auctoris Anonymi, ut docet Auguſtinus in ſuo Prologo. Scripſit idem *Gualenſis Margaritam Doctorum* ſeu *Communes locos ad omnium generum argumenta*, ſive Summam *de Regimine Vitæ humanæ ac de ſtatibus omnium hominum*, quæ Lugduni in folio edita eſt anno 1511. Idem *Ordinarium* ſive *Alphabetum Vitæ Religioſæ*, cujus prima pars *Dietarium*, ſecunda *Locarium*, tertia *Itinerarium*, quod primò Venetiis, deinde Lugduni anno 1511 prodiit. Item *breviloquium de Philoſophiæ digni-*

tate & de ejus abusione ac de scientia Sanctorum. *Breviloquium de quatuor virtutibus Cardinalibus antiquorum Philosophorum & principum. Compendiloquium de Vitis illustrium Philosophorum*, quæ omnia ibidem anno eodem emissa sunt in lucem. Atque opinor hæc opera impressa, esse omnino eadem cum Mss. variis Anglicanis, quibus aliis utcunque titulis adscripta sunt, quæ sub nomine Joannis Guallensis habentur. Ita in Bibliotheca Balliolensi Oxonii cod. 235 & Orialensi cod. 28 *Compendiloquium atque Breviloquium*, Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 297 *Floriloquium Philosophorum*, in Bibliotheca Penbrochiana cod. 123, & Domus sancti Petri cod. 12 & 18, *Summa Collectionum Fratris Joannis Gualensis Ordinis FF. Minorum*, & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 33 *Frater Joannes Vvallensis de Republica*, videntur mihi ad aliquod opus ex impressis citatis spectare. Sed Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus S. Petri cod. 89, inscriptum *Summa Justitiæ vel Tractatus de septem vitiis Joannis Gualensis*, cujus initium *Summa Justitiæ, &c.* potest esse aliud opus à prædictis : licèt affirmare nolim possintque experiri & conferre qui habent opera impressa Joannis Gualensis seu Vvallensis. Porro *Summa Collationum ejus* prodiit Parisiis anno 1561, quæ an speciale opus ab prædictis, examinari potest. Ibidem pariter cod. 12 *Expositiones Fabularum Ovidii* per eundem, quod opus speciale est : at illæ impressæ sunt Parisiis anno 1509 apud Judocum Badium Ascensium, inscriptæ, *moralitates in libros Metamorphoseon Ovidii*. Vide Possevinum in Apparatu Sacro, verbo *Joannes Gualensis* pag. 878 & verbo *Joannes Valeis sive Valensis*

pag. 951 : Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Fratrum Minorum*, pag. 209.

GUIBERTUS Tornacenſis, Ordinis Minorum, celebris ſuo tempore Theologus Pariſienſis, florebat anno 1260 & ſeqq. Scripſit juſſu Joannis Tornacenſis Epiſcopi *Vitam ſancti Eleutherii primi Tornacenſium Apoſtoli*, quam edidit Joannes Bollandus in probatis Sanctorum Vitis ad diem 20 Februarii. Item ſcripſit *opus Sermonum de tempore & de Sanctis*, quod vidi Ms. in Bibliotheca Alnenſi Ordinis Ciſtercienſis juxta Thuvinum in Belgio, extatque etiam Ms. Cantabrigiæ in Collegio Domus ſancti Petri codd. 63 & 87, ubi perperam appellatur *Gilbertus de Torreno* & *Guibertus de Tornadia*: ſed olim ſunt impreſſi Pariſiis anno 1518 in 8°. Item Tractatum *De officio Epiſcopi & Eccleſiæ Ceremoniis*, & opuſculum *De pace & tranquillitate animi*, quæ habentur ſæculo XIII. Bibliothecæ SS. Patrum editionis Colonienſis anni 1618, & Lugdunenſis anni 1677 apud Aniſſonios. Hujus mentionem facit Henricus Gandavenſis in opere ſuo De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 54 affirmans eum ſcripſiſſe *Hodœporicon primæ profectionis piæ memoriæ Domini Ludovici Regis Francorum ad tranſmarinas partes*: quod opus intercidit vel alicubi etiamnum latet. Plura Miræus in Scholio ad dictum caput Henrici Gandavenſis.

1270. THOMAS BOCKINGAM Anglus, claruit anno circiter 1270 inſignis in Anglia Theologus, & in Academia Oxonii Cancellarius. Scripſit Commentaria in 4 libros Sententiarum, quod opus in Londonienſi Bibliotheca extabat, ſed à prælis Pariſienſibus emerſit anno 1505. Item hujus extant

Commentaria super Deuteronomium, *Isaïam Prophetam*, *omnes Epistolas sancti Pauli*, & *Apocalypsim S. Joannis*, Mss. Oxonii in Bibliotheca Baliolensi codd. 27, 28, & 199. An idem sit cum *Thoma de Dokingam* Ecclesiæ Oxonienſis Cancellario, cujus extant *Quæstiones LXXXVIII*, Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 22, affirmare non audeo, quamvis hoc valdè probabile sit. Hujus meminit Possevinus in Apparatu Sacro pag. 827, ubi tamen eum *Joannem Bokingam* appellat. Hujus honorificam facit mentionem Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum*, pag. 323, quem appellat *Thomam Dochingum*, ac Minoritam seu Franciscanum efficit, quamvis non probet. Ibi videbis accuratiorem hujus Thomæ Dockingham Operum delineationem, quam hic tibi per compendium obtuli.

JOANNES DE RUPELLA Gallus, Ordinis Fratrum Minorum, Theologus Parisiensis claruit circa eundem annum 1270, cujus etiam memoria in Historia Universitatis Parisiensis, ubi olim docuit sæculo XIII. Scripsit *Summam Quæstionum* 148 *& alteram Quæstionum* 115 *de anima inscriptam*, Mss. Oxonii in Biblotheca Exonienſi cod. 6. Item *Summam inscriptam De malo*, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana cod. 78; cui etiam attribuuntur *Sermones Dominicales*, ibidem in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 94, quamvis subdubitet qui nomen Sermonibus apposuit. Item *Sermones de Sanctis*, Mss. in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Rhegii in Italia. Vide dictam Universitatis Parisiensis Historiam, ubi de suis Doctoribus abundè loquitur: Itemque *Bibliothecam Ord. Minorum* quam instruxit Lucas

Vvadingus, ubi pag. 225 alia plura Mss. Opera Joannis Rupellani recenſet.

ODO RIGALDUS Ordinem Seraphicum Fratrum Minorum ingreſſus anno 1242, ubi Magiſter in Theologia moribus clarus, & magni nominis Concionator, dein conſecratus Archiepiſcopus Rothomagenſis ab Innocentio IV. Summo Pontifice Lugduni menſe Martio exeuntis anni 1247. Quo tempore Dominicani ſub Priore Joanne de Rivieriis, tradunt menſe Aprili abſque ulla reclamatione, eidem Odoni & Succeſſoribus Domum in qua habitaverant ultra Sequanam. Excipitur ſolemniter in Eccleſia B. Virginis ipſo die Paſchæ anni 1248. Anno ſequenti circa feſtivitatem reſurrectionis Domini, trajicit in Angliam, ut reditus ad Eccleſiam pertinentes Regis Henrici III. gratia impetraret: quod cum obtinuiſſet, facto hominio de iſtis reditibus qui in Anglia erant, remeavit in Normanniam teſte Matthæo Paris. Scripſit *Sermones de tempore ſeu Regulam vivendi* apud Petrum Rodulphium in Hiſtoria Seraphica, quos habes Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus ſancti Petri cod. 109, *Commentaria in quatuor libros Moyſis* Mss. ibidem in Collegio ſancti Benedicti cod. 149, denique *Commentaria in Pſalmos & in Evangelia*, Mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi codd. 36 & 37. Obiit autem Odo Rigaldus anno 1275 ſexto Nonas Julii, non 1276 die 5 Maii, ut eſt in Calendario Dionyſiano: nam illud intelligendum eſt de Odone Clementis deceſſore, qui vitâ defungitur anno 1247. At verò minùs rectè is qui Ciaconii opus ſupplevit, Reginaldum Minoritam tradit Rothomagenſem Antiſtitem, Lectorem Sacri Palatii & Car-

dinalium Collegio adscriptum à Papa Bonifacio VIII sub annum 1303, nec idem esse potest cum Odone isto, qui jam longè antè, fato cesserat. Plura in ejus Encomium acervata apud Fratres Sammarthanos in Gallia Christiana tomo 1 pag. 581, ubi *De Archiepiscopis Rothomagensibus*.

GUILLELMUS PERALD, Ordinis Fratrum Prædicatorum, vir suo tempore clarissimus, floruit anno 1270, quem aliqui volunt fuisse Lugdunensem Archiepiscopum, alii tantùm fuisse Suffraganeum, seu Episcopum in partibus Infidelium, cum speciali deputatione & cura Lugdunensis Archiepiscopatûs. Nullum autem indicium hujus Guillelmi in Collectaneo Episcoporum Lugdunensium, quos habent Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 1 pag. 286. & seqq. Quidquid istud sit, Infula si defuit Guillelmo Peraldo, doctrinam non defuisse constat ex *doctissima Summa de Virtutibus & Vitiis*. Quæ sæpiùs in 4° impressa est variis in locis, ac ultimò Parisiis anno 1629, apud Michaelem Soly viâ Jacobæâ sub signo Phœnicis. Attribuitur eidem *Opus Sermonum de tempore & de Sanctis*, quod sæpe excusum est etiam sub nomine Guillelmi Parisiensis Episcopi, ut suprà diximus *in Guillelmo Parisiensi* ad annum 1240. Plura apud Possevinum *in Apparatu sacro*, Antonium Senensem *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Prædicatorum*, Ambrosium de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1256. pag. 15, & *in Appendice* pag. 432, qui ei cæco modo attribuit quidquid potest.

BROCARDUS natione Germanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, floruit circa annum 1276. Scripsit *Summam Casuum conscientiæ*, quæ cum

aliis multis codicibus manuscriptis Veterum Theologorum & Concionatorum, adservatur Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum. Idem ex motu devotionis an cursitationis in Orientem, lustratâ Palæstinâ, reliquit posteris *Descriptionem Terræ-Sanctæ*, quam habet Henricus Canisius tomo 6 Antiquarum Lectionum Ingolstadii in 4° anno 1604. Itemque Virtembergæ anno 1554 in 8, & postea Coloniæ anno 1624 in 8°. Appellatus Brocardus vel Burcardus de Monte Sion, fositan quòd ibidem aliquantam fecerit moram in Itinere suo, etsi patriâ Argentinensis fuerit, atque Ordinis sancti Dominici, quem usque ad annum 1283 vixisse asserunt. De quo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, ubi eum asserit floruisse anno 1260. Ambrosius autem de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* assignat eum anno 1238, de quo loquitur pagg. 15 & 431 Appendicis, ubi eum beatum facit pro more & capite suo. At tempus quo præcisè vixerit aut floruerit, definire difficile, imò impossibile est, unde ad annum 1270 conjecimus.

GUILLELMUS TRIPOLITANUS, incola Acconensis Conventus in Terra Sancta, Ordinis eorumdem Fratrum Prædicatorum, claruit anno circiter 1270, & scripsit ad Theobaldum Placentinum, postea Gregorium X Maximum Pontificem, librum *De statu Saracenorum*, qui manuscriptus extat Oxonii in Anglia in Bibliotheca Collegii Eneonensis cod. 3, inscriptus, *De statu Saracenorum & de Mahomete pseudo-Propheta eorum, & de ipsa gente, & eorum Lege & Fide.* Idem manuscriptus in Colbertina Parisiensi Bibliotheca cod. 5129. Florebat eodem circiter tem-

pore *Guillelmus de Rubrock*, de quo Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti codice 72, *Itinerarium Fratris Guillelmi de Rubrok. de Ordine Fratrum Minorum, anno* 1253 *ad Patres Orientales*: Itemque, *Itinerarium Fratris Odolrici de Ordine Fratrum Minorum de Mirabilibus Orientalium Tartarorum.* Hæc omnia simul collegimus ex occasione Itinerum Brocardi Argentinensis & Guillelmi Tripolitani, quamvis *Odolricus Ordinis Fratrum Minorum* floruerit tantùm circa annum 1320, cujus etiam Itinerarium ibidem Ms. codice 4 cum Itinerario Joannis de Mandeville, de quo nos posteà. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* de Guillelmo Tripolitano ad annum 1297 pag. 74.

GERARDUS DE FRACHETO Lemovicensis, quæ Civitas in Gallia Episcopatus est, Ordinis Fratrum Prædicatorum, floruit anno 1240, qui in manibus B. Jordani Magistri Generalis professionem emisit ab anno circiter 1226, ex primis post mortem sancti Dominici alumnis hujus Ordinis in Gallia. Scripsit jussu Humberti Ordinis sui Generalis Magistri, *Libros quinque de Origine ac Viris illustribus Ordinis Fratrum Prædicatorum*, quibus *Humbertus Generalis ejusdem Ordinis cognomento de Romanis*, præfationem tantùm addidit, impressos Duaci anno 1619. Idem scripsit *Chronicon ab initio mundi usque ad Coronationem Caroli Franci in Regem Siciliæ anno* 1266, quod vidi manuscriptum in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Remensis cod. 281, ita inscriptum: *Chronicon Fratris Gerardi de Fracheto, Ordinis Fratrum Prædicatorum.* Incipit: *In principio temporis ante omnem diem, Deus Pater in Verbo & per Verbum*

ſuum fecit ex nihilo rerum omnium materiam, &c. Idem Ms. in Bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſis. Obiit anno 1271 die quarta Octobris in Conventu ſuo Lemovicenſi, ætatis 66, Profeſſionis 46. De quo loquitur Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, Aubertus Miræus in Auctoribus paucis ad ſuum Auctarium *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* additis, Bernardus Guidonis in Hiſtoria *De fundatione & progreſſu Conventus Lemovicenſis* Fratrum Prædicatorum, Ambroſius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1267. pag. 23.

PETRUS DE TARENTASIA, à quibuſdam *Burgundus*, ab aliis *Longobardus* dictus; Ordinem Prædicatorum Pariſiis ingreſſus anno 1242, Lugdunenſis Archiepiſcopus electus anno 1272, tum à Gregorio X Papa unà cum ſancto Bonaventura ad Cardinalis dignitatem evectus, factuſque Oſtienſis Epiſcopus, eidem Gregorio ſucceſſit in Romano Pontificatu. Feruntur tres ejus Conciones in Concilio Lugdunenſi ſecundo habitæ: Prima die 7 Junii, ſecunda die 6 Julii, tertia in Exequiis B. Bonaventuræ, qui in eodem Concilio obiit. Sed *Commentarii ejus in quatuor libros Sententiarum* editi Toloſæ anno 1652 ex manuſcripto Bibliothecæ ſancti Thomæ Aquinatis, prælo & cartâ peſſimis. Habentur etiam Mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi cod. 54 duobus voluminibus. Idem ſcripſit *Commentarium in Epiſtolas ſancti Pauli* Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 49; & Cremonæ in celebri Bibliotheca Fratrum Auguſtinianorum Eremitarum. Obtinuit tantùm Pontificatum per menſes quinque & duos dies, à 21 Januarii anni 1276 ad diem 22 Junii quo obiit Romæ, ſepultus in Baſilica Lateranenſi, annum

ætatis

ætatis quinquagesimum primum agens. Extat sancti Thomæ Aquinatis Opusculum, in quo Petrus ille vindicatur à Censura plusquam centum propositionum, quas Adversarii in ejus Scriptis annotaverant, obtulerantque Fratri Joanni Vercellensi Ordinis Prædicatorum Magistro Generali. De eo Trithemius, Bergomas, Antonius Senensis, Leander, Bellarminus & Labbeus, à quo ista sunt, paucis additis quæ ipsum fugerant. Plura Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1276 pag. 42, & *in Appendice* pag. 444.

RADULFUS cognomento *Bockingus*, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, natione Anglus ac patriâ Ciceſtrensis, scripsit circa annum 1270 *Vitam sancti Richardi Ciceſtriæ in Anglia Episcopi* lib. 2, quos habes prolixos apud Bollandistas ad diem 3 Aprilis. Hunc sui Ordinis Scriptorem ignoravit Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana*, quam conscripsit.

ANNIBAL DE ANNIBALDIS, Ordinis Fratrum Prædicatorum, fuit ex illustri familia Romana oriundus, qui Theologiam Parisiis aliquandiu docuit: sed factus Magister sacri Palatii Romani sub Alexandro IV & Urbano IV, atque ab isto ultimo factus mense Maio anni 1262 Cardinalis tituli Sanctorum duodecim Apostolorum. Missus à Clemente IV anno 1266, ut præsens esset Coronationi Caroli Franci in Regem Neapolitanum. Scripsit *Commentarium in quatuor libros Magistri Sententiarum*, quem habes impressum sub nomine & inter Opera sancti Thomæ. Obiit Orvieti anno 1272, ubi jacet cum Epitaphio in Ecclesia Fratrum Prædicatorum; de quo Ambro-

sius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1272 paginâ 27, & *Appendicis* paginâ 437.

MARCUS POLUS Venetus, multis itineribus susceptis cognitus, quorum descriptionem egit anno 1272, inscriptam *De Regionibus Orientis*, quæ impressa cum Itineribus Joannis Mandevilli, & Ludolphi de Sucken, & aliorum, cum variis novi Orbis Scriptoribus annis 1532 & 1555 Basileæ in fol. Itémque secundâ parte *Hierosolymitani Chronici*, seu *De Bello sacro*, quod anno 1585 edidit duobus tomis in 4° Helmenstadii Reynerus, Reineccius. Denique Coloniæ ad Spream in 4 anno 1671, cum Indice prolixo historico, curâ Andrææ Mulleri Berolinensis Præpositi.

GAUFRIDUS DE BELLO-LOCO, gallicè, *de Beau-lieu*, Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus, jussu Gregorii Papæ X scripsit *Historiam Vitæ sancti Ludovici IX Galliarum Regis*, cui annis viginti à sacris Confessionibus ac Consiliis fuerat, & cui anno 1270 in Castris ad Tunetum piissimè in Domino morienti, extrema Sacramenta administravit. Alterum *librum de Vita & Miraculis ejusdem Regis* adjecit GUILLELMUS CARNOTENSIS, Familiæ Dominicanæ Theologus, & sancti hujus Regis Capellanus: quorum utrumque Opus impressum legitur tomo 5 Collectanei Veterum Historiæ Francicæ Scriptorum, quos collegit Andræas Ducheſnius sæpissimè à nobis allegatus. Aubertus Miræus de utroque in auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 396, ac post ipsum paucis Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1276 pag. 46.

JOANNES WECCUS, seu BECCUS, Patriarcha

Constantinopolitanus floruit anno 1270, venit ad Concilium Lugdunense anno 1274., multa usque ad carcerem & mortem ob doctrinam Latinorum, quam induerat, & quam publicè profitebatur, perpessus est, multaque scripsit quæ ex manuscriptis Codicibus Græcis eruta græcè & latinè immisit in Collectaneum Græciæ suæ Orthodoxæ Leo Allatius Græcorum sui temporis doctissimus. Quo autem anno Joannes Vveccus mortuus sit, mihi rescire hucusque non contigit.

GEORGIUS ACROPOLITA, Magnus Logotheta Constantinopolitanus, floruit sub annum 1270 sæculi XIII. sub Michaelis Paleologi Imperio; cujus Protovestiarius fuisse creditur. Scripsit *Historiam seu Chronicon Constantinopolitanum* ab anno 1203; quo Balduinus Flandriæ Comes Constantinopoli coronatus est Imperator, usque ad annum 1261, quo Michael Paleologus in Balduini secundi locum intravit. Illud manuscriptum græcè Perâ in Belgium *Georgius Douza* attulit, quod frater ejus *Theodorus* latinè reddidit: extatque utrâque linguâ Georgius Acropolita, cum Nicephoro Gregora; & Laonico Chalcocondila; anno 1614 Lugduni Batavorum in 8°. Itemque græcè & latinè in folio Parisiis anno 1651 typis Regiis, cum aliis Scriptoribus Historiæ Bizantinæ, ex versione Leonis Allatii. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 386.

GUILLELMUS DE SANVICO Anglus, Ordinis Carmelitarum, scripsit circa annum 1270 *Chronicon de Multiplicatione Ordinis Carmelitani per Syriam & Palæstinam, & de Vastatione Monasteriorum Terræ-Sanctæ ac adventu Carmelitarum in*

Europam. Anglus natione fuit, & aliquot annis in Monte Carmelo & in Terra-Sancta permansit, atque Accone anno 1251 à Saracenis captâ in Angliam rediit, unde posteà Chronicon suum scripsit, cùm in eo mentionem faciat annorum 1267 & 1269. Hoc Opus insertum libro 9 Philippi Riboti Catalani de rebus Carmelitanis, qui continentur in Speculo Carmelitarum, quod quatuor tomis in folio evulgavit F. Daniel à Virgine Maria Ordinis hujus Calceatus, ubi omnes ferè Auctores, saltem antiquiores, qui de rebus Carmelitanis agunt, collecti sunt. Impressum anno 1680 Antuerpiæ apud Michaelem Cnobbarum. Idem Opusculum Guillelmi de Sanvico, insertum Tractatui historico de Patriarchis Hierosolymitanis pag. 60 & seqq. quem Bollandistæ censuerunt præmittendum tomo 3 mensis Martii. De illo Aubertus Miræus in Auctario suo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 485 pag. 272 Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, ubi eum appellat *Guillelmum de Samuco.*

JOANNES GENESIUS DE QUALEA, Parmensis, Ordinis Fratrum Minorum, scripsit *Tractatum de Civitate Christi*, impressum Rhegii anno 1501 apud Ugonem Rogerium, & Romæ anno 1523 apud Mazochium, plura Vvadingus *in Bibliotheca Ord. Minorum.*

THOMAS DE LENTINO, sive LEONTINO, natione Siculus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, per decennium Prior Conventus sui Neapolitani, & tunc forsitan Provincialis Lombardiæ, circa annum 1255 profectus in Terram-Sanctam. Hic scripsit *Vitam sancti Petri Martyris Ordinis sui*, quam habes tomo 3 Aprilis apud Bollandistas ad

diem 29 pag. 686. Factus posteà Episcopus Bethleemicus, tum ad Cusentinum Archiepiscopatum assumptus, denique rursum remissus in Orientem à Gregorio X anno Christi 1272, ad Patriarchatum Hierosolymitanum cum officio Legati Apostolici administrandum, ibidem obiit anno mihi ignoto, sed juxta Labbeum 1277. De illo Bollandistæ in suis præludiis ad Vitam sancti Petri Martyris, de qua diximus, quos convenire poteris. Plura verba de illo Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1276 pag. 45.

RAYMUNDUS MARTINI Catalanus, Ord. Fratrum Prædicatorum, circa annum 1278 scripsit Opus nobile & arduum inscriptum, *Pugio Fidei adversùs Mauros & Judæos*, aureum librum post quatuor sæcula è tenebris erutum, & novissimè Parisiis in folio apud Joannem Henault, viâ Jacobæâ sub signo Angeli Custodis impressum anno 1651, cum variis & doctissimis Observationibus eximii viri Joannis Voisin Senatoris Burdegalensis. Ex illo autem Galatinus optima quæque in sua arcana transfudit, suppresso penitùs Auctoris nomine, quod homine ingenuo indignum est. Videas Ambrosium de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1283 pag. 58: & *in Appendice* pag. 449, usque ad nauseam *de Raymundo* concionantem.

MARTINUS POLONUS Ordinis Fratrum Prædicatorum, factus Pœnitentiarius & Capellanus Summorum Pontificum Joannis XXI & Nicolai III, qui eum promovit ad Archiepiscopatum Gnesnensem, unde oriundus erat, in Polonia. Quò dum contenderet, lapsus in morbum anno 1278, vel 1279, in Urbe Bononia obiit. Scripsit *Chro-*

nicon ſuum ad annum 1277, ut ipſe teſtatur in prologo, nec ultra progreſſus eſt. Impreſſum id variis locis, ſed purgatum nugis Proteſtantium, & ad fidem inſignis manuſcripti Codicis Martino coætanei, cum Notis Suffridi Petri Leovardienſis, Coloniæ in fol. anno 1616, procurante Fabricio, cognomento Cæſare, Ordinis Præmonſtratenſis Canonico, ut notat Labbeus in prologo Cœnotaphii Joannæ Papiſſæ, & Severinus Binius in Notis poſt Vitam Leonis Papæ IV, tomo 8 Conciliorum pag. 153. Qui plura cupit, adeat Labbeum in Opere ſuo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Antonium Poſſevinum *in Apparatu ſacro*. Aubertus autem Miræus illum prætermiſit, forſitan ob fabulas quibus ſcatet communiter hoc Chronicon, ſed quas jam conſtat eſſe immiſſas ab Hæreticis nefario atque ordinario auſu. Plura, ſed incerta dat Ambroſius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1279 pag. 48, & *in Appendice* pag. 445.

1280. GERARDUS Ordinis ejuſdem Fratrum Prædicatorum, inſignis hoc tempore Theologus & Concionator, docuit Theologiam tum Pariſiis, tum Leodii poſteà, unde nomen ei Gerardi Leodienſis adhæſit. De illo ſic Henricus Gandavenſis in Opuſculo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 53: *Gerardus Ordinis Prædicatorum Lector Domus Leodienſis compoſuit Tractatum Religioſis valde utilem, ſumpto themate ab illo loco libri Regum,* Præparate corda veſtra Domino, &c. *Septem Diſpoſitiones circa cor faciendas docens, multáque ad ædificationem pertinentia hinc & inde ex Scripturis colligens.* Opus iſtud inſcriptum, *Speculum Concionatorum de doctrina cordis, ſeptem*

libris, impressum Neapoli in 4° anno 1607. Habetur Ms. sed Anonymum Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 148. Scripsit etiam *Sermones de tempore ac de Sanctis*, quos Aubertus Miræus in Scholio ad caput 53 libri De Scriptoribus Ecclesiasticis Henrici Gandavensis, ait Mss. extare apud Belgas in Valle-Viridi, & Lovanii ad sanctum Martinum. Extant Mss. Cremonæ in Italia, in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum, quos *Eremitas* appellamus. Agunt de Gerardo Leodiensi Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Aubertus Miræus loco citato, Ambrosius de Altamura sæpe citatus *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1270 pag. 25.

BALDUINUS AVESNENSIS sub annum 1285 scripsit Latinè *Historiam Genealogicam Comitum Hannoniæ, & aliorum Procerum*, quæ Ms. extabat olim Parisiis apud Andræam Ducheſnium, & Bruxellæ apud Chiffletios, nunc autem in Bibliothecæ Regiæ Mss. Codicibus.

GEORGIUS CYPRIUS anno 1283, ita volente Andronico Imperatore, factus est è laico Monachus, ex Monacho post Sacrorum Ordinum gradariam susceptionem mox consecrandus Patriarcha Constantinopolitanus, de quo plura videri possunt in Pachimeri Historia nuper vulgata per Petrum Possinum. Scripsit *Encomium sancti Georgii Magni Martyris*, quod legitur Græcè & Latinè apud Bollandistas ad diem 23 Aprilis. Item extant *variæ Georgii Cyprii Epistolæ* Mss. Græcè in Bibliotheca Vaticana, & Bavarica cod. 96. Hanc porrò dignitatem Patriarchatus abdicavit paulò ante mortem, quæ contigit anno 1290. Hæc Daniel Papebrokius tom. 3 Aprilis pag. 102. ad fi-

nem capitis secundi Commentarii prævii ad acta sancti Georgii.

THEODORICUS DE APOLDIA, Thuringus, Patriâ Herefordensis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, clarus anno circiter 1280 scripsit prolixè & ornatè *Vitam sancti Dominici Fundatoris Fratrum Prædicatorum libris VII*, de quibus Surius & Bollandistæ agent ad diem suum. Item libros VIII. *De sancta Elizabetha Andreæ Regis Hungarorum filia, Ludovici Landgravii Thuringiæ Vidua*, quos ex Mss. Codd. Henricus Canisius tom. 5 lectionis antiquæ primus publicavit, & Matthæus Raderus tom. 1 Bavariæ sanctæ in Compendium eleganti stilo redegit. Ipsa Marpurgi anno 1231 sanctissimè obiit, in tabulas publicas anno 1235 à Papa Gregorio Nono relata. De Theodorico Antonius Possevinus in Apparatu sacro bis, nempe verbo *Theodericus de Apoldia & Theodericus Thuringus*; Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 394 pag. 260, aliique Scriptores de Rebus Fratrum Prædicatorum; Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1288 pag. 61.

ENGELBERTUS Abbas Admontensis in Stiria claruit anno circiter 1280 & scripsit librum *De ortu, progressu & fine Romani Imperii*, quem habes in Bibliotheca veterum Patrum sæculo XIII. Lugdunensis ultimæ editionis, & aliarum. Scripsit etiam anno 1273 *Carmine Heroico Panegirim Coronationis Rodulfi Haspurgici in Romanorum Imperatorem*, quam habes in Collectionibus Historicorum Germaniæ quos diversi ediderunt. De Engelberto Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, quem tamen rejicit ad annum 1320, quo usque vivere

quidem potuit, licèt anno 1280 floruerit. Opus Engelberti Admontensis *De ortu, progressu & fine Romani Imperii*, impressum primò Basileæ in 8° anno 1553 typis Oporinis cum Odeporico Bavarico Gaspari Bruschii: qui præmisit præfationem cautè legendam, utpote hominis hæretici.

DAVID DE AUGUSTA Vindelicorum, Theologus, Ordinis Fratrum Minorum, claruit anno circiter 1280 & sequentibus, scripsit *Formulam Novitiorum de reformatione exterioris hominis.* Item *formulam interioris hominis & libellum de septem progressibus Religiosi*; quæ tria opuscula primùm seorsim, & postea à Colonienſibus tom. 13 Bibliothecæ Patrum edita fuerunt. Hæc etiam opuscula devota quæ sancto Bonaventuræ perperam attributa, legitimo quidem auctori restituta sunt, in Bibliotheca sanctum Patrum, editionis Lugdunensis anni 1677, sæculo 13. Vide Antonium Possevinum *in Apparatu Sacro* pag. 417, Lucam Vvadingum *De Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 99.

GERTRUDIS sancta Virgo & Abbatissa Monasterii Helffedani in Comitatu Mansfeldensi in Germania, claruit scientiâ & moribus circa annum 1280. Scripsit *libros 4 insinuationum divinæ pietatis*, qui incipiunt ab his verbis: *Abyssus increatæ Sapientiæ:* quibus præmittitur alius liber de ejus vita ab auctore Anonymo, incipiens à verbis sequentibus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, &c. impressi primùm Coloniæ anno 1579 in 4°, tum correctiùs in 8° Parisiis anno 1662 apud Fredericum Leonard viâ Jacobæâ sub Scuto Veneto. Opus istud devotioni mulie-

bri aptiſſimum, quod in editione ultimâ inſcribitur, *Vitæ & Revelationes ſanctæ Gertrudis Abbatiſſæ Ordinis ſancti Benedicti.* Obiit ſancta Gertrudis in ſuo Monaſterio anno 1290, de qua plura habet Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro verbo *Gertruda Abbatiſſa.*

SANCTA MECHTILDIS Sanctiſſima ſoror ſanctæ Gertrudis, ejuſdem Sanguinis, ejuſdem Inſtituti, ejuſdem temporis, ejuſdem gratiæ atque ingenii, ſcripſit etiam *ſimillimas Viſiones* ſeu *Revelationes*, quas inſcripſit *ſpirituales gratias lib. V*: de cujus ſcriptis & obitu loquitur ſancta Gertrudis prædicta: unde patet Mechtildem abiiſſe ad Dominum ante Divam Gertrudem. Ejuſmodi revelationes, aptum fœmineo ſexui & ingenio opus, impreſſæ ſunt Pariſiis in fol. anno 1513, caractere eleganti pro ratione temporis, ex officina Henrici Stephani è Regione Scholæ Decretorum. Eſt autem Collectaneum quoddam continens varias diverſorum revelationes, quod rectè *Collectaneum Viſionum vel Viſionarium* appellaretur. Continet fol. 1 *Hermetis Viſiones* ſeu *Paſtorem Hermetis* libris 3: fol. 17 proſaicum libellum *De Viſione Vvettini Monachi*, quem poſteà iterum edidit D. Joannes Mabillon in actis SS. Ordinis Divi Benedicti ſæculo 4 tom. 1 pag. 263 & ſequentibus. Tum fol. 19 *libri duo ſomniorum ſeu revelationum F. Roberti Ordinis Fratrum Prædicatorum*, qui anno circiter 1330 floruit, ſuaque ſomnia ſcriptis mandavit. Fol. 28 lib. 3 *Revelationum ſanctæ Hildegardis Virginis Scivias intitulati*, qui incipiunt: *Ecce quadrageſimo tertio temporalis curſus mei anno*, &c. Fol. 119 *libri V. Viſionum ſeu Revelationum ſanctæ Eli-*

ſabeth Abbatiſſæ Schonaugienſis, alibi etiam poſteà impreſſi, ut ſuperiùs diximus. Denique fol. 150 *libri V gratiarum ſpiritualium ſanctæ Mechtildis Virginis*, de quibus ſupra. Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro mentionem facit *ſanctæ Mechtildis*, ſed fallitur in eo quod ait eam vixiſſe adhuc anno 1300. Cùm enim mortua ſit ſancta ſoror Gertrudis ex ipſo Poſſevino anno 1290, & hæc in Scriptis ſuis loquatur de ſorore Mechtilde tanquam mortua, non poteſt vixiſſe uſque ad annum 1300, ſed mors aſſignanda circa annum 1284 vel 1286.

PETRUS ALVERNUS ſeu DE ALVERNIA Gallus, vir doctus, ſancti Thomæ dum Pariſiis legeret Diſcipulus, claruit anno circiter 1280. Scripſit *Appendicem ſeu Supplementum ad Summam S. Thomæ Magiſtri ſui*, quod ſemper impreſſum eſt ad calcem ejuſdem ſummæ. Extant ipſius Commentarii in aliquot libros Ariſtotelis, nempe *De motibus Animalium*, *de longitudine ac brevitate vitæ*, *de juventute ac ſenectute*, *de reſpiratione*, *de morte ac vita*, qui prodierunt Venetiis anno 1507, unà cum ejuſdem ſancti Thomæ *Commentariis in Ariſtotelem de ſenſu & ſenſato*, *ac de memoria*. Item ejuſdem Petri Appendix Commentariorum Divi Thomæ Aquinatis ad libros Ariſtotelis de Cœlo, quos D. Thomas non abſolverat: nimirum ad partem tertii & ad quartum integrum, quæ Venetiis excuſa fuerunt anno 1495 apud Scottum. Ejuſdem *Commentarii in libros Phyſicorum Ariſtotelis*, Mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi in Anglia cod. 97; *in parva Naturalia ejuſdem*, Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus ſancti Petri cod. 54; *in Meteora* Oxonii in

Collegio novo cod. 245, in Balliolensi cod. 229; denique *in Politica Aristotelis*, Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 40. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1273 pag. 28 & in Appendice pag. 437.

NICOLAUS DE HANAPS natione Gallus, in Diœcesi Remensi natus, ex pago ejusdem nominis in Thierascia juxta Aubentonium, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, scripsit opusculum intitulatum: *Exempla virtutum & vitiorum ex Universæ Scripturæ divinæ promptuario desumpta*, impressum Parisiis in 8° anno 1547 sub nomine proprii auctoris, apud Joannem Foucher viâ Jacobæâ sub signo Urbis Florentiæ, ac Tubingæ in Germania anno 1533 apud Huldericum Morhart, demum Venetiis in 16° anno 1637. Vocatur vulgo *Biblia pauperum*, falsò sancto Bonaventuræ à quibusdam adscriptum, atque in ejus opusculis impressum, ut ex Mss. Neapolitanis Codicibus Antonius Senensis tradit in sua Bibliotheca. Constat hoc opus capitulis CXXXIV, & incipit: *Creatio Rerum ita fuit mirabilis.* Non tantùm autem Neapoli Ms. extat sub nomine proprii Auctoris Nicolai de Hanaps, sed in aliis multis Bibliothecis, Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum, Cameraci in Biblioth. Ecclesiæ Cathedralis pulpito 6, & alibi. Videas de eo Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 448, pag. 294. Factus dicitur Hierosolymitanus Patriarcha, & obiisse anno 1288.

1290. THOMAS HYBERNICUS cognomento *Palmeranus*, Socius Sorbonicus, circa annum 1290

ſcripſit Alphabetico ordine opus excerptum ex Sanctis Patribus intitulatum, *Flores Doctorum* ſæpius impreſſum, ut Pariſiis anno 1556, & *Flores Bibliorum* etiam impreſſos : ſed utrumque opus nuperrimè anno 1678 & 1679 impreſſum in 12° Lugduni duobus tomis apud Joannem Certum viâ Mercatoriâ ſub ſigno ſanctæ Trinitatis, utrumque anteà Pariſiis in 12° anno 1662 apud Claudium le Gouſt & Carolum Foſſet viâ Jacobæâ ſub ſigno Reſurrectionis. Flores Doctorum Communiter in Mss. Codd. inſcribuntur *Manipulus Florum*, cum Prologo parvo qui incipit : *Abiit in agrum*, & habetur Ms. in Bibliotheca Cameracenſis Eccleſiæ pulpito 9 num. 8 : Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Auguſtinianorum Eremitarum, apud Præmonſtratenſes Bucilienſes in Epiſcopatu Laudunenſi ; paſſim in Bibliothecis Anglicis, Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus ſancti Petri codd. 79 & 83, cum iſto lemmate : *Manipulus Florum ſive extractiones originalium, editæ* à M. Thoma de Hyberniâ *quondam Socio de Sorbona. Inchoavit Tho. Vvalleys, abſoluit Tho. de Hybernia.* Item, *Manipulus Florum quem inchoavit Joannes Gnalenſis qui floruit anno* 1260, *quem ejus morte imperfectum abſolvit & locupletiorem reddidit Tho. de Hybernia qui claruit anno* 1290. Item Ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenenſi cod. 27, Orialenſi cod. 33, Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 169. Ex his patet quo tempore floruerit Thomas Hybernicus, quem Codd. Mss. appellant Socium Sorbonicum, ſed ſuis accenſet Franciſcanis Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 326, & quem ad annum circiter 1330 rejicit. Plura de illo Anto-

nius Possevinus *in Apparatu sacro*, ubi summâ curâ recensèt varias editiones operum illius, in præcipuis Christiani Orbis Urbibus.

JACOBUS JANUENSIS seu DE VORAGINE; sic dictus (ut Joannes Trithemius refert) propter profunditatem doctrinæ, quasi voraret omnes: aliis de Varagine dictus ab Oppido quod est in Territorio Genuensium, non longè à Genua situm. Archiepiscopus postea Genuensis factus; vir fuit suo tempore clarissimus, & multifariâ rerum cognitione illustris. Apud posteros autem nomen suum evulgavit multis operibus, sed quæ jam à viris eloquentibus vel gravibus hujus sæculi modicè considerantur & æstimantur, sive spectes dictionem in concionibus quas reliquit, vel fidem probam in Historiis quas retulit. *Utriusque Testamenti libros in Italicum sermonem primus omnium summâ fide ac diligentia transtulit*, inquit Sixtus Senensis, in sua Bibliotheca Sancta lib. 4. Sed hoc non concedit Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, verbo *Biblia* pag. 225, & si concederet; non admitterent qui opus italicum Jacobi Genuensis nunc legerent, quamvis suo tempore talis forsitan haberetur. *Legendas Sanctorum in unum volumen compilavit*, multa illi ex Historia Ecclesiastica & tripartita conjungens. Hoc opus olim antiquis typis semel atque iterùm impressum est, inscriptumque *Legenda aurea*: sed quàm meritò alii *Legendam ferream*, alii *vitream* aut *stramineam* nuncuparunt. Illic enim sunt bona mixta malis, vera fabulis; unde ex quo Laurentius Surius Labores suos nobis in simili argumento obtulit, nul latenus sudarunt typis vel *Legenda aurea Jacobi Varaginensis*, vel *Catalogus Sanctorum Petri de*

Natalibus, quæ prælum nusquam meruerant. Denique *Sermones* scripsit *super Evangelia omnium Dominicarum anni, festa Sanctorum, & per totam Quadragesimam*, cum speciali opere *De laudibus B. Mariæ Virginis*, satis triviales ac simplices, impressos Venetiis annis 1575 & 1579 & alibi, sed ultimò simul omnes 4 tomis in 4°, Moguntiæ anno 1616 apud Petrum Cholinum, curâ & studio Rudolfi Clutii Theologi ex Ordine Fratrum Prædicatorum. Factus fuit Archiepiscopus Genuensis anno 1292, ubi mortuus est anno 1298. Vide Antonium Possevinum *in Apparatu sacro* pag. 794 & verbo *Biblia*, pag. 225, Sixtum Senensem, & alios qui loquuntur De Scriptoribus Ordinis Prædicatorum. Ambrosius de Altamura pro privilegio sibi indulto, illum exornat titulo *Beati* in Bibliotheca Dominicana ad annum 1290 pag. 61 & in Appendice pag. 458, cujus Opera impensè laudat, contra communem omnium æstimationem, quæ eum accusat simplicitatis ac fabularum plurimarum.

JOANNES JANUENSIS de quo sic Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 881 « *Joannes Januensis*, Monachus Ord. Fratrum Prædicatorum, Dictionarium prænotatum *Catholicon* anno 1280 confecit, in quo præter Quæstiones naturales ac Theologicas, præter item ea quæ ad Orthographiam, Prosodiam, Etymologiam, Syntacticam, Constructionem, Regimen & figuras, ait etiam de his ipsis, quatenus in Bibliis & à Patribus usurpantur. Opus autem hoc à Petro Ægidio auctum, & anno 1506 Lugduni excusum prodiit, cum Venetiis anteà ab Octaviano Scoto fuisset emissum anno 1495. Hæc Possevi-

nus. Porrò hoc Dictionarium CATHOLICON nuncupatum, est unum ex primis operibus quæ unquam in Europa impressa sunt. Anno enim 1459 Joannes Faustus arte impressoria inventa, edidit primò Moguntiæ libros Guillelmi Duranti Mimatensis Episcopi *De divinis Officiis*, & anno 1460 edidit *Catholicon* in folio Moguntiæ, absque nomine loci vel Typographi, cujus unum exemplar in Bibliotheca Galliarum Regia Parisina, atque aliud nos vidimus in Bibliotheca Fulien-sium Parisiensium. Extat autem Manuscriptum Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. primo, sed cum solo cognomine *Januensis* atque eodem modo in multis Bibliothecis, vel cum solo titulo *Catholicon*, auctore innominato. Idem scripsit *Tabulam* seu *Syllabum in Sacram Scripturam*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 166, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica codd. 8, 153 & 216, & in Collegio sancti Petri cod. 77, ubique cum solo nomine *Januensis*. Unde cum Thomas James anno 1600 edidisset Londini in 4° eclogam Manuscriptorum Codicum Oxonio-Cantabrigiensem, haberétque multos Mss. Codices sub simplici nomine *Januensis*, attribuit omnia illorum Opera *Antonio Januensi* quem libro 2 hujus Eclogæ collocat ad annum 1418. Consuluit absque dubio Antonium Possevinum qui *in Apparatu Sacro* pag. 69 hæc habet: *Antonius Januensis, Ord. S. Augustini scripsit librum quem pranotavit*, Compendium figurarum Moralium. *Interfuit Constantiensi Concilio, Sigismundo Imperatore* anno 1418. At Codices manuscripti horum Tractatuum, tam in Bibliothecis Anglicis, quàm Gallicis & Italicis, sunt ejusmodi,

modi, ut multis annis excedant præfixum Antonio Januensi tempus, sintque certò sæculi XIII. Quantùm autem ad Joannem Januensem, nihil invenio in antiquis Nomenclatoribus Scriptorum, unde quandiu mihi non constiterit aliud per testes vel instrumenta authentica, opinabor unum eundémque Scriptorem *Januensem* successu temporis in duos esse dissectum *Jacobum & Joannem*, Ambos Januenses dictos, ejusdem temporis, ejusdem Ordinis, ab eadem littera initiali incipientes. Hos etenim opinor esse unicum auctorem, Jacobum Januensem de Voragine cognominatum, Genuensem Archiepiscopum, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui & *Conciones* scripserit *De tempore ac de Sanctis* de quibus supra, & *Legendam Longobardicam*, & *Catholicon Dictionarium* & *Tabulam in Sacram Scripturam*, & *eandem Scripturam* primus in linguam Italicam transtulerit, de qua Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 225 verbo *Biblia sacra*. Occasio dissectionis hujus unius hominis in duos, orta ex Mss. Codicibus habentibus vel solum *Januensis* nomen, vel solam nominis initialem litteram J. Januensis, unde aliqui legerint *Joannem*, alii *Jacobum Januensem*, atque ita duos ex uno confecerint.

STEPHANUS DE SALAGNIACO Ordinis Fratrum Prædicatorum, Conventus Lemovicensis in ipsa urbe constituti, scripsit *De quatuor rebus quibus specialiter Deus Ordinem Prædicatorum insignivit, nimirum de bono & strenuo duce, de illustri & nobili prosapiâ, de glorioso nomine, de modo professionis.* Extat opus Mediolani inter monumenta Patrum in Conventu Gratiarum. Obiit anno 1290, de quo *in Bibliotheca Domi-*

nicana ad annum 1290 pag. 64 Ambrosius de Altamura.

ENGELHARDUS Abbas in Lanckaim claruit circa annum 1290 & scripsit maturo stilo *Vitam sanctæ Virginis Mechtildis* filiæ Principis Berchtoldi Comitis de Andechs, Abbatissæ in Diessen, deinde in Oetilstetten, quam vitam ex membranis Monasterii Diessensis primus Latinam inseruit tom. 5 antiquæ lectionis Ingolstadii in 4° edito anno 1604 Henricus Canisius: cum antea D. Philippus Dobereiner Decanus ad B. Virginem Monachii, ex Latino Germanica Paraphrasi traduxisset, atque emitti in publicum procurasset. Vide quæ Henricus Canisius habet præloquio ad Lectorem, ante ipsam sanctæ Mechtildis Vitam, Antonium Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Engelgardus* pag. 504, & verbo *Mechtildis* pag. 100 secundæ partis.

JOANNES PECKAM Anglus Ordinis Fratrum Minorum, ac demum à Nicolao tertio Pontifice Maximo Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus creatus est. Is pietate atque doctrina B. Bonaventuram sub quo Magistro didicit, imitatus ita expressit, ut in plerisque eundem diceres. Scripturam Sacram cum Parisiis atque Oxonii publicè esset interpretatus, inde quoque atque Londino prophanas vocum novitates à nonnullis fidei malè sanæ, irrepentes coërcuit, quo ex facto colluctatus cum bestiis fuisse dicebatur. Scripsit autem *Collectaneum Bibliorum* quem alii *Collectorium* vocant in quatuor libros partitum. *Collectorium Bibliorum* ut scimus, fuit excusum Coloniæ anno 1541 à Melchiore Novesiano, ac *Collectarium Sententiarum Bibliorum* Parisiis anno 1514 à Joan-

ne Frellonio : sed unum & idem esse haud dubito, quod in certos communes locos reductum, suppeditat facilè quidquid usui potest esse Concionatorum. Extant adhuc varia ejus Opera Mss. in Bibliothecis Anglicis nempe, *De perspectiva* Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 28. *De Mystica Numerorum Interpretatione in sacra Scriptura*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 16 cujus principium, *Quia Domine*, &c. *De Trinitate sive Officium Sanctissimæ Trinitatis*, Ms. privatim Cantabrigiæ in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 100: quod Officium Sanctæ Trinitatis ab eodem compositum Franciscus Titelmannus sua expositione illustravit. *Meditatio de Corpore Christi*, Ms. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 393. *Collationes de omnibus Dominicis per annum*, ibidem Mss. in Bibliotheca Penbrochiana cod. 175. *Disputationes Thomæ & Pecchami*, Mss. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 12. Alii obiisse ferunt hunc virum anno 1290, Labbeus in Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum anno 1292. Eisengrenius certè asserit vixisse anno 1283; ut qui Rodulphus è Tussiniano in Historia Seraphica scripsit eum obiisse anno 1209; intelligendus sit mutatis numeris anno 1290, sicut habet G. Servatius Miricanus inferioris Germaniæ ejusdem Ordinis Provincialis in Enchiridio Fratrum Minorum. Miraculis autem post mortem claruisse; iidem qui suprà, ac post eos Henricus Vvillotus in libro suo quem inscripsit *Athenas Franciscanas* asseruit. Hæc nos ut plurimùm ex Antonio Possevino *in Apparatu sacro*. Plura Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 217 & seqq.

BALDUINUS Ninovensis in Flandria, Canonicus Ordinis Præmonstratensis, scripsit *Chronicon à Christo nato ad annum* 1294 quo vivebat, Ms. asservatum in Archivis Ninovensis Abbatiæ, ut à Fratribus accepi dum illac transirem, sed quod ob absentiam Abbatis non vidi.

ALANUS DE INSULIS Principali Gallicanæ Flandriæ oppido oriundus, cum Ecclesiasticæ Scholæ Parisiis per annos plures præfuisset, sæculi pertæsus, Cistercium ad conversionem se contulit, ubi mortuus est anno 1294 die 30 Januarii. Scripsit multa, quæ diligentibus curis inquisita Carolus de Vvisch Cœnobii Dunensis in Flandria Prior, evulgavit simul collecta in fol. anno 1653 Antuerpiæ. Cui volumini addidit Appendicem ad quosdam Alani libros in Mss. mutilos, sub finem suæ Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Cistercienſis in editione secunda quæ Coloniæ Agrippinæ procurata est in 4° anno 1656 apud Joannem Busæum. Præter impressa autem à Carolo de Vvisch Alani Opera, extat insigne ejus Opus seu Summa *quot modis* appellata, sic enim in Manuscripto Codice & ab Auctore vocitata est, quæ procedit secundum Alphabeticum ordinem, deducens hoc ordine *quot modis* unaquæque res bonam vel malam in partem sumpta fuerit in Scripturis sacris, opus Concionatoribus idoneum. Habetur Ms. in parvo 4° in Bibliotheca Regalis-Montis Ordinis Cistercienſis, dedicatum Hermengaldo sancti Ægidii Abbati, cujus hoc initium. *Reverendissimo Patri ac Domino Hermengaldo Dei gratiâ sancti Ægidii Abbati, Alanus dictus Magister, sic in præsenti multiplici insigniri gratiâ, ut in futuro præmietur in gloria. Cum mun-*

dus diversis olim, &c. Agunt pluribus de Alano Insulensi Carolus de Visch *in sua Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, Joannes Trithemius *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Henricus Gandavensis ibidem cap. 21, Aubertus Miræus in Scholio ad caput 21, Henrici Gandavensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 166 suæ Bibliothecæ, Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, & alii.

CÆLESTINUS quintus, Summus Pontifex Romanus factus anno 1294 die 7 Julii, quam dignitatem in Ecclesia summam singulari ac summa humilitate abjecit post quinque menses & dies octo. Huic attribuuntur *multa Scripta*, quæ ex Mss. Codd. prodierunt primùm Neapoli anno 1640, unde translata sunt postea in Bibliothecam SS. Patrum ultimæ editionis Lugdunensis anni 1677. Mortuus est anno 1296 die 8 Junii, ætatis 87, de quo loquuntur, qui scripserunt Historiam Romanorum Pontificum.

PETRUS JOANNES OLIVI, Gallus natione, professione Ordinis Fratrum Minorum, scripsit anno circiter 1294 *in Apocalipsim Commentarium*, qui extabat temporibus Joannis XXII. Papæ, sed quem comburi velut hæreticum jussit. Condemnatio hujus operis legitur apud Stephanum Baluzium tom. 1 Miscellaneorum pag. 213 & sequentibus, facta à duodecim Magistris in Theologia, referentibus verba aliqua dicti commentarii ad censuræ suæ probationem. Obiit in Conventu Narbonensi anno 1297 die 16 Martii, quem post multos annos exhumatum comburi jussit Joannes Pontifex; quod parum favet iis qui volunt multa ab ipso patrata miracula post mortem. Plura Lu-

cas Vvadingus *in Annalibus* ad annum 1297 num. 33, & *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 284.

1300. BERENGARIUS DE FREDOL seu FREDOLIUS, adhuc juvenis eligitur Canonicus & posteà Succentor sancti Nazarii, deinde Abbas Beati Aphrodisii Biterrensis, demùm Episcopus Biterrensis renuntiatur anno 1298, sub quo per Metropolitanum Ægidium Amelinum, Biterris duæ Synodi annis 1299 & 1302 celebratæ sunt. Fuisse inter Doctores Juris Canonici suo tempore clarissimos, constat ex auxilio quod præstitit in condendo libro sexto Decretalium Bonifacio VIII. cujus extiterat Capellanus, adjuvantibus Ricardo de Senis Cardinale, & Guillelmo Mandagoti Ebredunensi Archiepiscopo. Jurisprudentiæ scientia clarissimus, ad Guillelmum de Mandagoto Archidiaconum Nemausensem, à quo libri De Electionibus Prælatorum nuncupatione honestatus fuerat, vicissim ipse volumen inscripsit quod super Summam Ostiensis *Elucidarium per seriem Alphabeti* composuit. Hanc Elucidationem quam prænotavit *Oculum*, habes cum Summa Ostiensis impressâ in folio Basileæ anno 1573. Extat hoc opus Ms. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 246 inscriptum, *Inventarium in Jure Canonico per Berengarium Episcopum Biterrensem*: itemque Ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 1495. In eadem Bibliotheca sancti Benedicti cod. 290, *Summa Domini Berengarii Cardinalis, magni Pœnitentiarii Domini Papæ, de omnibus Casibus Juris in quibus quis est excommunicatus.* Et cod. 291, *Casus spectantes ad Curiam Romanam Auctore Berengario.* Itaque ob scientiæ eminentiam,

Clemente V electo ad Summi Pontificatus apicem, ab eo purpura insignitur in prima creatione Lugduni 1305 tit. SS. Nerei & Achillei, posteà Episcopus Tusculanus Boncamatio successit anno 1309, dictus perperam Stedelli pro Fredoli à Ciacconio. Obiit Berengarius Avenione 5 Idus Junii circa annum 1323, cujus corpus à Guillelmo Fredolio nepote & successore elatum, sepelitur in Cathedralis Capella sancti Stephani. Qui alia cupit, adeat Antonium Possevinum in Apparatu sacro pag. 212, verbo *Berengarius Biterrensis*, Fratres Sammarthanos in Gallia Christiana tom. 2. pag. 422 in Episcopis Biterrensibus.

GUILLELMUS DE MANDAGOT SEBENNAS, primùm Nemausensis & Uticensis Archidiaconus, mox Capellanus Summi Pontificis & Præpositus Ecclesiæ Tolosanæ, tandem à Bonifacio VIII. Ebredunensi Metropoli ornatus circa annum 1295. Celeberrimus fuit Juris utriusque interpres, cujus Opera, in condendo sexto Decretalium libro usum esse eundem Bonifacium, colligitur ex præfatione operis. Multaque alia Jurisprudentiæ scripsit monumenta, uti *Tractatum De Electionibus Prælatorum* ad Berengarium Biterrensem Ms. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Collegii novi codd. 166 & 196, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri codd. 151 & 158: sed impressum Coloniæ anno 1573 unà cum additionibus Boërii, qui incipit, *Quia cum Electiones*. Hic donis ingentibus Metropolim suam locupletavit, functusque est legatione Pontificiâ ad Regem Aragoniæ cum Carolo II. Provinciæ Comite. Creatus autem Cardinalis Prænestinus à Clemente V. anno 1312 14 Decembris, Bonifacium egregiè propu-

gnavit. Tandem ex hac vitâ decessit Avenione mense Novembri anni 1321, vel ut aliis placet, triennio post, sedente Joanne XXII. Ejus cum laude meminerunt Bernardus Guidonis, Trithemius, Abrahamus Bzovius, Ciaconius & Ughellus in Episcopis Prænestinis: quibus addito Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 414 pag. 266, & Sammarthanos Fratres in Gallia Christiana tom. 1 pag. 280 in Archiepiscopis Ebredunensibus.

PETRUS DE ALVERNIA, Magister in Theologia & Canonicus B. Mariæ Parisiensis, scripsit anno 1301 *Summam Quodlibetorum*, quam habes Ms. codice 963 Bibliothecæ Colbertinæ.

JOANNES LE MOINE, communiter Joannes Monachus, Frater Andreæ Noviomensis Episcopi, aliàs cognominatus *des Cranches*, è Cressiaco Pago juxta Abbatis-Villam Diœcesis Ambianensis oriundus, qui cum jus Pontificium apprimè nosset, Romam profectus, ibidem in Cardinalium Contubernium sub titulo Sanctorum Marcellini & Petri admissus est ante annum 1298. Edidit Commentarium in Sextum Decretalium Bonifacii VIII, quod Ms. Cantabrigiæ in Collegio Aulæ sanctæ Trinitatis cod. 7 sub hoc titulo: *Apparatus sexti libri Decretalium per Joannem Monachum, tit. Sanctorum Marcellini & Petri Presbyteri Cardinalis anno Domini* 1298. Hic verò Commentarius impressus est Parisiis anno 1535 sub nomine *Cardinalis non Monachi*, deinde Venetiis anno 1586, cum additionibus Philippi Probi Bituricensis Jurisconsulti excusus est. Hic ex Rotæ Auditore in Purpuratorum Ordinem

cooptatus est à Cœlestino V. anno 1294, non à Bonifacio VIII. Dicitur Consiliarius Philippi Pulchri 1303 & Episcopus Meldensis in Necrologio sancti Pharonis. Condidit Lutetiæ Parisiorum anno 1302 ampliſſimum sui nominis Collegium, dictum Cardinalitium juxta sancti Victoris portam & suburbium, quod dotavit & statuta à Bonifacio VIII. probari obtinuit. Præterea Vice-Cancellarius Romanæ Ecclesiæ extitit, Legatus in Gallias ad Philippum Pulchrum à Bonifacio illi tum infenso, cujus acta Legationis & articulos Regi propositos ad subscribendum, citat Spondanus in suis Annalibus. De hujus Cardinalis familia, eruditione, Scriptis ac gestis plenè edisserit auctor, qui Notis Ciaconium illustravit, cujus sequens Epitaphium videtur in Sacello Cardinalitii Collegii. *Hic jacet Dominus Joannes Monachus Ambianensis Diœcesis, tituli Sanctorum Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis, Fundator istius Domus, qui obiit Avenione anno Domini 1313 die 22 mensis Augusti, sepultus fuit hic primâ die mensis Octobris ejusdem anni.* Vide Antonium Possevinum in Apparatu sacro, Sammarthanos Fratres in Gallia Christiana tom. 3 pag. 701 ubi de Episcopis Meldensibus.

HAYTO ARMENUS Haytonis Armeniæ Regis consanguineus & nepos, post multas bello partas Victorias, abjecto cingulo, nomen Christianæ Militiæ datum, observantiæ etiam regulari se obtulit anno circiter 1290 in Episcopio Cypri, Præmonstratensis Instituti Cœnobio. Scripsit Historiam de rebus fortiter à se gestis aliàs inscriptam, *Itinerarium & flos Historiarum Ecclesiæ Orientalis, passagium Terræ Sanctæ, &c.* Quam

Hiſtoriam ex idiomate Gallico Latinam fecit Nicolaus Salcoin ſeu Salconius in Urbe Pictavenſi anno Domini 1307 juſſu Clementis Papæ V. Extat excuſa Haganoæ anno 1529 in 4°, & Baſileæ inter novi Orbis Scriptores annis 1532 & 1555, Helmeſtadii in 4° anno 1585 parte ſecundâ Chronici Hieroſolymitani, ſeu de bello Sacro duobus tomis à Reinero Reineccio; denique Coloniæ Brandeburgicæ in 4° anno 1671 cum aliis, ſtudio & curis Andreæ Mulleri. Opus iſtud extat Ms. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Mertonenſi cum hoc Lemmate: *Liber Hiſtoriarum partium Orientis quem ego Nicolaus Falcon ſcripſi primo Gallico idiomate, & de Gallico tranſtuli anno* 1300. Sed fallit hæc inſcriptio. Extat etiam Manuſcriptum in Bibliotheca Colbertina cod. 3810 ſub hoc titulo: *Flos Hiſtoriarum Terræ Orientis, quem compilavit Frater Haytonus Dominus Curchi, conſanguineus Regis Armeniæ anno* 1307 *in civitate Pictavenſi Regni Franciæ, è Gallico in Latinum verſus à Nicolao Falconi.* Habet Haytonis mentionem Aubertus Miræus in Auctario ſuo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 413, ubi ait Præmonſtratenſes & Dominicanos facere illum ſui Ordinis: ſed ſolvit controverſiam ipſe Hayto, qui in ſua Hiſtoria cap. 46 narrat amplexum ſe fuiſſe Præmonſtratenſe Inſtitutum. Porrò ſi (ut loquuntur caſuiſtæ) eò gravius eſt furti peccatum, quò egentior eſt is cui aliquid abripitur: ne dubites Amice Lector, peccatum eſſe graviſſimum illius, qui Scriptores aliquos Ordini noſtro Præmonſtratenſi abripuerit, quorum ipſe pauperrimus ſemper fuit. Peccavit igitur, & quidem mortaliter (ſi mihi credatur) Amb. roſius de Altamura qui *in Bibliotheca Domi-*

nicana ad annum 1307 pag. 87 hunc Haytonem nobis suffuratus est, suis adscribens Dominicanis.

GUILLELMUS DE NANGIACO Monachus sancti Dionysii in Francia Ordinis Divi Benedicti, magnus suo tempore Historicus, floruit sub finem sæculi XIII & initium sæculi XIV, scripsitque *Chronicon ab initio mundi usque ad annum* 1301 quo florebat, quod postea à duobus ejusdem Abbatiæ Fratribus continuatum usque ad annum 1368. Habetur impressum in Spicilegii Dacheriani tomo XI pag. 405 & sequentibus. Scripsit pariter *Chronicon Regum Franciæ usque ad annum* 1301, itemque *Vitam sancti Ludovici IX. Francorum Regis, & filiorum ejus Philippi Audacis ac Roberti Borboniana familiæ capitis*: quæ omnia continentur in quinto tomo Collectionis Historicorum de Rebus Francicis, quam procuravit doctissimus Andræas Ducheſnius. Videantur omnes qui scripserunt de Rebus Gallicis, maximè Sammarthani Fratres qui perpetuò allegant Guillelmum de Nangiaco, in Historia sua Gallica *Domus* seu *familiæ Regiæ Francorum*.

JOANNES DE PARIS seu PARISIENSIS, cognomento *de Soardis*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Doctor Theologus Facultatis Parisiensis, floruit sub finem sæculi XIII & initium XIV. Scripsit *Tractatum De Regia Potestate & Papali*, quem è tenebris vindicasse falsò asserere audet Melchior Goldastus tom. 2 Monarchiæ. Quippe præ manibus habemus excusum illum Parisiis anno 1506 in 4°, cum Durandi de sancto Portiano, Petri Paludani, Hervei Britonis, & aliquot aliorum Dominicanorum opusculis. Con-

tra *Corruptorium doctrinæ S. Thomæ Aquinatis* scripsit, non secus atque Ægidius Columna Romanus, Richardus Clapuël Anglus, & alii. Illud Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 10, extatque etiam impressum sub nomine Ægidii Romani Ordinis Fratrum Eremitarum Augustinianorum. Interim moneo observandum cum R. P. Theophylo Raynaudo *in libro Erotematum* de malis ac bonis libris, deque justa aut injusta eorum confixione pag. 122, *Correctorium Corruptorii doctrinæ sancti Thomæ Aquinatis*, sub nomine Ægidii vulgatum, tribui Joanni Parisiensi Ordinis Prædicatorum ejusdem Ægidii æquali, tum à Joanne Pico Quæstione 1 Apologeticâ, tum à Leandro Alberto l. b. 4 De viris illustribus Prædicatorum. Verùm ut rectè idem subjungit, cùm addat Leander Richardum quoque Clapuël Anglum scripsisse de eodem argumento & titulo librum: quidni & ipse Ægidius eâ de re scribere, & vindex pro Magistro exsurgere potuerit? Quare ad Mss. Codd. & coëtaneorum Scriptorum testimonia recurrendum est. Item Mss. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Lincolnienſi cod. 16, *Determinatio F. Joannis Paris. vel Parisiensis de Secta Christiana per gentilium testimonia*, atque *determinatio ejusdem de Confessionibus Fratrum*. Spondanus ad annum 1304 num. 14 ex Joanne Brehaldo ejusdem Ordinis, narrat cognomine *Pungentis Asinum* appellatum fuisse, vulgariter *Jean Piquelasne*, unde suppresso cognomine Joannes Parisiensis dictus est. Volunt aliqui eum obiisse Romæ, cùm ad Bonifacium VIII. Papam ab eo evocatus perrexisset, unde ante annum 1307 mortuum volunt: sed tamen alii ad Clementis V. tempora

vitam ejus prorogant. De eo Trithemius, Leander Albertus, Antonius Senensis, Bellarminus, Aubertus Miræus in Auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 405 pag. 263, Labbeus, Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1277 pag. 46, & alii.

MATTHÆUS VVESTMONASTERIENSIS Monachus Ordinis Divi Benedicti prope Londinum in Anglia, quem alii appellant Matthæum Florigerum, scripsit *Historiam rerum præsertim Anglicarum* quam inscripsit *flores Historiarum*, usque ad annum 1307 quo Eduardus I. Angliæ Rex mortuus est. Hoc opus impressum in folio Londini anno 1570, & in Germania in folio Francofurti anno 1601. Hujus meminerunt Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Matthæus Vvestmonasterienſis* & *Matthæus Florigerus*: Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 515 pag. 279, & novi Rerum Anglicarum Scriptores.

NICOLAUS TRIVETTUS, vulgò *Treveth* ac *Trivet*, Anglus pariter eodemque tempore florens, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, ad eundem usque annum 1307 quem Eduardi Angliæ Regis XXXV supputat, scripsit *insigne Chronicon*, quod ex Mss. erutum habet Lucas Dacherius tom. 8 sui Spicilegii, lectuque dignissimum est. Idem habetur Ms. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 75, Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti cod. 60. Ejusdem linguâ Gallicâ *De gestis Imperatorum, Apostolorum & Regum* Ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 138. *Commentarii in B. Augustinum de Civitate Dei*, Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti

Petri cod. 24 & in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 247. *Flores super Augustini Regulam*, Mss. in eadem Lumleii Bibliotheca cod. 291. *Super Boetium de Consolatione Philosophiæ*; Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 236. Ejusdem Nicolai Treveth Ordinis Prædicatorum *Commentarius Tragediarum Senecæ*, Ms. cod. 2780 Bibliothecæ Colbertinæ. *Tabula super Allegorias Ovidii*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod 142. *Alia quædam Opera Nicolai Triveth*, ibidem Mss. cod. 147. Annales ejus de Regibus Anglicis incipiunt ab anno 1136 ad dictum suprà annum 1307. Quantùm autem ad Commentarios *super Divum Augustinum de Civitate Dei*, vult Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Nicolaus Triveth*, in illis terendis eum habuisse collaborantem sui Ordinis Thomam Vvalleis dictum *Anglicum*. Sed videat ipse Possevinus quomodo hoc esse possit; cum Nicolaus Trivetus floreret & scriberet circa annum 1307, alter verò circa annum 1400; nam distantes viri tanto temporis intervallo, simul uni operi collaborasse non possunt. Rectius forsan locutus fuisset Possevinus si hunc Commentarium dixisset incœptum fuisse à Nicolao Trivetho, perfectum verò successu temporis à Thoma Vallensi seu Gualensi Anglico. Extant hi Commentarii Mss. Neapoli in Conventu sancti Dominici, Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum, Cameraci in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ: imò impressi sunt Venetiis anno 1489. Multa de Nicolao Triveto Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Sixtus Senensis, & Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1361 pag. 129 &

in Appendice pag. 486, ubi eum defigit eidem anno.

JOANNES DE JOINVILLA Dominus hujus Urbeculæ, Seneſçallus Campaniæ, qui ſanctum Ludovicum IX. Francorum Regem in Expeditionem Ægyptiacam anno 1248 ſecutus eſt, ſcripſit accuratam *idiomate Gallico Hiſtoriam ejuſdem ſancti Regis*. Hanc cum Gaufrido de Belloloco Ordinis Fratrum Prædicatorum, & cum altero Guillelmo Carnotenſi ejuſdem familiæ Dominicanæ Theologo & ſancti Ludovici Capellano, qui ambo de rebus præclarè geſtis S. Ludovici Latinè ſcripſerunt: Claudius Menardus Conſiliarius Regius & Proprætor Andegavenſis anno 1617 Pariſiis junctim excudendam curavit, additâ *ordinatione* ut vocant *ab ſancto Ludovico factâ* 1228 *pro Extirpatione Hæreſis Albigenſium*; Additâ item *Epiſtolâ quam idem Rex de captione & liberatione ſuâ ſcripſit*, cum aliis monumentis huc ſpectantibus. Eandem Hiſtoriam *Joannis de Joinvilla* cum doctis Annotationibus edidit in fol. Pariſiis apud Sebaſtianum Mabre-Cramoiſy Typographum Regium anno 1668, Carolus du Cange Quæſtor Regius Ambianenſis, cui Operi addidit idem Carolus du Freſne *Vitam ſanctæ Iſabellæ Sororis ſancti Regis Ludovici, filiæ Ludovici VIII. & Blanchæ Caſtellanæ*, quam ſimplici idiomate Gallico compoſuit Agnes Abbatiſſa Longi-Campi circa annum 1300, quam ibi legito. Vivebat adhuc valde ſenex Joannes de Joinvilla anno 1310, cujus mentionem faciunt Poſſevinus *in Apparatu ſacro* quem *Joannem Jonvillium* appellat pag. 903, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 396 pag. 260, Scriptores Rerum Gallicarum Præcipui.

JACOBUS DE VITERBIO, Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini, Lutetiæ Pariſiorum Theologiam in Conventu ſui Ordinis docuit, inde Neapolitanus Archiepiſcopus, ſcripſit ad Clementem V Summum Pontificem *De Regimine Chriſtianitatis lib.* 2, qui Mss. extant Romæ in Bibliotheca Vaticana, & Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Divi Auguſtini. *Sermones per annum*, qui Mss. aſſervantur Romæ in Bibliotheca Canonicorum ſancti Petri, & Cremonæ in dicta Auguſtinianorum Eremitarum Bibliotheca. *Commentarium in 4 libros Magiſtri Sententiarum*, cujus Commentarius in tertium, Ms. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Balliolenſi cod. 55. Plura Poſſevinus *in Apparatu ſacro*; Elſius in Encomiaſtico Auguſtiniano Bruxellis in fol. anno 1654 ex Typographia Franciſci Vivieni.

JOANNES DE SANCTO GEMINIANO Ordinis Fratrum Prædicatorum vivebat anno 1310, juxta Antonium Senenſem in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, anno 1300 vel circiter juxta Labbeum in Chronologia Brevi Scriptorum Eccleſiaſticorum, vel anno 1319, ſi credimus Eiſengrenio. Summus fuit Theologus & Concionator nobilis, ſcripſit *Summam de Exemplis & Rerum Similitudinibus* locupletem, omnibus divini verbi Concionatoribus & aliis utilem, quæ Venetiis anno 1577 & 1582 apud Damianum Zenarium, Antuerpiæ anno 1583 in 8 & anno 1599 in ædibus Petri Belleri, Lugduni autem anno 1585, cui adjunctum eſt Sophologium Sapientiæ Iacobi Magni. Et quidem poſt aliquot editiones, ea præſtare videtur quæ ab Ægidio de Rocha Ord. Eremitarum Divi Auguſtini emendatior prodiit, cum illâ

illa primùm prolata fuisset in lucem anno 1499 Basileæ apud Petrum Langestein. Ejusdem Summa *Universum Prædicabile* inscripta, prodiit Coloniæ in 4° anno 1670, an eadem cum Summâ Exemplorum & Similitudinum, ego definire non audeo, qui utramque simul non contuli. Scripsit quoque *Orationes funebres* quæ Parisiis editæ sunt anno 1611 in 8°, itemque *Sermones Quadragesimales*, editos Venetiis anno 1584 in 8°. Orationes etiam funebres editæ Lugduni anno 1510. Plura vide apud Antonium Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Joannes è sancto Geminiano*, pag. 880. Ambrosius de Altamura, multa loquitur *in Bibliotheca Dominicana* de Joanne isto Geminianensi; cui tandem placuit collocare illum ad annum 1244 pag. 9 Bibliothecæ & in Appendice ad eundem annum pag. 432. At inquit contra Antonium Senensem Lusitanum *in Bibliotheca* pag. 146 ubi dicitur vixisse anno 1310, contra Eisengrenium apud Antonium Possevinum tom. 2 *Apparatus sacri* fol. 183 ubi dicitur floruisse anno 1319. Nam ait Altamura pag. 432; *cum venerit Neapolim sub Gregorio nono Summo Pontifice; argumentum est claruisse circa annum* 1255. *Gregorius nonus rexit Sedem Apostolicam ab anno* 1227 *usque ad annum* 1241 *quo obiit.* Idem in Bibliotheca pag. 9 adhuc præstantiora narrat, utinam rectè probata. Joannes de Sancto Geminiano, venit « Neapolim cum B. Thoma Agnileontino, illuc à « Gregorio nono ad extinguendas Hæreses per Fre- « dericum II Imperatorem disseminatas misso. Hu- « jus sanctitate ac eloquentia sanctus Thomas Aqui- « nas, cum daret ibi operam Litteris, illectus « sæculum abdicavit & nostræ Religioni voluit «

„ cooptari. S. Thomam qui à matre & fratribus
„ in arce Castri sancti Joannis detinebatur, pluries
„ invisens adjuvit, eique de libris atque vestibus
„ benignissimè in carcere providebat. Insuper cu-
„ ravit obnixè ut Ordini restitueretur, illúmque
„ fœliciter Neapolim emissum, è dicto Castro
„ per fenestram, reduxit. Hæc quidem præclara Joannis de sancto Geminiano in sanctum Thomam Aquinatem beneficia, sed quæ probanda sunt ab Ambrosio Altamurano, per contemporaneos & idoneos testes: nam *quod de tam antiquis temporibus dicitur, contemnitur, nisi probetur.* Appellabimus hæc fælicia hujus Bibliothecarii somnia, vagasque ingenii imaginationes, quamdiu non probaverit. Mirum sanè, quod ob tam insignia in sanctum Thomam Aquinatem officia, hunc Joannem de sancto Geminiano *titulo Beati* non compensaverit. Hic solus, opinor, è Dominicano Ordine, tot tantaque comminiscitur.

„ BERTRANDUS DE TRILLA Ordinis Fratrum
„ Prædicatorum scripsit *Commentaria in 4 libros Sen-*
„ *tentiarum*, claruit anno 1296. Hæc Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 219. Hujus autem Bertrandi Commentarius sub nomine auctoris proprii Ms. in Bibliotheca sancti Victoris ad muros Parisienses, ut habet Joannes Launoïus Doctor Theologus in Opere *De Regia in matrimonium Potestate*, impresso Parisiis in 4° anno 1674 apud Viduam Edmundi Martini viâ Jacobæâ sub Sole Aureo. Ibi allegat Bertrandum hunc parte 1 pag. 9, quem tamen collocat inter Thomam de Argentina qui floruit anno 1350 & Ioannem Capreolum qui à Trithemio vixisse dicitur anno 1415, ab Antonio Senensi anno 1424, à

Bellarmino anno 1410. Quid si deceptus est unius centenarii oblivione Typographus, ponens 1296, pro 1396, quod valde probabile est? Hoc tamen definire nolim, cum ad id non suppetant mihi idoneæ rationes; unde conjecturaliter tantùm loquor: ut nullum tempori Auctoris legitimo ex hac ejus collocatione imposterùm nascatur præjudicium, vel veritati enucleatiùs elimandæ. Ex unico duos fecit pro more suo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* pag. 217 ubi sic: *Bernardus de Trillia Diœceseos Nemausensis prope Provinciam & Avenionem, Ordinis Prædicatorum Theologus, scripsit Postillas in Ecclesiasten, in librum Sapientiæ, in Joannem usque ad 2 caput, in Apocalipsim, in Psalterium, in Canticum Canticorum. Quæstiones de differentia esse & essentiæ, de Anima, de Potentia Dei, de spiritualibus creaturis. Quodlibeta aliquot. Quæstiones super totam Astrologiam. De cognitione animæ separatæ, quod moriens non potuit absolvere. Vivebat anno 1291. Antonius Senensis Lusitanus.* Hæc Possevinus, nomine *Bertrandi* mutato tantùm in *Bernardum*, ut ex uno Scriptores duos faceret.

ADMONITIO LECTORI.

Imposterùm paucos ex multis Scriptores attingam, impossibile enim est omnes ob multitudinem recensere. Præterea facillimum est pleroſque videre, quid & in quibus locis floruerint, scripserint, evulgaverint; cum locis & annis impressionum, quæ designantur maximè in Bibliotheca Conradi Gesneri, & Apparatu sacro Antonii Possevini à nobis sæpe sæpius citato.

1310. GUILLELMUS DURANTI, nepos alterius Senioris, ejusdémque nominis & cognominis, quem varia Scripta illustrarunt, de quibus Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tomo 3 pag. 730, *in Episcopis Mimatensibus*. Hic dictus nomine IV, ad distinctionem quandam ab avunculo suo, qui III Guillelmus fuit in ordine Mimatensium Episcoporum. Sub illo primùm factus Mimatensis Canonicus, ac postea Archidiaconus, deinde provisus de Episcopatu per Bonifacium VIII Papam Epistolâ Regesti Vaticani, Pontificatus anno 2, Christi 1296, & apud Ughellum Italiæ sacræ tomo 2 pag. 501, & quæ refert etiam Gallia Christiana loco cit. Hic autem Guillelmus anno 1297, consentiente Capitulo, ordinavit, neminem ad Canonicatus Ecclesiæ admittendum esse, cujus parentela usque ad tertiam generationem aliquo modo Ecclesiam Mimatensem inquietasset. Anno 1306 hic litem admodum arduam composuit inter Petrum Ruthenensem Episcopum & Bernardum Comitem, de qua in Archivis Episcopatus, ubi in Autographo Guillelmum IV sese appellat. Interfuit Concilio Viennensi anno 1311. *Deque rebus in eo tractatis selectam relationem idem Guillelmus Mimatensis recensuit, cujus acta extant in Codice Vaticano*, inquiunt Fratres Sammarthani. At vix, ac ne vix quidem adduci possum ut credam, hanc operam è Sammarthanis illi attributam, esse aliud aliquid *à Tractatu de modo celebrandi generalis Concilii per Guillelmum Durantum Episcopum Mimatensem, jussu Clementis V. Summi Pontificis edito, & Concilio Viennensi oblato*; quem habes impressum

apud Franciscum Clouzier Parisiis in Aula Palatii, juxta ædes primi Præsidis, ad insigne Beatæ Mariæ Virginis, in 8° anno 1671 : unà cum libello Nicolai Clemangis Archidiaconi Bajocensis, Doctoris & Theologi Parisiensis, *De corrupto Ecclesiæ statu*, libello Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis Episcopi *De Emendatione Ecclesiæ*; Concilio delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum *De emendanda Ecclesia*, Sanctissimo D. N. Nicolao III exhibito, & ipso jubente conscripto; Oratione Gentiani Herveti *De reparanda Ecclesiastica disciplina*. Qui primus hunc *Tractatum de modo generalis Concilii celebrandi* edidit, hic Philippus Probus Jurisconsultus Bituricensis, celeberrimus, qui eum Parisiis anno 1545, decimo-quinto Kalendas Aprilis dedicavit *Sanctissimo D. N. Paulo divinâ providentiâ Papæ III. & Reverendissimis sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, ac cæteris in Christo Fidelibus, ad universale Concilium in Tridentina Civitate celebrandum convocatis.* Impressus etiam postea in 4° Parisiis anno 1635, cum iisdem adjunctis. Deceptus tamen tam in sua dedicatoria Epistola, quàm Vita præmissa Auctoris, Philippus Probus, qui hoc opus affixit, & opinatus est spectare ad Guillelmum Durantum Seniorem, seu tertium & Patruum, quem constat esse mortuum Romæ anno 1296, & nunquam attigisse sæculum decimum-tertium ex Epitaphio sepulchrali ejus lapidi appenso, quod ab ipsis Fratribus Sammarthanis refertur in Gallia Christiana tomo 3 pag. 730, *in Guillelmo Duranti III.* At spectat ratione temporis quo scriptus est, certissimè ad Nepotem & Guillelmum Durantum Ju-

dinis Dominicani. Mortuus est Friburgi anno 1314, multis, ut fertur, Miraculis coruscans: de quo mentionem habent Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Joannes Bossinensis* pag. 827, ubi perperam illum attribuit Ordini Fratrum Minoritarum: & verbo *Joannes Friburgensis* pag. 877, & verbo *Raymundus de Pennaforti.* Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 483 pag. 272, Lucas Vvadingus in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum, Philippus Labbeus in sua Dissertatione Historica De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis tom. 2, verbo *Raymundus de Pennaforti* pag. 280, Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum* fol. 131 & 134, Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1314 pag. 95 & in Appendice pag. 468 ad eundem annum.

VICTOR PORCHETUS DE SALVATICIS, Genuensis floruit anno 1315, assumptoque Carthusiani Ordinis habitu scripsit opus nobile contra Judæos, ubi probat per Scripturas Veteris Testamenti & libros Thalmudistarum atque Cabalistarum veritatem Christianæ Religionis. Inscribitur *Victoria Porcheti adversus impios Judæos*, quam Augustinus Justinianus Nebiensis Episcopus recognitam edidit anno 1520 Parisiis apud Ægidium Germontium. Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Porchetus de Selvaticis*, aliique Scriptores de rebus Carthusianorum, faciunt mentionem hujus Scriptoris.

1320. JOANNES DE SANCTO VICTORE Parisiorum, Canonicus Regularis Augustinianus hujus Abbatiæ, olim ob pietatem & doctrinam cele-

berrimæ, scripsit Historiam ad annum 1322 *Memoriale Historiarum* inscriptam, cujus impressum aliquod fragmentum ab Andræa Ducheſnio tom. 1 Collectionis veterum Historiæ Francicæ Scriptorum. Hanc autem nondum impressam, habes Ms. in Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis, & Collegii Navarrici ibidem, itemque in Anglia Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 239 & in Collegio sancti Benedicti cod. 20. Agunt de eo Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 403 pag. 262, Labbeus in Dissertatione Historica de iisdem à Bellarmino recensitis verbo *Joannes Parisiensis* tom. 1 pag. 597, Joannes Launoïus libro De Scholis celebrioribus per Occidentem renovatis cap. 59 art. 4 pag. 202.

JACOBUS DE LAUSANNA Theologus Parisiensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum & Provincialis Franciæ, deinde Episcopus Lausannæ, vir magni nominis, ut ingenii ac pietatis. Scripsit *Opus Moralitatum* in duodecim libros distinctum quod Concionatoribus commodum, Lemovicis quæ civitas in Gallia est prodiit olim, hoc est, anno 1528 è prælo Claudii Garneri: quod adhuc Ms. in sui Ordinis Conventu (ut vocant) asservatur Insulis, quæ est Belgii Civitas. Scripsit etiam opus Sermonum de tempore ac de Sanctis, qui extant Mss. in Cœnobio SS. Joannis & Pauli quod est Venetiis, Rhegii in Italia in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, Fusniaci in Bibliotheca quæ est Cisterciensium in Episcopatu Laudunensi, & alibi. At cum quonam anno ille vixerit, non omnino certum sit: Sixtus enim Senensis ait eum claruisse anno 1390, auctor Supplementi Chronici

Dominicani inquit anno 1375, alii verò ad annum 1362 referant. Illud majorem habet fidem, quod Antonius Senensis Lusitanus scribit, se vidisse in antiquis Scripturis quæ in Barcinonensi Dominicanorum Conventu asservantur, eum Parisiis anno 1317 ad gradum Licentiatus fuisse promotum. Hæc nos ex Possevino omnia desumpsimus in Apparatu sacro, verbo *Jacobus Lausanensis* pag. 787. Ambigo tamen multùm an ille unquam fuerit Episcopus Lausanensis cujus nullum indicium in Episcopis Lausanensibus, quos Fratres Sammarthani referunt in tom. 2 Galliæ Christianæ. Plura dabit Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1334 pag. 112, & in Appendice pag. 474.

JOANNES VITALIS à FURNO, Vasatensis, Vasco sive Aquitanus, Ordinis Fratrum Minorum, & Cardinalis Episcopus Albanus à Clemente V Summo Pontifice creatus, scripsit *Speculum morale totius S. Scripturæ*, quo Universa ferè loca Veteris & Novi Testamenti mysticè explanantur: impressum Lugduni anno 1513 apud Joannem Moylin, Venetiis autem anno 1594 apud Floravantem Pratum, & anno 1600 apud minimam Societatem. Scripsit & postillam in Apocalypsim quæ incipit: *Spiritu magno vidi ultima*, quæ extabat Ms. Bononiæ in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum: sed postea ipse auctor Sarnani Cardinalis operâ, apud Basam ac deinde Venetiis prodiit. Ejusdem Joannis Vitalis Ordinis Fratrum Minorum *Sermo de Conceptione gloriosæ Virginis genitricis Dei*, Ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 3971. Eisengrenius scribit eum vixisse anno 1320, Nicolaus Bertrandus anno 1310, Labbeus in bre-

vi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum obiisse Avenione anno 1327 die 16 Augusti. Consule Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Joannes Vitalis à Furno* tom. 1 pag. 953 & tom. 2 verbo *Vitalis à Furno* pag. 532 : & Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Minorum* fol. 330, ubi plura de illo habentur.

PHILIPPUS EISTETENSIS in Germania Episcopus, scripsit circa annum 1320 *Commentarium de Patronis & Episcopis Eistetensibus*, evulgatum curâ & studio Iacobi Gretzeri in 4° Ingolstadii anno 1617 apud Angermariam, cum Aldeberto Abbate Heidenheimensi, de quo diximus ad annum 1164.

GUILELMUS NOTTINGHAMUS natione Anglus, claruit circa annum 1320, doctus ac laboriosus Theologus, cujus etsi nihil quod sciam editum sit, multa tamen Mss. latent in Bibliothecis Angliæ. Porro ut testatur Ms. cod. 31 Bibliothecæ Balliolensis Oxonii, iste Nottingham fuit primùm *Canonicus secularis & Præcentor Eboracensis Ecclesiæ, postea factus est Frater Ordinis sancti Francisci.* Plura de illo & ejus operibus habet Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 154. Scripsit *Quæstiones super 4 Evangelia*, Mss. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 41, Magdalenensi cod. 51, Balliolensi cod. 31, Mertonensi cod. 124. Item *super textum omnium Evangeliorum totius anni quæ leguntur in Ecclesia Sarum in Dominicis diebus*, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 166 & in Collegio sancti Benedicti cod. 214. *Quæstiones*, Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana cod. 106. *Quæstiones de Oratione Dominica & Regulam vivendi*, Mss. Oxonii in Bibliotheca Mer-

tonenſi cod. 143. *Contra errores Pelagii*, ibidem Ms. cod. 219. Paucis de illo loquitur Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, ſed plura in Eclo-ga Oxonio-Cantabrigienſi Thomæ Jamezii, quæ Londini anno 1600 impreſſa eſt in 4° apud Geor-gium Bishop & Joannem Norton. Obiit Guillel-mus Nottinghamus Leyceſtriæ anno 1336 die 5 Octobris, ut habet Labbeus in brevi Chronolo-gia Scriptorum Eccleſiaſticorum.

MARINUS SANUTUS, cognomento *Torcellus*, Patricius Venetus, floruit anno 1322, ſcripſitque *Libros de Fidelibus cruce-ſignatis ſuper Terræ San-ctæ recuperatione & conſervatione, cum ejuſdem Terræ deſcriptione Geographica*: ex quibus libris duos anno 1321 Sanutus Pontifici Romano obtu-lit. Idem ſcripſit *Epiſtolas plures ad diverſos*, in his ad Ioannem Papam, Andronicum Paleolo-gum Imperatorem Conſtantinopolitanum, Ioan-nem Brabantiæ Ducem, ad varios Cardinales, alioſque Antiſtites. Impreſſum Opus Sanuti, in Collectione geſtorum Dei per Francos, à Iacobo Bongarſio edita Hanoviæ in fol. anno 1611 typis Vvechelianis. Vide Poſſevinum *in Apparatu ſacro*, Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 358 pag. 249, qui pluribus de eo loquitur.

GUIDO Abbas Sancti Dionyſii in Francia, Or-dinis Divi Benedicti, claruit anno 1310, tempore Philippi Pulchri Regis Francorum. Scripſit *Sancti-logium*, ſeu gloſſavit Martyrologium Uſuardi, quod habetur Mss. in Bibliotheca Sancti Victoris Pari-ſienſis. Vixit uſque ad annum 1333, ut conſtat ex determinatione quadam Scholæ Theologicæ Pari-ſienſis hoc anno factæ, cui cum aliis Doctoribus

ſubſcripſit. Hujus mentionem, ſed modicam facit *in ſuo Apparatu* Antonius Poſſevinus. Qui nihil cupit, adeat Galliam Chriſtianam Sammarthanorum Fratrum tom. 4. *in Abbatibus Sancti Dionyſii in Francia*: Omiſerunt enim hunc Abbatem in ſuo Catalogo, qui medius eſſe deberet inter Ægidium de Pontiſara mortuum anno 1325 die 30 Decembris, & Gualterum de Pontiſara Ægidii conſanguineum.

JOANNES BELETH Doctor Pariſienſis, floruit anno circiter 1160, juxta Labbeum *in brevi Chronologia Scriptorum Eccleſiaſticorum*; ſed meo quidem judicio rectiùs anno 1328 juxtà Claudium Joly Pariſienſem Canonicum, in opuſculo quod edidit anno 1661, *De verbis MS. Uſuardi in Eccleſia Pariſienſi*, quoad Beatæ Mariæ Aſſumptionem. Ejus agendi ratio ſpirat ſæculum XIV, non XII. Scripſit autem Joannes Beleth *nobile Opus de divinis Officiis*, evulgatum poſt Rationale Divinorum Officiorum Guillelmi Duranti Mimatenſis Epiſcopi, à Cornelio Laurimanno Ultrajectino, impreſſumque in 8° Lugduni anno 1574, & Antuerpiæ 1570 etiam in 8°; & poſteà ſæpiùs in locis plurimis. De illo Antonius Poſſevinus *in Apparatu Sacro*, Conradus Geſnerus *in Bibliotheca*, & alii multi.

HUBERTINUS DE CASALI, ex Ordine Fratrum Minorum, tum poſtea Benedictinus & Carthuſianus, floruit anno 1322, & ſcripſit volumen inſcriptum *Arbor Vitæ Crucifixæ*, impreſſum olim Venetiis in 4° anno 1485 Litteris Gothicis. Item *Opus de ſeptem Statibus Eccleſiæ*, dignum Cenſurâ, quam paſſus dicitur, ob nimiam ſuam in ſanctum Franciſcum devotionem, impreſſum

etiam Venetiis in 4° anno 1516, ut legitur in Bibliotheca Bodleiana. De illo parcè Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, ampliùs Lucas Vvaddingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum*, pag. 329.

ALBERTINUS MUSSATUS Patavinus, Poëta & Historicus, circa 1324 scripsit *Libros sexdecim De gestis Henrici VII.* Imperatoris, & alia Venetiis in folio edita anno 1636, cum Notis Laurentii Pignorii. Sunt autem alia multa simul edita cum Operibus Albertini Mussati, nempe *Chronicon Rolandini, Chronicon Anonymi Monachi Paduani, Chronicon Antonii Godii: Chronicon Nicolai Smeregi cum Supplemento Scriptoris Anonymi de rebus gestis in Lombardia & Marchia Tarvisina, Gerardi Mauritii Historia Dominorum de Romano & Marchiæ Tarvisanæ, Cortusiorum Historia de Novitatibus Paduæ & Lombardiæ ab anno 1256 ad annum 1644.* Obiit Exul Clodii anno 1329, de quo parcè Aubertus Miræus in Mantissa ad Auctarium suum *De Scriptoribus Ecclesiasticis.*

SIMEON METAPHRASTES, Auctor Græcus, de cujus ætate ab omnibus fermè eam designantibus, peccatum est. Scripsit *Vitas Sanctorum* græcè, desumptas ex Auctoribus antiquioribus, quorum suppressis nominibus omnes postmodùm sub nomine Simeonis Metaphrastis allegatæ ac productæ sunt. Usus est ipse Simeon liberiore stilo, in evulgandis colligendisque in unum Legendis ejusmodi Antiquis: nam alias ob stilum forsitan minùs comptum, aut Simeonis ingenio nullatenus arridentem interpolavit, exponens abundantiori verborum phalerâ, quæ simpliciùs Au-

ctores primigenii deduxerant. Alias, quas nimirùm breves est opinatus, amplificavit; unde absque dubio nomen ipsi Metaphrastis aut Paraphrastis obrigit usque nunc, quòd tantis Vitas Sanctorum phrasibus atque ornatibus verbi, prolixiores effecerit. Alias denique è contrario in Compendium redegit, quas ob primævam amplitudinem vel rerum gestarum molem, Lectori fastidiosas credidit: ita ut pauciſſimæ in hoc Collectaneo Metaphrasteo in integritate suâ nativâ remanserint. Hoc à doctiſſimis viris agnito, qui jam græcas ejusmodi Vitas suscipiunt evulgandas Antuerpiani Bollandistæ Societatis Jesu, recurrunt ac sano prorsus consilio ad ipsos fontes antiquorum manuscriptorum Codicum, & illatis Antiquæ integritati per Simeonem Metaphrastem vulneribus, peritâ manu medentur. Extant eæ in tribus tomis Aloysii Lipomani, quinto videlicet, sexto & VII, interpretibus Guillelmo Sirleto S.R.E. Cardinali, Gentiano Herveto Aurelianensi Canonico Remensi, & Francisco Zino Veronensi: unde & Surius pleraque hausit. Manuscripti verò Codices græcè in Bibliothecis Romanis Vaticanâ & Sfortiana, in Messanensi, Regia Gallica & Hispanica, atque in aliis locis. Cæterùm de ætate Simeonis Metaphrastæ inter eruditos grandis est quæstio. Quidam ejus ætatem referunt ad tempora Constantini IV Imperatoris Constantinopolitani, sive ad annum Christi 770. Cardinalis Baronius in gestis anni 859, censet ipsum vixisse sub Michaele III Imperatore Constantinopolitano, hoc est, circa annum Christi 860, Monet illum, quòd Michaël Psellus in Oratione quam Surius ad diem 27 Novembris edidit, & quam

in laudem Simeonis Metaphraſtis conſcripſit, Simeonem vel ſibi contemporaneum, vel ſuo tempori proximum fuiſſe ſignificat. At uterque Baronius & Bellarminus ponunt velut indubitatum atque extra controverſiam, Michaelem Pſellum ſub Michaele III Imperatore claruiſſe. Nec poteſt negari iis temporibus, vel paulò antè vixiſſe quemdam Michaelem Pſellum, cum id apertè teſtetur Joannes Curopalates: ſed Joannes Gerardus Voſſius negat iſtum Simeonis Metaphraſtæ Laudatorem, ſive Encomiaſtem, eſſe nobilem illum Philoſophum, cujus permulta hodièque ſuperſunt. Porrò ad dirimendam hanc grandem controverſiam, Leo Allatius inter Græcos hujus ſæculi doctiſſimus, ſcripſit Commentarium ſuum *De Simeonibus*, quem in 4° edidit anno 1664 Pariſiis Simeon Piget, viâ Jacobæâ ſub ſigno Prudentiæ. In Opuſculo iſto excutit accuratiſſimè omnia quæ ſpectant ad Scripta atque ad ætatem noſtri Simeonis Metaphraſtæ, quem tandem certis argumentis alligat contra Veterum omnium hujus ſæculi Scriptorum ſententiam, ad annum Chriſti 1314, cujus ſententiam ob momenta rationum quas affert, lubens amplector. Floruit itaque Metaphraſtes ab anno circiter 1314 ad annum 1330, de quo parcè loquuntur Bellarminus & Poſſevinus, paulò ampliùs Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* capite 302 pag. 235. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica De Scriptoribus iiſdem à Bellarmino recenſitis tomo 2 pag. 354, ubi cœcutit cum aliis circa ætatem hujus Auctoris, Joannes Bollandus in ſuis generalibus prolegomenis ad Vitam Sanctorum: ſed pleniſſimè atque planiſſimè omnium

nium, citatus Leo Allatius in Opusculo singulari suo *De Simeonibus* inscripto, quem composuit occasione difficultatum & dubiorum circa ætatem atque Opera Simeonis Metaphrastis. De Vitis Sanctorum quas scripsit, ita censet Aubertus Miræus loco citato. *Metaphrastes porrò scripsit Vitas Sanctorum, ut diximus, easque ad mensium dies digessit, sed non integrâ semper fide, nam ut Bellarminus in Catalogo notavit*, multa edidit ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt. *Uterque etiam tam Baronius quàm Bellarminus, agnoscit aliquas Vitas à Junioribus esse adjectas, nempe omnium eorum qui vixerint post annum* 850, *quo Metaphrastem claruisse arbitrantur.*

ANDRONICUS Constantinopolitanus, ex Imperatoria Commenorum familia oriundus, scripsit *Dialogum contra Judæos*, quem Joannes Livineius Canonicus Antuerpiensis latinè reddidit, & Petrus Stevartius Doctor Theologus Ingolstadii edendum curavit in Supplemento Antiquarum Lectionum Henrici Canisii: idemque extat tomo decimo quarto Bibliothecæ Veterum Patrum editionis à Colonienſibus anno 1618 procuratæ. Extat autem græcè Ms. in Bibliotheca sereniſſimi Ducis Bavariæ cod. 128 opus Andronici contra Judæos, de quo loquitur Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 412, pag. 466.

ODORICUS DE PORTUNAONO, quod oppidum in Foro-Julii, Italus, Ord. Fratrum Minorum, claruit circa annum 1320 atque ulteriùs; cúmque per multum temporis itineratus fuisset ad longinquas regiones, reliquit posteris Opus inscriptum;

Itinerarium Fratris Odorici de Ordine Fratrum Minorum de Mirabilibus Orientalium Tartarorum, Ms. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti codd. 4 & 72, & in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 147. Item *Chronicam compendiosam à mundi exordio ad finem fermè Pontificatus Joannis XXII*, quo tempore ipse decessit. Hanc accepit ab amico manuscriptam Lucas Vvadingus, atque ex ea plura in rem suam decerpsit, ut fatetur *in Bibliotheca Ordinis Minorum.* Obiit Utini anno 1331 die 14 Januarii, de quo vide Lucam Vvadingum *in Bibliotheca sua Ordinis Fratrum Minorum* paginâ 270, & *in Annalibus* ad annum 1331 numero 11.

BERNARDUS GUIDONIS Ordinis Fratrum Prædicatorum, ôb doctrinam & pietatem factus Episcopus Lodovensis anno 1324 post Joannem de Taxandria Cadurcensem Franciscanum, scripsit & dicavit Joanni Papæ XXII *Speculum Historicum Romanorum Pontificum, Imperatorum & Regum Francorum usque ad annum* 1322. Item *Speculum Sanctorale seu Sanctorum*, quod Manuscriptum asservatur in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Avenionensium. *Chronologiam Episcoporum Tolosanorum & Lemovicensium, cum Catalogo Episcoporum Lodovensium; & librum de fundatione & progressu Conventus Lemovicensis Fratrum Prædicatorum*, quæ Mss. apud Dominicanos Avenione & Lemovicibus, de quibus Labbeus excepit aliquid in nova Bibliotheca Mss. librorum, quam edidit duobus tomis in folio Parisiis anno 1657 apud Sebastianum Cramoisy. Item *Vitam sancti Fulchranni Episcopi Lodovensis*, apud Bollandum die 13 Februarii. *Speculum* verò *Histori-*

rum Bernardi Guidonis, *continens Summos Pontifices, Imperatores & Francorum Reges*, extat etiam Ms. in Bibliotheca Colbertina ex codicibus Thuaneis, in folio & in 8°, cum *libro ejusdem de Conciliis.*

Porrò multi Codices manuscripti in Bibliotheca Colbertina Operum Guidonis, quorum præcipuus 735, in quo hujus Bernardi, *Catalogus Romanorum Pontificum.*

Ejusdem *Catalogus Imperatorum Romanorum, & Regum Francorum.*

Ejusdem *Tractatus brevis de temporibus & annis generalium & particularium Conciliorum*, qui etiam habetur in aliis ejusdem Bibliothecæ codicibus; Puta 1521 & 1858.

Ejusdem *Tractatus de Officio Missæ.* Itemque *De Casibus qui contingere possunt in celebrando.*

Ejusdem *De Præceptis Decalogi.*

Item *Nomina Apostolorum, & nomina LXXII. Discipulorum.*

Ejusdem *Catalogus Episcoporum Lemovicensium.*

Ejusdem *Nomina Sanctorum Diœcesis Lemovicensis.*

Ejusdem *Catalogus Episcoporum Tolosanorum.*

Ejusdem *Liber de Fundatione Ordinis Grandimontensis.*

Ejusdem *Descriptio Galliarum.*

Ejusdem *Dicta Sanctorum Patrum atque Doctorum Ecclesiæ, loquentium de Peccato Originali.*

Ejusdem *Libellus de Articulis Fidei & Sacramentis Ecclesiæ*, Ms. cod. 2901.

Obiit anno 1331 die 13. Novembris, ætatis 70, cujus corpus illatum est in Ecclesiam Dominica-

norum Lemovicensium, ut testamento suo injunxerat.

HENRICUS DE CARRETO, ex Ordine Fratrum Minorum, floruit anno 1320 ad 1330, vel circiter, de quo sic loquitur Ferdinandus Ughellus tomo 1 Italiæ sacræ pag. 881 in Episcopis Lucanis: 68 *Frater Henricus ex Ordine Minorum subrogatus est anno* 1300 *Kalendis Augusti à Bonifacio VIII, cassata electione Raynerii de Monte-Magno Canonici Lucano à Capitulo celebrata, tanquam vitiosè habitâ, ex Regesto Vaticano Epistolâ* 211, *fol.* 316 *anno citato. Hic relicta Sede Lucâ excessit, Ludovico Bavaro infectante, quod Anti-Papæ noxiosissimas partes sequi noluisset. Hic erat Petrus Corbarius, qui nescio quem Rochigianum Tadolinum in hanc sedem intrusit, ex Ordine Dominicano assumptum, qui anno* 1327 *hanc tyrannicè administrabat Ecclesiam. Excessit autem Henricus circa annum Domini* 1330, *cujus Vvadingus meminit ex Vaticano Regesto.* Juxta Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Fratrum Minorum* pag. 163, *hic* » *Henricus de Careto* Lucanus Episcopus scripsit » *super visionem Rotarum Ezechielis Prophetæ volu-* » *men mediocre*, quod habetur membranis exaratum » & figuris perpulchris ornatum, nullâ sui parte » vitiatum Tolosæ in Bibliotheca Collegii Fuxen- » sis, scriptum anno 1316. Hæc Vvadingus alienâ fide. At manuscriptus Codex Collegii Fuxensis successu temporum allatus in Colbertinam Bibliothecam, quem vidimus numero 781, cujus inscriptio: *Logica & modus atque resolutio Sacræ Scripturæ in Ezechielem Prophetam*, &c. *edita à Fratre Henrico de Careto. de Ordine Minorum, Lucano Episcopo.* Incipit: *Sanctissimo in Christo*

Patri & Domino ſuo Domino Papæ Joanni Romano & univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Frater Henricus Lucanus Epiſcopus, licèt indignus, ſeipſum ad pedes, &c. *Quoniam ſecundùm Apoſtolum oportet Epiſcopum irreprehenſibilem*, &c. Opus autem incipit, *Cùm Opera omnia Dei perfecta ſint*, &c. Opus non eſt, ut ait Vvadingus, mediocre ſed prolixum ſatis, & quas appellat figuras perpulchras, vidimus Myrmidonem quendam Franciſcanulum, offerentem opus ſuum Joanni Pontifici : nec aliæ comparent in codice manuſcripto, quem doctiſſimus atque humaniſſimus Baluzius nobis obtulit viſendum.

GUIDO cognomento *Terreni*, è Perpiniano oriundus, Ordinis Fratrum de Monte Carmelo, Doctor & Lector Theologus Pariſienſis, claruit circa annum 1330, ut conſtat ex quibuſdam publicis Inſtrumentis. quibus ſubſcripſit. De illo Bellarminus & Labbeus, quibus addo eundem Guidonem Carmelitam ſcripſiſſe ad Gauzelinum Epiſcopum Albanenſem & S. R. E. Cardinalem, *Commentarium in Opus Decretorum Gratiani*, quod Ms. anno 1672 allatum eſt in Bibliothecam Regiam Gallicam, ut tradit Stephanus Baluzius Notis ſuis in Gratianum pag. 642. Item *Summa illius de Hæreſibus & earum Confutationibus* impreſſa eſt anno 1631 Coloniæ Agrippinæ, ad cujus calcem *adjecta Concordia quatuor Evangeliſtarum cum perpetuis Commentariis*, Opus ejuſdem Guidonis: de quo ſiluerunt Bellarminus & Labbeus, apud quos plura vide de ipſo. Denique ſcripſit *Tractatum de perfectione vitæ*, quem edidit idem Frater Guido cùm eſſet Epiſcopus Majoricenſis, manuſcriptum autem habes in Bibliotheca Colber- 1330.

tina cod. 506, cum aliis Tractatibus multis tempore Joannis XXII Papæ confectis, occasione contentionum in Ordine Minorum excitatarum. Vide Lezanam in Historia Carmelitarum, qui plura dabit verba *de Guidone*, quem communiter vocant *de Perpiniano*.

GUILLELMUS DE MONTIBUS, natione Anglus, Canonicus Lincolnienſis, claruit circa annum 1330, & multa ſcripſit, quæ manuſcripta extant in Anglicanis Bibliothecis, ſub titulis ſequentibus.

Numerale, Ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi cod. 198, Mertonenſi cod. 176, Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Benedicti codd. 250 & 311, Domus Sancti Petri cod. 88, & in Archivis Collegii Caii cod. 244.

Similitudinarium, Ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi cod. 198, Mertonenſi cod. 176, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, cod. 88.

De Tropis, Ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi cod. 196.

Collecta ſuper Pſalterium cum Scholiis ejuſdem, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana cod. 149.

Speculum Pœnitentiæ, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana cod. 170.

Summa ſeu Tractatus qui bene præſunt, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi codd. 153 & 171, Cantabrigiæ in Bibliotheca Sancti Benedicti cod. 119.

Diſtinctiones Theologicæ, Mss. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 244.

Sermones, Manuſcripti Cantabrigiæ in Bi-

bliotheca publica codice 128.

Constat autem ex quibusdam Operum ipsius titulis, fuisse eum Cancellarium Ecclesiæ vel Collegii Lincolnienſis.

PHILOTHEUS primùm Monachus, postea Patriarcha Constantinopolitanus, claruit anno circiter 1330 & seqq. Cujus pauca quidem extant impressa; multa manuscripta in Bibliothecis: atque ut à celebrioribus ejus Operibus, quæ nondum prodierunt, incipiamus, extant Mss. *Philothei Patriarchæ Constantinopolitani Homiliæ in Evangelia & Dominicas totius anni, & aliæ ex ſancto Joanne Chryſoſtomo potiſſimùm deſumptæ*, in Bibliotheca ſereniſſimi Bavariæ Ducis codd. 83 & 94, & in Bibliotheca Regis Catholici Hiſpaniarum. Ejuſdem *Philothei Patriarchæ Conſtantinopolitani libri quindecim, contra Nicephorum Gregoram de divina Subſtantia, Operatione, Potentia, de lumine in monte Thabor, & id genus aliis*, Mss. in eadem Bibliotheca cod. 111: qui etiam græcè Mss. habentur in Vaticana, ut ex ejus Catalogo apud Poſſevinum conſtat, in Appendice ad Apparatum ſacrum. Item *Philothei Patriarchæ Anathematiſmorum ſub Conſtantino Porphyrogeneta, & duobus aliis Imperatoribus latorum, everſio ſeu confutatio*, Ms. in Bibliotheca Vaticana ex cod. Heidelbergenſi 256. Hujus *Philothei Patriarchæ Sermo encomiaſticus* in tres Hierarchas Baſilium, Gregorium Theologum, & Ioannem Chryſoſtomum, latinè & græcè editus à Iacobo Pontano Societatis Ieſu, cum Dioptrâ Philippi Solitarii, Ingolſtadii anno 1604 in 4°: ſed Ms. græcè in Bibliotheca Vaticana, & in Bavarica codd. 39 & 117. Ejuſdem *in omnes Sanctos*, in quo codice extat etiam *Com-*

pendium de œconomia hominis Christi, ejusdemque *encomium in magnum Christi Martyrem Demetrium*, Mss. in eadem Vaticana. Denique scripsit *Homiliam de Cruce*, quam græcè & latinè edidit Jacobus Gretzerus tom. 2 Operis De Cruce, quod sæpè allegavimus. Sunt & alia forsitan in aliis Bibliothecis, spectantia ad hunc Philotheum Patriarcham. Atque de Philotheo ipso pleraque honorificè scripta invenies libro 4 Historiæ Joannis Cantacuzeni, quamvis ubi se scripserit Oecumenicum Patriarcham, hæc vox *Oecumenicus* eradenda sit. Hanc enim superbè & schismaticè sibi usurparunt Patriarchæ Constantinopolitani, quemadmodum D. Gregorius Magnus Joanni Patriarchæ exprobravit. Hæc & alia Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, verbo *Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus*, quem adeas.

ANDRONICUS SEBASTUS floruit eodem tempore, scripsitque *Dialogum Imperatoris & Cardinalis de Processione Spiritus Sancti*, *Disputationem Imperatoris cum Doctore Armeniorum Petro*, *De duabus in Christo Naturis*, *& aliis Capitibus*. Denique confecit *Scriptum contra Joannem Veccum*: quæ omnia manuscripta græcè extant in Bibliotheca serenissimi Bavariæ Ducis cod. 120. Hic Auctor infensus Latinis fuit, quos acerrimè impugnare cum aliis multis aggressus est.

THOMAS DE LA MOOR Anglus, Eques Nobilis, scripsit *Opus de Vita & Morte Eduardi secundi Angliæ Regis*, quod habetur in Collectaneo rerum Anglicarum Guillelmo Cambdeno procurante, quod editum in fol. Francofurti in Germania anno 1603 typis Vvechelianis, cum Operibus Asseri Menevensis, Thomæ Vvalsinghami,

& Silvestri Geraldi Cambrensis, de quo nos ad annum 1440 *in Thoma Vvalsinghamo* postea. Cùm autem Eduardus II mortuus sit anno 1327, floruit scripsitque Thomas circa annum 1330, vel paulò seriùs.

MONALDUS Justinopolitanus, Dalmata, Ordinis Minorum, Archiepiscopus Beneventanus, vir doctus & devotus, scripsit *Summam Juris Canonici*, *Quæstiones in quatuor libros Magistri Sententiarum*, *& Sermones varios*: cujus Summa *Aurea* dicta Lugduni anno 1516 prodiit apud Petrum Baletum. Vixit anno 1332, glorioso Martyrio coronatus, Argengæ quæ urbs est Saracenorum. *Summa Juris Cononici* incipiens, *Quia ignorans ignorabitur*: quam Lucas Vvadingus dicit haberi manuscriptam in Vaticana Bibliotheca, eadem mihi videtur cum impressa, quæ hoc prologo caret. Videant alii per otium. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum*, Arturus du Montier Rothomagensis *in Martyrologio Franciscano*, quod editum in folio Parisiis anno 1638 apud Dionysium Moreau, viâ Jacobæâ sub Salamandra. Ibi autem ad diem 15 Decembris, notat non posse esse unum & eundem illum Monaldum Beneventanum Archiepiscopum & Monaldum Martyrem apud Saracenos, cum Monaldo Scriptore Summæ quæ *Monaldina* dicitur. Sed ex tribus Monaldis unum esse confectum & confusum, optimè docet in suis Notis ad diem Decembris undecimam, quorum primus & antiquior Monaldus Martyr mortuus est anno 1288, vel 1289 die 2 Martii, ex sancto Antonino, Marco Ulysipponensi, Bosio & aliis. Alius

Monaldus Archiepiscopus Beneventanus mortuus die 11 Decembris, & tertius Scriptor Summæ mortuus est circa annum 1332 die nonâ Novembris.

ALEXANDER DE SANCTO ELPIDIO, quod oppidum est in Umbria ditione Romanæ Ecclesiæ, quem puto errore Amanuensium scriptum esse *De sancto Clipidio*. Generalis Magister Ordinis Eremitarum Divi Augustini, claruit anno 1330, factusque fuit Amalphitanus tandem Archiepiscopus. Extat *Opus ejus de Ecclesiæ potestate, unitate, paupertate ad Summum Pontificem*, Ms. Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum. Impressus est autem *Alexandri à Sancto Elpidio olim Ordinis Augustinianorum Generalis, Tractatus de Ecclesiastica potestate*, Arimini anno 1624, curâ & studio Angeli Vantii Ariminensis, sacræ Theologiæ Doctoris, Ordinis Eremitarum Divi Augustini. Item *Tractatus de Jurisdictione Imperii & auctoritate Summi Pontificis, per Fratrem Alexandrum de Elpidio*, Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Emanuelis cod. 1. Plura de illo agunt absque dubio Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano, & alii rerum Augustinianarum Scriptores.

PHILIPPUS DE MONTE CALERIO, Ord. FF. Minorum, Lector Conventus Sacri loci Paduæ, scripsit anno 1330 Postillam super Evangelia totius anni : quæ manuscripta extat Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi cod. 32, sub hoc titulo : *Postilla super Evangelia Dominicalia, edita à Fratre Philippo de Janua, aliàs, de Monte Calerio, Ordinis Fratrum Minorum, tunc Lectore Conventus Sacri loci Paduæ anno* 1330. Eadem Cantabri-

giæ Ms. in Bibliotheca publica cod. 48, & Pembrochiana codd. 51 & 52. Ipse autem professus Ordinem Fratrum Minorum apud Tolosates, cujus *Conciones per totius anni Dominicos dies*, quæ in in Epitomen redactæ à Janselmo Canova Custode Cumano, & ipso Franciscani Ordinis, impressæ fuerunt Lugduni anno 1510 apud Balthasarem è Gobiano, & apud Jacobum Myth anno 1515, sicuti & *Quadragesimale ejusdem Philippi*. Vide Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, verbo *Philippus è Monte Calerio*, Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum*, pag. 294. De ejus ætate dubitat Philippus Labbeus, qui aliquando eum anno 1344 cum Possevino alligat, aliquando rejicit in annum 1390, quousque tandem senex valde, pervenire potuit.

PETRUS DE PALUDE seu *Paludanus*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Patriarcha Hierosolymitanus, de quo sufficienter Bellarminus atque Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Hic ad annum 1341, vel circiter pag. 370 : iste tomo 2 pag. 209 & seqq. tum in Addendis ad tomum 2 pag. 785, quibus subjungimus. *Tractatus Fratris Petri de Palude de paupertate Christi & Apostolorum contra Michaelem de Cesena*, Ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 506. Addit Labbeus *in Addendis citatis* reperisse in cod. 1874 Bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis, Libellum hujus Paludani, qui sic incipit : *Quoniam, sicut dicit Isidorus in libro de summo Bono, ad conversionem & correctionem mortalium multùm prosunt exempla Sanctorum, idcirco ego qui sum de Ordine Fratrum Prædicatorum, cogitavi ordinare ad utilitatem peccatorum & consolationem Prædicatorum*,

unam Tabulam per Alphabetum super Legendas Sanctorum, compilatas à Fratre Jacobo de Voragine Januensi, de Ord. Prædicatorum, ita quòd Prædicatores suis prædicationibus exempla magis convenientia citiùs & leviùs inveniant, &c. tum ad finem operis : *Explicit dicta Tabula super Legendas Sanctorum, edita à Domno Patriarcha Hierosolymitano, de Ordine Prædicatorum. Amen.* Multa Labbeus habet de Petro Paludano, itemque Possevinus *in Apparatu sacro* : sed farraginem inconditam Ambrosius de Altamura Dominicanus *in Bibliotheca Dominicana*, de eodem Paludano habet, ad annum 1333 pag. 110, & in Appendice ad dictam Bibliothecam ibidem pag. 472 : quam fermè omnem desumpsit ex Labbeo & Possevino. Impressum Opus Altamuri Romæ in fol. anno 1677, apud Nicolaum Angelum Tinassium, quod commodavit Stephanus Baluzius.

ALVARUS PELAGIUS, Ordinis Fratrum Minorum, natione Hispanus, vir valde doctus in utroque Jure, quem Joannis Scoti Auditorem appellat Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum*, ubi latissimè de Scriptis illius loquitur, post Bellarminum in opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, sæculo XIV pag. 369, & Labbeum ibidem tomo 2 pag. 176, sub nomine *Pelagii Alvari*. Hîc subticemus de Operibus Alvari, de quibus Bellarminus & Labbeus, addentes eundem Auctorem scripsisse aliud Opus inscriptum, *Collyrium Fidei adversùs Hæreses*, de quo loquitur Vvadingus, quodque ait asservari manuscriptum in Bibliotheca Vaticana ; nos autem affirmamus manuscriptum haberi etiam cod. 2071 in Bibliotheca Parisiensi Colbertina, ex illius Ca-

talogo. Habetur etiam teste Vvadingo, Ms. in Bibliotheca Toletana Fratrum Minorum, littera Y num. 66, diffusus Sermo ab eo habitus coram Pontifice Joanne XXII, ita inscriptus: *Sermo Fratris Alvari Hispani Decretorum Doctoris, Episcopi Coronensis & Pœnitentiarii Domini Papæ, factus in die Jovis Cœnæ Domini, in præsentia Domini Papæ Joannis XXII.* In eo totus adhæret Joannis opinioni circa visionem animarum, de quo latè differit idem Vvadingus in Annalibus anno 1333 num. 10, atque etiam Historia Universitatis Parisiensis sæculo XIV. Vixit sub annum 1340, quo ipse ait se correxisse Compostellæ, Opus *De Planctu Ecclesiæ*. Fuit Episcopus Coronensis in Achaia, & Silvensis in Lusitanorum Algarbiis, de quo supra citatus Vvadingus *in Annalibus* annis 1308, 1329, 1332, 1340. Sunt qui volunt hunc prolixum Sermonem, de quo statim egimus, esse idem Opus cum *Apologia* quam scripsisse dicitur *contra Marsilium Patavinum & Guillelmum Ockamum*, quod me latet.

DOMINICUS GRENIER, seu *Grenerius*, natione Gallus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, de Conventu Tolosano, Doctor Parisiensis. Post diversas in sua Provincia obitas Præfecturas, Apostolicus Pœnitentiarius instituitur, ac anno 1326 mense Januario Magister sacri Palatii à Ioanne XXII renunciatur, cui muneri duobus tantùm præfuit mensibus. Nam ab eodem Summo Pontifice die 13 Martii ejusdem anni 1326 evectus est ad Ecclesiam Appamiensem in Gallia, post mortem Iacobi de Furno, ut constat ex manuscripto codice Regesti Vaticani. Nicolaus Bertrandus in Commentario *De gestis Tolosanorum*, cap. *De Do-*

Etoribus Monasterii Tolosani sancti Dominici, ait fuisse Magistrum & Doctorem in Theologia valde nobilem, deinde Magistrum sacri Palatii, postea Episcopum Appamiensem, scientiâ & virtute magnum, feciſſe Postillas multùm utiles & solemnes super Pentateuchum, & super omnes libros historiales Bibliæ. Has habes, Lector, manuscriptas quinque voluminibus in fol. in Bibliotheca Colbertina codd. 114, 115, 116, 117, 118 inscriptas, *Lectura litteralis super Sacram Scripturam Fratris Dominici Grenier, vulgò Tolosani, Ord. Fratrum Prædicatorum.* Extant in Conventu Prædicatorum Tolosano Litteræ Ioannis XXII anno 1330, & Benedicti XII anno 1335, ad eundem datæ. Idem Nicolaus Bertrandus loco citato ait, feciſſe constrúi Cameram in majori Clauſtro Conventus Tolosani Dominicanorum, in qua Fratres illius Conventus sepelirentur, ad honorem sancti Antonini Martyris: necnon cameras hospitum & infirmorum prædicti Conventus. Fuit autem consummata prædicta Capella, ut legitur in ejus inscriptione, anno 1341 die 7 Novembris, ipso adhuc superstite, cum his Versibus.

Frater Dominicus, Domini Cultor benedictus,
Doctor mirificus, & Episcopus Appamienſis,
Sumptibus immenſis Opus hoc fabrefecit amicus,
Inde Deo gratus, regnat ſine fine beatus.

Invenitur & in Instrumento confirmationis privilegiorum civitatis Appamiensis anno 1342 in festo sancti Barnabæ Apostoli, unà cum Gastone Fuxi Comite, Condomino prædictæ Civitatis. Hæc nos ex Gallia Christiana Fratrum Sammarthano-

tum tom. 2 pag. 164 *in Episcopis Appamiensibus*, qui annum mortis ejus præcisè non designant, utpote sibi ignotum. At Audacior fuit Ambrosius de Altamura Dominicanus *in Bibliotheca Dominicana* ad annum Christi 1347 pag. 119, ubi ait: *Viginti annis huic Ecclesiæ præfuit optimus Pastor, quievitque in Domino* 1347. Fingit quidem & annum mortis & tempus Prælaturæ, sed hoc ei probandum erat quod supponit, & quod Sammarthani diligentiores, non noverunt. Legendus Joannes Michaël Pius parte 2 lib. 2 de viris illustribus Ordinis Prædicatorum.

GUILLELMUS OCKAM, de quo plura loqui nihil juvat, quippe quem multis hinc atque illinc corrogatis sugillandi occasionibus, Romanos Pontifices fatigasse constat. Extant Mss. sub nomine Ockami in Bibliotheca Colbertina cod. 731, *Tractatus Guillelmi Ockam quòd Benedictus Papa XII nonnullas Hæreses Johannis Papæ XXII amplexus est & defendit.* Item *ejusdem Epistola ad Fratres Minores in Capitulo apud Assisium congregatos anno* 1334. Plurima de Ockamo invenies in utramque partem apud Bellarminum in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 368; Labbeum ibidem tom. 2 pag. 407 & 408 & *in Addendis* pag. 787; Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, Lucam Vvadingum in Annalibus Fratrum Minorum & in Bibliotheca eorundem pag. 155, Melchiorem Goldastum Haimensfeldium qui tomo primo *Monarchiæ suæ* collegit summâ curâ, quicquid Guillelmi Ockami invenit *contra Romanos Pontifices.*

THEODORUS METOCHITA magnus Logotheta Constantinopolitanus, florebat anno 1332,

quo juxta quosdam obiisse dicitur. Scripsit *Paraphrases in octo libros Physicorum & parva naturalia Aristotelis*, quas à Gentiano Herveto è Græco in Latinum habes, impressas Basileæ anno 1559 in 4. Ejusdem *Historia Romana à Julio Cæsare ad Constantinum Magnum*, Græco-Latina à Joanne Meursio cum Notis, Lugduni Batavorum anno 1618 in 4. Ejusdem *De processione Spiritus Sancti & alia opuscula*, quæ Græco-Latina in Græcia Orthodoxa Leonis Allatii. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 428.

GUIDO DE MONTE-ROCHERI, Theologiæ Professor natione Gallus, scripsit anno 1333 opus prænotatum *Manipulus Curatorum ad Raymundum Valentiæ Episcopum, opusculum* (ut verbis ejus utar) *de institutione Neophytorum Curatorum, rudi quidem stilo sed utili, non curans de verborum ornatu, sed de animarum commodo & profectu.* Impressus est autem Venetiis anno 1491 apud Maximum Butricium Papiensem seu Ticinensem, emendatus verò à Troino Zane Sacerdote, ac Professore Decretorum. Scripsit præterea *Ritum celebrandi Officium Missæ pro institutione novitiorum Sacerdotum*, quod Venetiis & Antuerpiæ prodiit anno 1570. Hæc ex Apparatu sacro Antonii Possevini tom. 1 pag. 695, verbo *Guido de Monte Rocheri.*

GUILLELMUS DE RUBIONE, Theologus Ordinis Minorum, Minister quondam Provincialis Aragoniæ, floruit anno 1333, scribens *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, quæ prodierunt Parisiis in folio duobus voluminibus anno 1518 apud Judocum Badium Ascensium. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Lucas Vvadingus

dingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum* pag. 156.

SIMON BORASTON Anglus claruit anno 1336 & scripsit *Alphabetum de vocabulis prædicabilibus*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 161. *Compilationem de Ordine Judiciario circa crimina corrigenda*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi cod. 16, & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 140. *Distinctiones*, Mss. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 190, Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 82, Penbrochianâ cod. 102 & in Archivis Collegii Caii cod. 220. *De mutabilitate mundi*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi cod. 16, & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 140. *De Unitate & Ordine Ecclesiæ*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi cod. 16. Antonius Posſevinus in Apparatu sacro appellat *Simonem Bruneſton.*

HENRICUS DE URIMARIA Germanus, Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini, sanctitate & doctrina insignis fuit, de quo Jordanus hæc refert. *Ab omni procul otio verborumque vanitate, nunquam à studio Sacrarum Litterarum & oratione ceſſabat, niſi fuiſſet aliquâ in re utiliter occupatus: illudque in ore frequenter habebat, quod quando orabat, ipſe Deo loquebatur; quando ſtudebat Deus ſibi loquebatur: cum verò conſilium aut doctrinam impendebat, aut negotia aliqua diſponebat, ipſe de Deo & propter Deum loquebatur.* Scripsit *Additiones ad libros Sententiarum*, quæ cum Egidii Romani in eosdem Commentariis prodierunt Coloniæ anno 1513. *De quadruplici inſtinctu librum* qui incipit *ſemen aliud cecidit in terram bonam*, olim Venetiis impreſſum anno 1498, cum libro

De Deliciis Paradisi Bartholomæi Rimbertini Episcopi Coronensis, sed sub titulo alterius Henrici Ordinis Fratrum Prædicatorum. Denique ejus *Sermones de Passione Domini, de Sanctis & de quadruplici instinctu*, impressi sunt Haganoæ anno 1513, Parisiis anno 1514 & alibi. Sunt qui Henrico Urimarienſi etiam attribuunt *Præceptorium* nomine Nicolai Lyrani editum. Floruit anno circiter 1330 valde senex, de quo qui plura cupit, præter Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 433 pag. 261, legat abundanter loquentem de illo Antonium Possevinum *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 733, Philippum Elssium *in Encomiastico Augustiniano*.

DANIEL DE TARVISIO Ordinis Fratrum Minorum post multas peregrinationes & mansionem aliquantam in Regno Armeniæ, missus à Leone Rege Armenorum Romam tempore Benedicti XII circa annum 1338, scripsit in Armenorum justificationem, opus inscriptum: *Responsio Fratris Danielis de Taruisio Ordinis Minorum & Legati Leonis Regis Armeniorum ad errores impositos Armenis, tempore Benedicti XII*, Ms. cod. 1653 Bibliothecæ Colbertinæ.

RUDOLFUS DE FRAMEINBERG Pastor in Sucken anno 1336 arripuit iter in Terram Sanctam; quam per annos quinque lustravit, unde reversus composuit illius *Descriptionem oblatam Balduino Comiti Steinfordensi, Episcopo Paderbornensi*. Habes hanc operam editam cum Itineribus Marci Poli Veneti & Joannis de Montevilla, & tom. 6 Antiquarum Lectionum Henrici Canisii, cum Descriptione Terræ Sanctæ ab Anselmo Ordinis Fratrum Minorum, qui anno 1505 floruit.

Item tom. 5 earundem Lectionum *Hodeporicon Guillelmi de Baldenzeel ad Terram Sanctam*, quod anno 1337 susceptisse dicitur, quæ omnia congruè hic in unum congeruntur.

BERNARDUS Abbas Montis-Cassini & postea S. R. Ecclesiæ Cardinalis claruit anno circiter 1330. scribens *Speculum Monachorum Ordinis Divi Benedicti*. Item scripsit *Commentarium in Regulam ejusdem sancti Institutoris*; qui Commentarius extat Ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 196 & in Collegio sancti Benedicti codd. 86 & 252, & in Bibliotheca Montis-Cassini. Impressum autem est *Speculum Monachorum* Parisiis anno 1507 in 24° cum aliis opusculis. Vult Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* eum floruisse anno 1347 post Guillelmum Eisengrenium, Labbeus anno 1340 *in Chronologia Brevi Scriptorum Ecclesiasticorum*.

GEORGIUS PACHYMERES Constantinopoli oriundus sed Nicææ ortus, educatus atque in Sacerdotum numerum cooptatus, floruit circa annum 1340. Vivebat juvenis sub finem sæculi XIII circa annum 1280 sub Michaële Paleologo, à cujus temporibus Historiam suam orditur. Opus hoc sed mutilum, asservatur Græcè Ms. in Bibliotheca Augustana cod. 82 apud Vindelicos, ex quo Hieronymus Vvolfius quædam excerpsit, ac Nicephoro Gregoræ subtexuit: ac partem illorum quæ in Augustano codice desiderabantur, cum Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Breviario, Dionysius Petavius Parisiis evulgavit. Tandem Historia hæc ex Ms. Cod. Barberino evulgata est Romæ Græcè & Latinè 2 voluminibus in fol. anno 1661, quam Petrus 1340.

Possinus Soc. Jesu interpretatus est. Idem Pachymeres edidit *Commentaria seu Scholia in Opera D. Dionysii Areopagitæ*, quæ Græcè & Latinè iterùm ac tertiò impressa, cum operibus ejusdem sancti Dionysii. Item *opusculum de Processione Spiritus Sancti*, quod editum à Leone Allatio tom. 1 Græciæ Orthodoxæ, quam consule. Ejusdem *Epitome Logicæ Aristotelis* Græcè Parisiis anno 1548 apud Vascosanum : sed versa è Græco in Latinum à Philippo Bechio prodiit in fol. Basileæ anno 1560 apud Frobenium. Consule Leonem Allatium in Diatriba de Georgiis, & Petrum Possinum in præfatione sua ad Historiam dicti Pachymeris, post Aubertum Miræum in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 426, Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*.

JOANNES RIDEVALD, Anglus Ordinis Fratrum Minorum, floruit ab anno 1330 ad 1340 & ulteriùs. Extant sub ejus nomine Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 113 *Commentarius super Fulgentium continens picturas virtutum & vitiorum, sub imaginibus Deorum & Dearum, quos colebat nova superstitio paganorum, Auctore Fratre Joanne de Rideval de Ordine Fratrum minorum. Ejusdem Fabulæ CCXVIII Ovidii, Moraliter expositæ.* De his vide Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Joannes de Ridevall*, ubi improbat istum laborem ; Lucam Vvadingum *De Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 223.

RICHARDUS DE HAMPOOLE ex Eboracensi Anglorum Comitatu oriundus, quem non dubito esse illum eumdem quem Sixtus Senensis lib. 4 Bibliothecæ sanctæ *Pampolitanum* cognomine, *Anglo-saxonem* natione facit. Scripsit multa, quo-

rum plurima latent Mss. in Anglicis Bibliothecis & Gallicis, aliqua edita sunt in fol. Coloniæ anno 1536 ex Officina Melchioris Novesiani sub hoc titulo: *D. Richardi Pampolitani Anglo-Saxonis Eremitæ, viri in divinis Scripturis ac veteri illa solidaque Theologia eruditissimi, in Psalterium Davidicum, atque alia quædam sacræ Scripturæ monumenta, compendiosa juxtaque pia enarratio.* Scripsit autem *Commentarium in Psalmos universos*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 24, Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 313, impressum Coloniæ loco indicato pag. 1 & seqq.

In Cantica Veteris Testamenti quæ leguntur in Ecclesia cum Psalmis, impressum pag. 84.

Commentaria in aliquot versus Cantici Canticorum, Mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 201, & impressa fol. 142 nempe *encomium nominis Jesu*, ad illud Canticorum, *Oleum effusum nomen tuum*: & opusculum *De Amore Summo eodemque singulari* fol. 144, ad illud Canticorum, *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.*

Ejusdem *Commentarius specialis in Psalmum CXX*: Domine in virtute tua lætabitur Rex, impressus fol. 130, cum Commentariis *in aliquot Capita Job*, *in Threnos Jeremiæ*, *in Orationem Dominicam*, *Symbolum Apostolicum & Symbolum Athanasii*, quæ omnia impressa sunt Coloniæ, ut supra diximus.

Commentarius in Lectiones novem quæ leguntur in exequiis Mortuorum, Ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 58, Cantabrigiæ in publica cod. 137, Domus sancti Petri cod. 78, in Sorbonica Parisiensi cod. 1065. Impressus autem

loco citato *duplex Commentarius in novem Lectiones Job* à dicto Richardo pag. 89, & alter pag. 113 ex puris Divi Gregorii Papæ verbis conflatus.

Tractatus De emendatione peccatoris, seu *regula vivendi* vel *de emendatione vitæ*, Ms. in Bibliotheca Sorbonica cod. 1065; incipit *non tardes converti ad Dominum*, impressus loco dicto fol. 135. Ms. etiam Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 135, Balliolensi cod. 201, Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 40, & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 124.

Stimulus Conscientiæ, Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 143 & Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 195.

De reparatione lapsi, Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 242.

Tractatus, Judica me Domine, Ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 201.

Scala mundi, Ms. Cantabrigiæ in Collegio Divi Benedicti cod. 50.

Incendium amoris: incipit, *admirabar amplius quam enuntio*, Ms. in Bibliotheca Sorbonica cod. 1065 & integrum, cum in impressis Colonienſibus pag. 144 habeatur tantùm breve ejus operis compendiolum.

Commendatio Castitatis: cum enim secundùm B. Hieronymum, &c. cum opusculo *De contemptu mundi*: Quoniam mundanorum insania, &c. habentur in eodem Codice Sorbonico.

Item *Cursus seu horæ breves de æterna Sapientia, & formula componendi Sermonem*, Mss. habentur in privata Cantabrigiæ Bibliotheca Baronis Lumleii codd. 124 & 281.

Vult Eiſengrenius eum vixiſſe circa annum 1420, quem ſecutus eſt Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro, verbo *Richardus Hampole* tom. 2 pag. 324: at Ms. Codex Sorbonicus de quo ſupra, ad finem opuſculi de emendatione peccatoris, hæc habet verba; *explicit Libellus ſancti Richardi Heremitæ de emendatione peccatoris, qui obiit anno* MCCCXLIX *apud Sanctimoniales de Hampole juxta Dancaſtis in Comitatu Eboracenſi.* Et ſane Mss. Codd. operum Richardi Hampoolitani excedunt antiquitate annum 1420, quem rectè ad annum 1340 collocavimus.

PETRUS ROGERIUS patriâ Lemovicenſis, variis honoribus & Sacerdotiis ampliſſimis auctus fuit. Primùm enim poſt profeſſionem Regularem emiſſam in Abbatia Caſæ-Dei in Arvernis, Ordinis Divi Benedicti, Pariſiis poſteà ſtudia Philoſophiæ ac Theologiæ cum omnium admiratione peregit. Inde Petri Cardinalis de Mortuomari qui ipſum unicè diligebat, Epiſtolis ad Romanam Curiam vocatus, Joanni XXII Papæ innotuit. A quo factus ſancti Baudelii Nemauſenſis Prior, inde Abbas Eiſcannenſis & Caſæ-Dei, tum Epiſcopus Attrebatenſis, ac poſteà ad Senonenſem Archiepiſcopatum atque ab iſto ad Rothomagenſem anno 1330; denique ad Cardinalatum à Benedicto XII promotus anno 1337 decimo-quinto Kalendas Januarii ſub titulo Sanctorum Nerei & Achillei: atque eo Nonis Maii 1342 mortuo, Summum Pontificatus culmen aſcendit, ſumpto nomine Clementis VI. Extant Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Penbrochianæ cod. 89, *Propoſitiones Petri Rothomagenſis Archiepiſcopi factæ in præſentia Domini Papæ & Car-*

dinalium in publico Consistorio. Sublatus è vivis est Avenione VIII idus Decembris anno 1352. Vide Galliam Christianam Sammarthanorum tom. 1 pag. 592 *in Archiepiscopis Rothomagensibus*, ubi laudes ejus latè explicantur, Franciscum Bosquet in Vitis Summorum Pontificum qui Avenione sederunt, & alios omnes qui scripserunt Vitas Summorum Pontificum.

ROBERTUS COVVTON natione Anglus, ex Ordine Fratrum Minorum, claruit anno 1340 scribens *insignem Commentarium in 4 libros Magistri Sententiarum*, Ms. in multis Angliæ Bibliothecis; Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 181, Mertonensi codd. 11 & 48, Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 75 & in Aula Penbrochiana cod. 107. Hujus etiam *Compendium* seu *Abbreviationes super easdem Sententias*, Mss. Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi cod. 34, & Magdalenensi cod. 146. Hujus meminit Possevinus *in Apparatu sacro*, nec opinor esse omissum ab Luca Vvadingo in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum: ubi de illo loquitur, & quidem pluribus paginâ 308.

PTOLOMÆUS LUCENSIS, natione Italus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, unde postea assumptus est ad Episcopatum Torcellensem, claruit anno circiter 1340. Scripsit *Annales continentes gesta ab anno 1060 usque ad 1303* impressos Lugduni anno 1619, inde translatos in magnam SS. Patrum Bibliothecam editionis Lugdunensis anni 1677. Item scripsit *Historiam Ecclesiasticam* lib. XXIV, quam continuat usque ad creationem Clementis Papæ sexti anno

1342, Ms. in Bibliotheca Vaticana cod. 3766. Eandem Historiam in XXIV libros distributam habet Ms. Bibliotheca Collegii Navarrici Parisiensis, sed quæ desinens in morte Bonifacii VIII, non progreditur ultra annum 1303. Imò ultra annum 1301 Annales non procedunt, quamvis libros XXIV integros Ms contineat: unde deceptos opinor illos qui volunt Ms. Vaticanum extendi usque ad annum 1342, seu usque ad creationem Clementis Papæ sexti, nisi fortè additio aliqua ab alio facta fuerit. Ms. enim Navarricum non procedit usque ad annum 1342 ut de Vaticano dicitur, sed ad 1302, unde error vel Cifii vel Typographi esse potest: nec procedit usque ad creationem Clementis Papæ sexti, sed circiter usque ad creationem Clementis Papæ quinti. Atque hæc forsitan est vera ætas Ptolomæi Lucensis, licèt ob auctoritatem aliorum, ad hunc annum 1340 prorogatus fuerit. Eadem Historia Ms. legitur in Bibliotheca Colbertina codd. 2810 & 527, cum Appendice (alterius forsitan auctoris) usque ad annum 1313. Sunt etiam ejusdem Excerpta quædam super genealogia & posteritate Caroli Siciliæ Regis, continuata ab aliis usque ad annum 1370, quam habes in Collectaneo veterum Historiæ Francicæ Scriptorum tom. 5 pag. 893. Agunt de Ptolomæo Lucensi Blondus lib. 13, Volaterranus lib. 22, Joannes Gerardus Vossius *De Historicis Latinis*, Possevinus *in Apparatu sacro*.

JOANNES DE BECKA Canonicus Ultrajectensis Ecclesiæ conscripsit *Chronicon Episcoporum Ultrajectensium & Comitum Hollandiæ*, à temporibus sancti Vvillibrordi usque ad annum 1342, quod continuavit Guillelmus Hedam Har-

lemensis Decanus, ac post Guillelmum ad sæculi hujus initium Suffridus Petrus deduxit. Impressum utrúmque Opus Joannis Bekani & Guillelmi Hedani, Franekeræ in Frisia anno 1612 apud Robertum Doyema, quod prostat Lugduni Batavorum apud Elzevirios Officinæ Lugdunensis detentores: & iteratum caractere omnino eleganti Ultrajecti anno 1643 in folio parvo. Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 436, Vossius de Historicis Latinis, Joannes Chapeaville in Collectaneo Historiarum Leodiensium.

EGIDIUS MUISIUS Abbas sancti Martini Tornacensis, Ord. Divi Benedicti, scripsit *Chronicon de rebus gestis Comitum Flandrensium* ab anno 972 ad annum 1343, quod Ms. ibidem adservatur.

CLEMENS FLORENTINUS, Ordinis Servorum, Theologus Parisiensis floruit anno 1340. Composuit *Catenam auream in omnes sancti Pauli Apostoli Epistolas*, cujus Ms. extat in Medicæa Bibliotheca apud sancti Laurentii Ædem. Item *Concordantias ad Annibaldum Cardinalem sui Ordinis Protectorem*, quæ Mss. asservantur in Bibliotheca Servorum Florentiæ. Perfunctus probè variis Ordinis sui muneribus obiit anno ætatis suæ 78, qui in eadem Florentina Urbe, in Ecclesia Divæ Virginis Annuntiatæ cum cæteris patribus sepultus est. Hæc nos habuimus ex fide Antonii Possevini in Apparatu sacro, verbo *Clemens Florentinus* pag. 363.

RICHARDUS CHICHESTENSIS seu CESTRENSIS Anglus, Monachus Vvestmonasterii Ord. Divi Benedicti, qui etiam Ro-

bertus in Mss. Codd. aliquando legitur, ſcripſit *Polycraticon ſeu Chronicon Anglo-ſaxonum*, quod exemplaria Mss. adducunt ad annum 1348, quo floruit. Habetur in Bibliotheca Cantabrigiæ publica cod. 248, & in Collegio ſancti Benedicti cod. 6. Prioris Codicis hic titulus eſt. *Richardus Chicheſter, Monachus Vveſtmonaſterii, Chronographus, incœpit ab Hengiſto Saxone anno Chriſti 449, cujus primus liber incipit*: Poſt primum inſulæ Britanniæ Regem, *& hanc partem vocavit Speculum Hiſtoriæ, & continet quatuor libros. Secunda pars vocatur* Anglo-Saxonum Chroniçon, *& eſt continuatio Prioris ad annum Domini* 1348, *id eſt ad annum Edvvardi III* XXII. Epitome ejuſdem Chronici, Ms. Cantabrigiæ in Collegio ſancti Benedicti codd. 66 & 342.

JACOBUS FOLQUERII Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini, Doctor Tholoſanus atque ibi Lector in Theologia, ſcripſit ad Clementem Papam ſextum, opus inſcriptum *Viridarium Gregorianum*, ſeu *Allegorias in omnes libros Sacræ Scripturæ*, deſumptas ex puris verbis ſancti Gregorii Papæ, oblatas ei, ut auctor indicat, anno Domini 1345 in menſe Aprili. Floruit Jacobus Folquerii anno 1348 & ſequentibus, cujus opus Ms. in Bibliotheca Eremitarum Auguſtinianorum Pariſienſium, Majoris ut vocant Conventûs.

FRANCISCUS PETRARCHA, Aretii in Tuſcia ex Florentinis parentibus, vel ut alii quidam cum Gerardo Joanne Voſſio, circa Anciſam Florentini Agri vicum Majorum ſuorum ſedem, Patre Florentino exule natus die 20 Julii feriâ ſecundâ anno 1304, claruit circa & ultra annum 1340. Hic (ut inquit Labbeus) ingenio, eloquentia, Lati-

næ patriæque linguæ cultu, ac Poëtica etiam utráque facultate ſui ſæculi princeps, Litteras à multo ævo ſepultas, primus è Gothicis tenebris excitavit. Archidiaconus Parmenſis, tum Cathedralis Eccleſiæ Patavinæ Canonicus, obiit ac ſepultus eſt in Arquada Agri Patavini Pago. Agunt de illo Bellarminus in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* pag. mihi 362, Labbeus ibidem tom. 1 pag. 323, ubi tamen ejus opera non recenſet, Poſſevinus *in Apparatu ſacro*. Cum ergo & ipſe Eccleſiaſticus fuerit, Canonicus nempe Eccleſiæ Patavinæ & Parmenſis Archidiaconus: ratio *Supplementi de Scriptoribus vel Scriptis Eccleſiaſticis à Bellarmino ad annum* 1460 *omiſſis* exigit, ut de Petrarcha non taceam, ſi quid vel jam editum atque à Bellarmino omiſſum, vel tantùm Manuſcriptum inveniatur. Hujus autem *Petrarchæ liber de Caſibus virorum illuſtrium* Ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 840. Itémque ibidem ejuſdem *Rerum familiarium Epiſtolarum libri viginti quatuor Manuſcripti* cod. 842, quorum novem tantùm ſunt impreſſi. De eo plura Poggius, Trithemius, Paulus Jovius, Raphael Volaterranus, Philippus Bergomenſis, Lilius Giraldus, Leander Albertus, Gerardus, Joannes Voſſius, & præ cæteris Jacobus Philippus Thomaſinus Epiſcopus Æmonienſis *in Petrarcha redivivo*, qui altera editione impreſſus eſt Patavii anno 1650.

DURANDUS CAMPANUS ſeu DE CAMPANIA, Gallus, dictus de Campania quòd in hac Galliæ Provincia ortus eſſet, Ordinis FF. Minorum atque à Confeſſionibus Reginæ Galliæ & Navarræ, floruit teſte Vvadingo *in Bibliotheca Ord. Fratrum Minorum*, ſub annum 1340. Scripſit Summam

Confessariorum quæ inscribitur, *Summa Confessionum*, vel *Directorium in quatuor partes distinctum*, quod habetur Manuscriptum cod. 451 in celebri Bibliotheca Colbertina. Item teste eodem Vvadingo *in quatuor libros Sententiarum*, opus insigne, quod extat Ms. in Bibliotheca Fratrum Franciscanorum Bononiæ: sed videndum, an non sit idem opus quod est impressum sub nomine Durandi de sancto Porciano Ord. Fratrum Prædicatorum, quod sæpè Manuscriptum etiam in Bibliothecis Franciscanorum legitur. De Durando Minorita, Vvadingus in Bibliotheca Ordinis Minorum pag. 104.

JOANNES HOCSEMIUS Canonicus sancti Lamberti Leodiensis, *Chronicon Episcoporum ab Egidio Aurea-Vallis Monacho deductum ad annum* 1251, *continuavit ad annum* 1348 quo scribebat. Utrumque editum est in lucem Leodii anno 1613 curâ & studio Joannis Chapeavilli Canonici & Vicarii Generalis in spiritualibus Episcopalibus.

NICEPHORUS GREGORAS vixit sub Andronico Seniore Paleologo, ejusque ex Michaele filio nepote Andronico Juniore, qui videtur perveniſſe usque ad tempora Joannis Cantacuseni & annum Christi circiter 1345. Multa interseruit de se suisque rebus, libris 7, 8 & 9 suæ Historiæ, ac de eo non pauca Ioannes Cantacusenus lib. 4 capp. 24 & 25, ubi levem & mendaciorum plenum appellat: Georgius Phranzes, & ex recentioribus Vvolfius, Lipsius, Possevinus, Vossius, atque ex eo ut assolet Aubertus Miræus. *Historia libris XI* ab anno 1204 quo Balduinus aliique Franci Venetis juncti Constantinopolim cœperunt usque ad annum 1341, quo Andronicus

Iunior obiit, Basileæ Græcè & Latinè anno 1562 interprete Hieronymo Vvolfio Oetingensi, ac deinde Genevæ in fol. anno 1615 apud Guillelmum Roverium; cum Nicolao Chalcondila & Georgio Logothetâ. Prætereà Gregoras *librum Synesii de insomniis* interpretatus est, quod Hypomnema Græcè edidit anno 1553 cum Synesii operibus Adrianus Turnebus: Græcè verò & Latinè ex versione Antonii Pichonii extat in Collectione operum Synesii anni 1632 & 1613 à Dionysio Petavio publicata, ut suo loco observatum est. Hæc Philippus Labbeus de Nicephoro Gregora in Dissertatione Historica de Scriptoribus à Bellarmino recensitis tom. 2 pag. 107, cui addo extare longè plura Græcè Mss. in Bibliotheca Vaticana: Nempè

Expositio sapientissimi Gregoræ, de divinis.

Ejusdem *ad quemdam amicum de iis qui convivabantur Astronomiam.*

Ejusdem *Lepentrino in Cyprum Magno Logothetæ.*

Ejusdem *Epistolæ, Acclamationes, & Sermones.*

Ejusdem *Monodia in mortem Regis Andronici Paleologi.*

Atera Monodia *in magnum Logothetam Theodorum Metochitam.*

Alia denique multa, quæ recensentur ab Antonio Possevino ad calcem Apparatus sacri, dum agit de variis Bibliothecis pag. 13 verbo *Bibliotheca Vaticana* littera N. Item in eadem Vaticana Bibliotheca ex Codice Heidelbergensi 299, *Nicephori Gregoræ Orationes* 8 *quarum prima continet Dialogum Theotimi atque Agathangeli, ultima est responsio ad Imperatoris Concionem de fortuna &*

fato. Item *Narratio Colloquii, quod cum Palama coram Joanne Paleologo Imperatore Constantinopolitano habuit, divisa in tres libros* quorum ultimus imperfectus. Porro Joannes Meursius anno 1618 post (falsò ut putat Labbeus) tributum Theodoro Metochitæ, Romanæ Historiæ à Julio Cæsare ad Constantinum Magnum, librum ut vocat singularem; adjecit Græco-Latinam Nicephori Gregoræ Orationem funebrem in mortem Magni illius Logothetæ Theodori Metochitæ: quam idem Labbeus post suos in Michaelis Glycæ Annales Commentarios recudendam typis Lupareis curavit, Parisiis anno 1648 & sequentibus, cum aliis Historiæ Byzantinæ Scriptoribus. Denique in Bibliotheca Sereniſſimi Bavariæ Ducis cod. 212, extant Mss. Græcè *Nicephori Gregoræ Orationes & Encomia in varios*, &c.

GREGORIUS PALAMAS Thessalonicensis Archiepiscopus, circa annum 1347 sparsit diversos errores ex proprio cerebro productos, quibus multis Græcis Antistitibus notissimus fuit, ac malè laudatus in Concilio, de quo plenius loqui, nostrum non patitur institutum. Doctus hic fuit, ac multa scripsit, quæ ex Orientis partibus deportata, latent Mss. in Europæ Latinis Bibliothecis. Extant in Bibliotheca Bavarica Sereniſſimi Ducis cod. 125 *Gregorii Palamæ Consideratio plenior in Transfigurationem Domini, Palamæ & Acindyni Epistolæ, Expositio Hæresum Palamæ & Acindyni, variæ Apologiæ contra Palamam & Acindynum.* Extat in Bibliotheca Augustana cod. 73 *Prosopopeia corporis & animæ*, continens nimirum *Orationes duas judiciales mentis Corpus accusantis, & totidem Corporis contrà, se deffendentis: itemque Ju-*

dicum Sententiam. Hæc inserta est Latinè Bibliothecæ Sanctorum Patrum tom. 9 secundæ editionis, Adrianus autem Turnebus Græcè anno 1553 Parisiis evulgavit. Ejusdem *in aliqua Evangelii loca*, Ms. Græcè in Bibliotheca Sfortiana cod. 68. Ejusdem *liber contra Joannem Veccum Patriarcham Constantinopolitanum de Processione Spiritus Sancti*, cum refutatione Cardinalis Bessarionis, Ms. in Bibliotheca Bavarica cod. 115. Nec mihi dubium, quin alia adhuc in aliis Bibliothecis lateant. Vide Antonium Possevinum in suo Apparatu sacro, & Leonem Allatium in Opere *De Georgiis & Gregoriis.*

THEOPHANES Nicææ Archiepiscopus scripsit circa annum 1347 *grande opus adversùs Judæos*, quod extat Ms. Græcè Romæ inter libros Franciſci Turriani quos reliquit Societati Jesu, quando illam hic ingressus est. Analysim summâ curâ exhibet Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom. 2, verbo *Theophanes Nicææ Episcopus* pag. 470. Extant ejusdem in Vaticana Bibliotheca Libelli duo, vel Epistolæ, prima *quidem doctrinalis ad Sacerdotes & alios Clericos suæ Diœceseos, ostendens quodnam sit negotium Sacerdotii, & qualem oporteat esse, eo factum dignum.* Altera item *ad Nicænos, qualem deceat esse Christianum, ubi etiam docet fugiendam esse omnem consuetudinem eorum qui sentiunt cum Acindyno, non minùs quàm Judæorum.* Aliqua Theophanis Archiepiscopi Nicæni Opera Græco-Latina edita sunt Romæ anno 1590 in 8°, curâ & studio Gonsalvi Poncii Legionensis. Plura vide apud allegatum Possevinum loco citato.

GREGORIUS

GREGORIUS ACINDYNUS, Græcus Theologus, scripsit circa annum 1348, *Opusculum de Essentia & operatione Dei libris 2 adversùs imperitiam Gregorii Palamæ & aliorum Græcorum*, quod extat græcè manuscriptum in Bibliotheca sereniſſimi Bavariæ Ducis. Impressum autem postea græcè & latinè in 4° Ingolstadii per Jacobum Gretzerum, cum Epistolis decem variorum Pontificum, ad Petrum Cnapheum Eutychianum, græco-latinis apud Angermariam anno 1616 in 4° evulgatis. Hæc non potuit scribere *in Apparatu Sacro* Possevinus, dum loquitur de Gregorio Acindyno, nondum enim illud typis fuerat mandatum.

GUILLELMUS DE MONTE-LAUDUNO, Professor Juris Canonici in Academia Tolosana, vir suâ ætate ob peritiam Juris celeberrimus, claruit circa annum 1346. Hujus Opera frequenter laudarunt Richardus Armachanus Archiepiscopus in Tractatu Ms. *De Audientia Confessionum*, Bernardus Lauretus Præses Tolosanus in Tractatu *De potestate sæculari in Ecclesiasticos*, Arnulfus Rusæus in Tractatu *Juris Regaliæ*, itemque Philippus Probus in Tractatu *Juris Regaliæ*, Glossator libri sexti Decretalium, & alii. Quoniam verò nullus hactenus, quòd sciam, Opera hujus viri recensuit: utar hac occasione, & ea promam quæ Stephano Baluzio, à quo hæc accepi, comperta sunt. Scripsit itaque Guillelmus de Monte-Lauduno Lecturam *in librum sextum Decretalium*, quam laudant Rusæus & Probus, ad quam Apostillas vel Additiones scripsit Blasius Aurioli Doctor Tolosanus. Extat Ms. in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis, cum Apparatu Hostiensis in Decretales. Scripsit præterea *Appara-*

tum Constitutionum Clementis V. qui frequenter item laudatur à Rusæo & Aufrerio in Repetitionibus ad Clementinas. Hujus autem Apparatus tria manuscripta Exemplaria extant in Bibliotheca Sancti Sergii Andegavensis, itémque aliud in Bibliotheca sancti Albini Andegavensis. In eodem codice Sancti Albini Ms. *Apparatus ejusdem Guillelmi super extravagantes Joannis Papæ XXII,* qui laudatur etiam ab iisdem Rusæo & Probo. Item scripsit *Librum de Sacramentis*, qui extat manuscriptus in Bibliotheca Ecclesiæ Helenensis, & ejusdem libri extant duo manuscripti codices in Bibliotheca Monasterii Riyipullensis apud Catalanos. Item alius quoque in Archivo Ecclesiæ Narbonensis. Horum nihil est editum, quod sciam. Hæc Baluzius additione ad caput 4 libri 6 *De Concordia Sacerdotii & Imperii* paginâ 76. Ego vidi aliud manuscriptum exemplum *Tractatus de Sacramentis*, in Bibliotheca Bellæ-Vallis Ordinis Præmonstratensis in Episcopatu Remensi.

NILUS Metropolita Rhodius, hostis Latinorum, Gregorii Palamæ Thessalonicensis Archiepiscopi Hæresibus adhærens, floruit anno 1340 & seqq. quem cum aliis Nilis recenset Leo Allatius in Dissertatione sua speciali de hoc argumento cap. 16. Scripsit *insignem Orationem in sanctam Matronam ex insula Chio oriundam*, quam græcè & latinè edidit idem Allatius. Item *enarrationem Synopsicam de novem Synodis*, computans pro nona legitima, eam quæ sub Joanne Paleologo Andronici Filio, errores Palamæ tuita est. Habetur istud Opus tomo 2 Juris Canonici Veteris pag. 1161. Ejusdem *De Versibus Anacreonticis* Opus manuscriptum in Bibliotheca Regia co-

dicibus 901 & 1727. Vixit usque ad annum 1330.

NILUS CABASILAS Thessalonicensis Archiepiscopus, Auctor ejusdem temporis est, magnus Latinorum hostis Pontificum, ut ex ejus Operibus constat. Scripsit *volumen de Primatu Papæ & Orationem, quâ docet totum utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ dissidium pendere ex eo, quòd Episcopus Romanus solus arbiter omnium controversiarum esse velit.* Hoc primum editum græcè & latinè Basileæ anno 1544 in 4° cum Flatio contra Brunum typis Oporinis, tum per Matthiam Flaccum Illyricum græcè & latinè Francofurti 1555 in 8°. Idem græco-latinè per Claudium Salmasium, cum aliis ejusdem Nili, Hanoviæ 1598 in 8°, idémque cum Salmasio *De Primatu Papæ*, Lugduni Batavorum 1645 in 4°, cum Claudii Salmasii & Bonaventuræ Vulcanii nonnullis Notis. Addit Leo Allatius in sua Dissertatione de Nilis cap. 14 pag. 49. Plurima alia ejusdem Nili manuscripta Opera, omnia contra Latinam Ecclesiam.

NICOLAUS CABASILAS Archiepiscopus Thessalonicensis, Nili Cabasilæ nepos, floruit circa annum 1350. Fuit autem Schismaticus, & Ecclesiæ Romanæ apertus hostis, ideoque Opera ejus omnia cautissimè legenda sunt, ut Bellarminus in Catalogo monuit. Hujus *Libri sex de Vita in Christo*, in quibus præcipuè agitur *De Baptismo, sacra Unctione, & Eucharistia*, latinè tantùm prodierunt anno 1604 in 4° Ingolstadii, Jacobo Pontano Societatis Jesu interprete, cum *Philippi Solitarii Dioptra seu Regula Fidei Christianæ ad Callinicum Monachum*, qui etiam adje-

cit *ejusdem Cabasilæ Orationem contra fœneratores*, latinè tantùm. Sed utrumque Opus tam *libri sex de Vita in Christo*, *quàm Oratio contra fœneratores*, extant Mss. græcè in Bibliotheca Bavarica cod. 39. Oratio autem contra fœneratores edita græcè cum Oratione sancti Epiphanii in sepulturam Corporis Jesu Christi, per Stanislaum Phœnicium anno 1604 Samoscii in 4°. Idem Cabasilas scripsit *Expositionem in sanctam Lyturgiam seu Missam*, quam Gentianus Hervetus latinè vertit, quæ cum libris sex de Vita in Christo, extat tom. seu sæculo XIV magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Colonienſis anni 1618. At Expositio Liturgiæ seu Sacrificii Divini, manuscripta extat tum in Bibliotheca Vaticana ex multis codicibus, tum ex Heidelbergensi codice 362, itemque in Regia Gallica, & in Bavarica codd. 59, 107, 112, 113, 128. In Bibliotheca Imperatoria Vindobonensi idem Opus Cabasilæ *De divino Mysterio* Ms, cum ejusdem *variis Orationibus*. Ejusdem *Encomium sanctæ Theodoræ viduæ*, editum græcè & latinè ad diem 5 Aprilis à Bollandistis, ex manuscripto codice Bibliothecæ Cæsareæ Viennensis: nec dubium, quin ex codicibus de quibus statim loquebamur. Ejusdem *Commentarius in librum tertium magnæ Constructionis Ptolomæi*, impressus in folio Basileæ anno 1530. Plura de Nicolao Cabasila habent Antonius Possevinus *in suo Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 459 pag. 262, Philippus Labbeus in Dissertatione de Scriptoribus quos Bellarminus recensuit, tom. 2, verbo *Nicolaus Cabasilas* pag. 114. At pleniſſimè omnium Leo Allatius, qui ejusdem Cabasilæ narrat

alia plurima Mss. in Dissertatione sua de Nilis, pag. 55 dictæ Dissertationis.

BARTHOLOMÆUS URBINAS, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, Discipulus Augustini Triumphi, quem vocant *De Ancona*, cùm Lutetiæ Parisiorum atque Bononiæ studiis Disciplinarum & Theologiæ operam dedisset, factus est Urbis suæ Urbini Episcopus. Scripsit varia Opuscula, de quibus latè Possevinus *in Apparatu sacro*, pag. 176, & Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*, quorum nonnulla cæteris Mss. restantibus, evulgata sunt. Nempe *Milleloquium Ambrosii*, Lugduni impressum anno 1556 in fol. juxta veritatem manuscripti codicis; ibidemque *Milleloquium D. Augustini dedicatum Clementi Papæ sexto*, Lugduni in fol. anno 1555 sub Salamandra apud Senetonios Fratres. Mortuus dicitur sub initium anni 1350, de quo Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*.

BARTHOLOMÆUS Anglicus, ex Ordine Fratrum Minorum, cognominatur *de Glaünville*, scripsit circa annum 1350 *Libros novemdecim de proprietatibus rerum*, quos vidi manuscriptos in variis Bibliothecis. Sunt autem Mss Cameraci in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ, Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Eremitarum D. Augustini, Rhegii in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, Oxonii in Anglia in Bibliotheca Balliolensi cod. 238, & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 107. Excusi fuerunt, ut placet Antonio Possevino *in Apparatu sacro*, Argentorati anno 1488, & juxta Rodulfum Tossinianum in Historia Seraphica anno 1491: sed uterque errat, nisi semel atque iterum impressi fuerint; vidi enim ac tenui 1350.

impressionem hujus Operis factam Argentorati in 4° anno 1505. Plura dabit Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 49 & 50, quæ publici juris est Romæ in folio anno 1650, ex Typographia Francisci Alberti Tani.

PETRUS DE PATERNIS, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, claruit circa annum 1350, scripsitque inscriptum Opus *De necessitate & sufficientia vitæ humanæ*, quod extat Ms. cod. 1517 Bibliothecæ Colbertinæ. Opus de quo mentionem debuit facere Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*, quod volvi potest.

THOMAS DE BRADVARDINA Anglus, ex Ordine Fratrum Minorum, clarus ob doctrinam anno 1350 & sequentibus, scripsit *nobile Opus de causa Dei contra Pelagium & de veritate Causarum*, variâ sacræ ac prophanæ, antiquæ ac novæ Philosophiæ ac Theologiæ doctrinâ locuples atque ornatum, quod manuscriptum asservabatur in Bibliotheca Vaticana, cujus etiam manuscriptum codicem habuit olim in Germania Matthias Flaccus Illyricus. Impressum est ex manuscriptis Anglicanis, curâ & studio doctissimi viri Henrici Savillii, anno 1618 Londini in fol. ex officina Northoniana: de quo abundè Ludovicus Cellot in Historia Gotteschalci Prædestinatiani lib. 5 cap. 19 pag. 390. Ejusdem *Opus de Geometria speculativa & Arithmetica*, impressum Parisiis anno 1512. *Tractatus proportionum*, editus Venetiis anno 1505. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* mentionem illius habet, sed (quod mirum) de eo nihil habet Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum*. Opus autem *De cau-*

sa Dei contra Pelagium, & de Virtute causarum. Ms. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Collegii novi cod. 22, in Orialensi cod. 55, Mertonensi cod. 203, Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 146, Domus sancti Petri cod. 276, & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 267. Appellatur in nonnullis manuscriptis codicibus Cancellarius Londonienſis, quod an conveniat rectè Franciscano, seu Conventuali Ordinis Minorum, mihi valde suspectum est. Porrò quem omisit in suis Scriptoribus Bradvardinum diligens Vvadingus, avidè atque injustè arripuit, & suis Dominicanis adscripsit, griseis vestibus in albas mutatis, Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1372 pag. 133, & *in Appendice* pag. 489, citans Antonium Senensem Lusitanum *in Bibliotheca* fol. 248. Magna Caritas, ut quem Franciscani non admiserunt, Dominicani amplectentur, suumque faciant.

RANULPHUS HIDGEN, quem codices Mss. inscribunt *Hikeden*, natione Anglus, conditione Monachus Cestrensis, scripsit circa annum 1360 *Polychronicon libris* 7, ubi potissimùm agit de Rebus gestis Anglicis, cujus hic titulus in manuscripto codice Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 188: *Chronica Ranulphi Hikeden libris* 7, *erat is Monachus Cestrensis, qui obiit in senectute bona anno Domini* 1363. Quanti sit meriti hoc Opus, judicent Lectores ex multitudine manuscriptorum codicum in Anglia, qui ad viginti assurgunt. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 113, in Balliolensi codd. 236 & 237, Lincolnienſi cod. 44, Mertonensi codd. 42 & 60, Magdalenensi cod 140, in Bibliotheca Ædis Chri-

sti cod. 3. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica codd 188, 221, 238, in Collegio sancti Benedicti codd. 6, 45, 81 & 341, Domus sancti Petri cod. 232, Collegii Caii codd. 19 & 25, privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 247, & Gualteri Copi cod. 180. Idem scripsit *Speculum Curatorum*, Ms Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 69. Plura Vossius in Historicis Latinis lib. 3 cap. 2.

PETRUS quidam Monachus Clarevallensis, claruit circa annum 1350, homo valde devotus, qui sub ementitis nominibus scripsit aliqua Opuscula tendentia ad morum correctionem, & Ecclesiæ in moribus emendationem. Extat in Bibliotheca Colbertina codex manuscriptus num. 1502 ubi sequentia sunt: *Epistola Jesu Christi ad Innocentium sextum anno 1353, divisa in capita centum, Auctore Petro Monacho Clarevallensi.*

Epistola Luciferi ad mundanos, scripta anno 1351.

Ejusdem Petri Clarævallensis Tractatus de potestate Summi Pontificis.

Claruit iis temporibus quibus scripsit, de quo videre potes Carolum de Visch in Bibliotheca Cistercienſis Ordinis, ubi nullum vel paucos omisit.

THOMAS STUBS, sive STOBÆUS interdum dictus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, natione Anglus, in suum ævum deduxit usque ad Eduardum tertium vel circiter, annumque quasi 1360, *Successionem & actus Archiepiscoporum Eboracensium.* Opus impressum est inter decem Scriptores Anglicanos Historicos, quos in fol. Londini edidit Joannes Seldenus anno 1652 pag. 1685 & sequentibus. De illo Antonius Senensis Lusitanus *in Bi-*

bliotheca Prædicatorum fol. 247, Ambrosius de Alamura ibidem ad annum 1352 pag. 125.

PETRUS BERCHORIUS, Pictavienſis, Gallus, Ordinis Divi Benedicti, & Prior Sancti Eligii Pariſienſis, floruit anno 1360 & ſequentibus, ob Opera quæ in lucem emiſſa ſunt, notiſſimus Concionatoribus Chriſtianis, quos ſuis Scriptis multùm adjuvat. Varia igitur in Sanctam Scripturam ſcripſit Opera, Concionatoribus maximè utilia, nempe *Dictionarium morale Biblicum*, per litteras Alphabeti digeſtum, quòd dictiones ferè præcipuas Scripturæ ad inſtar locorum communium complectitur, earumque ſignificationes moribus accommodat. *Reductorium morale utriuſque Teſtamenti* in quatuordecim libros diviſum, in quo prætermiſſo Hiſtoriæ ſenſu, breviter univerſa capita Scripturæ tropologicè expoſuit, intermixtis interdum allegoriis. Tertium Opus, quod *Inductorium morale* inſcribitur, in tres partitum libros incipit: *Videte quoniam non ſolùm*, &c. Hæc ſuperiori ſæculo impreſſa vidimus tribus voluminibus in fol. Venetiis anno 1589, & Coloniæ anno 1620 tomis totidem in fol. Tranſtulit etiam idem Petrus Berchorius, gallicè *Bercheur*, Hiſtoriam Titi-Livii in Linguam Gallicam, Regi Galliarum Joanni dicatam, quam pulcherrimis ornatam figuris atque picturis, duobus comprehenſam magnæ molis voluminibus, aſſervat manuſcriptam, Bibliotheca Sorbonica. Obiit anno 1362 in Prioratu ſuo Sancti Eligii Pariſienſis, ubi ſepultus jacet. Prima autem Operum Petri Berchorii editio quatuor voluminibus in fol. facta eſt Pariſiis anno 1521 apud Claudium Chevalon, viâ Jaco. bæâ ſub Sole aureo, quæ pulcherrima & caſti- 1360.

gatissima est, cujus unum exemplum vidimus in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis, & aliud apud Mirvaldum Ordinis nostri.

LEVVOLDUS DE NORTHOVV, seu NORTHOF, circa annum 1360 scripsit *Origines Markanas*, sive *Chronicon Comitum de Marka & Altena*, editum in fol. Hanoviæ anno 1613, cum Notis Henrici Meibomii. Hæc Chronica Markensis ab anno 1000 ad 1358, cujus Supplementum usque ad annum 1391, editum ab eodem Henrico Meibomio, cum rebus Germanicis ejusdem Meibomii. Vide Vitam Levvoldi Northovii ex Chronico Markensi ab anno 1278 ad 1358, per Henricum Meibomium cum rebus Germanicis Pistorii.

MANUEL CALECAS, quem volunt fuisse ex Ordine Fratrum Prædicatorum, claruit circa annum, non ut quidam scribunt 1250, sed anno circiter 1360, de quo Bellarminus & Labbeus in Dissertatione historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tom. 2 pag. 4 : ubi perperam vult eum vixisse anno 1250, seu vixisse sæculo decimo tertio. Extant ejus *Libri quatuor adversus Græcorum errores de processione Spiritus Sancti*, è Græco latinè redditi ab Ambrosio Camaldulensi Monacho, jussu Martini V Romani Pontificis, qui obiit anno 1431, & publicati tantùm anno 1616 Ingolstadii in 4° à Petro Stevartio Leodiensi, & inde immissi in Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Colonienſis anni 1618, & nuperrimæ Lugdunensis anni 1677. Item scripsit *Librum adversus Palamitas illorumque pseudo-Synodum, sub Imperatore Joanne Cantacuseno.* Item Librum unum *De principiis Fidei*, de Deo scilicet uno, aliisque

ad Fidem spectantibus, quæ duo Opera impressa sunt tom. 2 ultimi Auctarii Bibliothecæ Sanctorum Patrum, à Francisco Combefis editi Parisiis anno 1672 in fol. Si plura cupis, vide Labbeum loco citato, Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 406 pag. 263, Franciscum Combefis in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam, atque in Notis ad citata Manuelis Caleçæ Opera, in dicto Auctario suo ultimo.

MATTHÆUS BLASTARES seu BLASTARAS, Jurisperitus Græcus, floruit circa annum 1360, & scripsit *Syntagma seu Synopsim alphabeticam rerum quæ in sacris Canonibus comprehenduntur*, quæ græcè & latinè prodiit Oxonii anno 1672. Extat autem Ms. in Bibl. Regis Catholici Scorialensi, in Regia Gallica, Colbertina ex illis codicibus, quos nuper emptione sibi comparavit Colbertus, ex Bibliotheca doctissimi Jacobi Augusti Thuani. Ejusdem est *Opusculum de Causis seu Quæstionibus Matrimonii*, quod græcè & latinè legitur tomo 1 Juris Græco-Romani pag. 478, quod in fol. edidit Joannes Leunclavius Francofurti anno 1596 apud Fischerum.

JOANNES CANTACUSENUS primùm Joannis Palæologi Tutor ab Andronico Juniore anno 1341 institutus, deinde anno 1345 coronatus Imperator, abdicavit anno 1355, & Monachi vestem indutus, assumpto Josaphati Christoduli nomine. multa scripsit atque inter hæc, *Historiam libris quatuor de rebus ab Imperatore Andronico & à seipso gestis*, impressam nuperrimè in fol. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy anno 1645 inter alios

Historiæ Byzantinæ Scriptores ex prælo Regio. Extat Ms. græcè in Biblioth. Vatic. & in Bavarica cod. 184. Extant Mss in eadem Vaticana *Apologiæ quatuor seu Contradictiones pro Christiana Religione contra Mahumetem*, itemque *Contradictiones adversùs Prochorum Sidonium*; ac primæ quatuor *Contradictiones contra Mahumetem* sunt etiam manuscriptæ græcè in Bibliotheca Bavarica codice 189. Vixit usque ad annum 1374, quo agnovit Primatum Romani Pontificis, uti discimus ex Epistolis Gregorii XI Papæ, atque ex Annalibus Vvadingi, Bzovii, Spondani & Raynaldi, quos curiosi volvant. Porrò *Joannis Cantacuseni Imperatoris contra Saracenos Apologiæ quatuor, & contra Mahumetem Orationes tres* græco-latinè sunt editæ à Rodolfo Gualtero in fol. Basileæ anno 1543 typis Oporinis. De illo Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 881, verbo *Joannes Cantacusenus*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 430 pag. 269: nec suarum ipse fuit parcus laudum Cantacusenus in Historia quam conscripsit.

JOANNES CYPARISSIOTA Græcus pariter Scriptor floruit, non anno 1150, qui ei malè assignatur à Philippo Labbeo in Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum, sed circa annum 1364. Hujus Opera sunt *Expositio materiaria eorum quæ de Deo à Theologis dicuntur, partita in decem Decades*; quam Franciscus Turrianus latinam à se redditam Antonio Augustino Tarraconensi Archiepiscopo dicavit, additis Maximi & Georgii Pachymeri Scholiis, quæ extat sæculo xj Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Colonienſis anni 1618. Habetur autem græcè Ms. in Biblio-

theca Regis Catholici Hiſpaniarum, unde forſitan tranſtulit in Latinum Franciſcus Turrianus. Ejuſdem *Sermones duo Palamicarum Tranſgreſſionum*, Joannem Cypariſſiotam arguunt Auctorem anni circiter 1364, qui Palamam impugnaverit hæreticum: quos habes in Auctario ultimo Bibliothecæ veterum Patrum, quod edidit Franciſcus Combefis anno 1672 Aureliæ apud Guillelmum Hotot. Mentionem facit Joannis Cypariſſiotæ Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 333 pag. 242.

PHILIPPUS MAZERIUS ſeu DE MAZERIIS, Nobilis Venetus, aliis Siculus, Regni autem Cypri Cancellarius ſummus, ſancto Petro Thomæ Archiepiſcopo Cretenſi ſocius aliquandiu & contemporaneus, ſcripſit *Vitam ſancti Thomæ Cretenſis Archiepiſcopi ſeu Petri Thomaſii*, quam Socii Bollandiſtæ ediderunt ad diem 29 Januarii tomo 2 pag. 995 & ſeqq, præmiſſis pag. 990 Commentariis. Cùm autem obierit Petrus Thomæ ſeu Thomaſius anno 1366 die ſexta Januarii, licèt ejus feſtum celebretur die vigeſimâ-nonâ ejuſdem menſis: hæc ſcriptio Philippi Mazerii vix referri poteſt ante annum 1370, quo floruit Cancellarius in Cypro, imò vix credi poteſt tam citò poſt obitum Petri, ſcriptam eſſe illius Vitam. De Philippo Mazerio Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro* tom. 2 pag. 279, Bollandus ad diem 29 Januarii menſis. 1370.

GALLUS Abbas Aulæ-Regiæ in Bohemia, Ordinis Ciſtercienſis, clarus circa annum 1370, ſcripſit *Malogranatum*, cujus initium: *Fili accedens ad ſervitutem Dei*, &c. Eſt autem ſcriptum per formam Dialogi, cujus titulus, *Dialogus dictus*

Malogranatum in tribus libris distinctus interlocutoribus Patre & Filio. Agit autem libro 1 *De statu incipientium*, libro 2 *De statu proficientium*, & lib. 3 *De statu perfectorum.* Impressus autem in 4° in Germania anno 1481, loco & nomine Typographi suppressis. De Gallo Auctore hujus Operis, Conradus Gesnerus *in Bibliotheca*, Possevinus *in Apparatu sacro.*

JOANNIS SCHADLAND, natione Germanus, Ord. FF. Prædicatorum, ex Conventu Coloniæ Agrippinæ, Magister in Theologia celeberrimus, olim Inquisitor hæreticæ pravitatis in Alemannia, quo munere per annos aliquot cum Christianæ Fidei incremento functus est. Variis etiam pro Apostolica Fide Legationibus ac Commissionibus honoratus, claruit anno circiter 1360 & sequentibus, scripsitque Opus *De statu Cardinalium*, quod manuscriptum extat cod. 2089 Bibliothecæ Colbertinæ. Factus est primùm Episcopus Culmensis, tum posteà Hildesheimensis sub Metropoli Colonienſi: denique ex manuscripto codice alii volunt factum ab Urbano V Episcopum etiam Vormacienſem anno Domini 1370 15 Calendas Februarii, ibique præfuisse annos septem, & fato functum esse anno 1377 in Conventu Fratrum Prædicatorum Confluentiæ, ubi corpus ejus sepultum in Ecclesia ad majoris Altaris dextram. Plura de ipso Leander lib. 3 capite penultimo *De Viris illustribus Fratrum Prædicatorum*, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2 pag. 248, ubi vult eum floruisse anno 1365, cum Eisengrenio & aliis, in quo convenimus. Antonius Senensis *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Prædicatorum* pag. 154, Ambrosius de Altamura ibidem ad an-

num 1377 pag. 135, & *in Appendice* pag. 460, quos consulere poteris.

PHILIPPUS CABASSOLUS Cavellicensis Episcopus & Cancellarius Joannæ Reginæ Neapolitanæ, de quo Raynaldus ad annum 1344 §. 30. Anno MCCCXLIV. IV Calendas Maii à Clemente sexto delegatus est, ut inducias inter Massilienses & alias Provinciæ & Comitatus Folkarquerii Urbes adversus ipsos fœderatas promulgaret. Idem ad annum 1349 §. 10, per eas tempestates scripsit libros suos *De Vita & Miraculis Beatæ Mariæ Magdalenæ*, dicatos Henrico de Villares Archiepiscopo Lugdunensi Galliarum Primati, in quibus multùm exagitat Vezeliacenses, quòd auderent dicere corpus ejusdem Magdalenæ existere apud Vezeliacum. Extat hoc Philippi Opus Ms. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Factus Apostolicæ Sedis Nuntius anno 1359, unde colligitur de illo intelligenda esse, quæ de Episcopo Cavellicensi Sedis Apostolicæ Legato habet Nicolaus Serarius in libro quinto rerum Moguntinarum pag. 858. Fuit postea Philippus Patriarcha Hierosolymitanus & Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Petri & Marcellini, ac demùm Episcopus Sabinensis; obiitque anno 1372, cujus testamentum editum est à clarissimo viro Francisco Ducheſnio in Historia Cardinalium Francorum. Vide Sammarthanos in Catalogo Episcoporum Cavellicensium.

JORDANUS DE SAXONIA, cognomento *de Quedelinberg*, vel *Quedelinburg*, natione Germanus, professione Eremita Augustinianus, vir doctus & sanctus, de cujus laudibus multa paucis complectuntur inter cæteros Josephus Pamphilus

Signinus Episcopus, in Chronicis Augustiniani Ordinis Eremitarum, Ambrosius Coranus hujus Ordinis Generalis Præpositus, in Chronico Ordinis parte 2, & Elssius in Encomiastico Augustiniano, verbo *Jordanus*. Claruit ab an. circiter 1327 ad an. 1380, quo mortuum eum volunt. Scripsit *Summam Sermonum per totum annum de Dominicis*, impressam Argentorati in fol. an. 1483, quæ incipit, *Jordanis Ripas Aluei*, alludens haud dubiè ad nomen suum *Jordani*. Item *Tractatum de Passione Domini*, cujus initium, *Inspice & fac secundùm exemplar*, &c. injectum inter Sermones de tempore, ad feriam sextam Paraseves. *Opus Sermonum de Sanctis*, incipiens, *Dan Catulus Leonis*, impressum Parisiis anno 1521 in 4° apud Damianum Hickman. Ibidem insigne Opus *De quadruplici Communione, seu de quatuor Communionibus quæ sunt necessariæ profitentibus Vitam Monasticam*. Incipit, *Multitudinis credentium erat cor unum*, &c. Opus olim inscriptum *Vitas Fratrum*, sed meo quidem sensu malè, cùm parcè agat admodum in hoc Opere de Fratribus sui Ordinis: plenè autem ac semper de moribus componendis & regulariter instituendis. Item scripsit Collectaneum quoddam ad suos Fratres Augustinianos Eremitas Parisienses, Ms. in Bibliotheca dictorum Augustinianorum majoris Conventus ad Pontem novum, quod rectè *Collectaneum seu Speculum Augustinianorum appellaretur*. Incipit, *Quia juxta dictum Sapientis, ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterùm fluant: hinc est quòd ego Frater Joannes de Saxonia, dictus de Quedelingberg, inter Scholares Parisienses minimus*, &c. Continet post Jordani præludium, Sermo-

nes

nes Divi Augustini 22 ad Fratres in Eremo, Ordine parum diverso ab editis sub eodem titulo: Sermones 4 ad Presbyteros Hypponenses, Sermones 6 ad populum, omnes ex variis D. Augustini locis desumptos. Hos sequuntur tres Regulæ Divo Augustino passim attributæ, dein vita sancti Augustini, cum duabus reliquiarum ejus translationibus & supputatione temporum, cum præconiis de eo variorum Scriptorum; Vita denique sanctæ Monicæ ex Scriptis Divi Augustini, qualem exhibent Bollandistæ ad diem 4 Maii. Creditur ejusdem esse Magistri Jordani *Chronica qualiter Romanum Imperium translatum fuit ad Germanos*, impressa Basileæ anno 1559 in 8° apud Oporinum, cum Æneæ Silvii *Tractatu De ortu & auctoritate Romani Imperii* ad Fredericum Romanorum Regem. Obiit Jordanus Viennæ Austriæ anno 1380, de quo Possevinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 471 pag. 269, & alii de quibus supra.

ARNALDUS TERRENI natione Ruscinonensis, atque ut credimus, vel nepos Guidonis Terreni Magistri ac Scriptoris Ordinis Carmelitarum; de quo diximus ad annum 1330, vel saltem consanguineus, utpote ejusdem patriæ & cognominis. Claruit anno 1370 & ultra, Doctor Decretorum ut inscribitur in Mss. Codd, & Sacrista Ecclesiæ Elnensis, apud Ruscinones. Scripsit anno 1373 Avenione *Tractatum de Mysterio Missæ & horis Canonicis*, quem habes Ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 3037. Item ibidem fecit Summam inscriptam, *Quæstiones Magistri Arnaldi Terreni Doctoris Decretorum, Avenione factæ & compila-*

ta, Mss. ibidem cod 6192. Nec vidi quemquam de hoc Scriptore agentem.

ROBERTUS Ordinis Fratrum Prædicatorum claruit anno 1376 & sequentibus, promotusque ad Episcopatum Senecensem, in cujus archivis habentur multa de ipso documenta. Scripsit *Tractatum De Schismate* quem habes manuscriptum in Bibliotheca Colbertina cod. 2761. Loquitur de illo sed pauciſſimis Gallia Christiana tom. 3 pag. 1013 *in Episcopis Senecensibus*.

JOANNES DE MONDEVILLE vel MANDEVILLE, Anglus nobilis ac Medicinæ Professor, circa annum 1332 vel circiter ex Anglia egressus, per annos XXXIV Asiam & Africam excussit inquisitionibus & itineribus variis, quorum relationes Scriptis tradidit, narrans quid mirabilius viderat in Ægypto, Arabia, Persia, aliisque regionibus, in opere quod Francicè, Anglicè Latinèque evulgatum Nomenclatores dicunt, de quo diximus in Marco Polo ad annum 1272. De illo sic Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 423 pag. 268, *Joannes Mandevillius Anglus, vir Nobilis, professione Medicus scripsit* suum viginti-trium annorum itinerarium, *quod variis linguis excusum in omnium est manibus. Obiit Leodii anno* 1372 *conditus apud Guillelmitas*. Die 17 Novembris, ut constat ex ejus Epitaphio quod Baleus, Pitsius, Vossius & alii referunt. Ego post multam inquisitionem hoc opus impressum invenire non potui, licèt & multos curiosos viros hoc de libro interrogaverim: unde dicam tantùm inveniri Ms. in Anglia in Collegio sancti Benedicti Cantabrigiensis codd. 4 & 192, & privatim in Bibliotheca Baronis Lum-

leii cod. 174. Hoc itinerarium prodiit Zvollis anno 1483 in 4°, ut jam mihi constat.

BRIGITTA SUECIÆ Principissa, Uxor Vulfonis Nericiæ Principis, quo mortuo transiit ex motu pietatis in Italiam & Palestinam visitatura Regiones à Christo Jesu Domino nostro & Apostolis sanctificatas. Instituit Ordinem Regularem, quem sancti Salvatoris appellavit, cujus alumnis *Regulam triginta & uno Capitibus* constantem composuit. *Octo etiam libros revelationum*, opus, quod quamvis pium, nullam tamen apud Graves viros, aut saltem modicam hucusque obtinuit fidem: licèt inde devoti magnam sumant Meditationum suarum materiam, devotionis alimoniam. *Hæ Revelationes & Regula* impressæ in fol. Antuerpiæ anno 1611, Romæ anno 1628 in fol. ex Ms. Codice apud Ludovicum Grignanum, itemque in fol. Coloniæ eodem anno 1628, & Monachii anno 1680. Obiit Brigitta Romæ anno 1373 die 23 Julii, quam Bonifacius Papa Nonus in Sanctarum album retulit anno 1391, Canonizatione confirmata anno 1415 à Concilio Constantiensi.

MATTHIAS DE CRACOVIA S. Theologiæ Doctor & familiaris sanctæ Brigittæ, floruit per id tempus & scripsit opus inscriptum, *Conflictus rationis & conscientiæ de sumendo vel abstinendo à Corpore Christi.* Principium *multorum querela est*, &c. extat Ms. in Anglia Cantabrigiæ in Bibliotheca & Archivis Collegii Caii, cod. 40, impressum Memmingæ anno 1494 in 4° est.

NICOLAUS ORESMIUS natione Gallus, Patriâ Normannus, Scriptorum Collegii Navarrici Parisiensis familiam ducit, qui primus illi intulit

scientiarum penè omnium splendorem, quem ætate suppares Petrus Alliacus & Joannes Gersonus auxerunt, æternitatique consecrarunt. Virtus ac eruditio Oresmii parta, non modò in Navarrico Collegio sed etiam in aliis Academiæ locis, fuerunt in causa, cur Joannes Galliæ Rex Magnanimus juxta ac litterarum amans, illum in præceptorem dederit filio suo, qui Caroli V Sapientis nomen jure obtinuit. Adeptâ pridem Theologi Doctoris Laureâ, regendum Navarræ Gymnasium anno 1356 suscepit IV Nonas Octobres. Tunc partim ex Officio Theologiam docuit, partim ex Caroli jussu *Sacra Biblia* Gallicum in sermonem convertit, quæ passim in variis Galliæ Bibliothecis curiosè asservantur. Contra Gallicam hanc Oresmii versionem Bibliorum nullus insurrexisse legitur, unde factum ab omnibus silentium, & multiplex Gallicorum Bibliorum descriptio, aperta mihi videntur monimenta, quibus Oresmii versio comprobata est. Interea anno 1361 creatus Regiæ Palatii Capellæ Thesaurarius & Rothomagensis Decanus, Navarrico Magistratu abiit. Varia de Philosophicis, de Mathematicis & de Theologicis opuscula composuit; sed duo præ cœteris magnum illi nomen pepererunt. Unum est *De mutatione monetæ*, ubi succenset Regibus nummos ponderis nequaquam justi expendi jubentibus, quod difficillimis Franciæ temporibus factum conqueritur: impressum tom. IX Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis secundæ Parisiensis anni 1589. Alterum *Oratio*, quam Avenione coram Urbano V & Cardinalibus habuit anno 1363, ubi Theologus Aulicæ Assentationis expers, quæ sint clericorum vitia

differit, & ab iis exterminanda, per Ecclesiam proponit. Hic *Sermo* coram Urbano V & Cardinalibus habitus, ab Illyrico Centuriatore in Catalogum testium veritatis relatus est. Ad annum 1370, cùm esset Decanus Rothomagensis, præcepit ei Carolus V, ut libros plures in linguam Gallicam converteret. Huic obtemperans convertit imprimis *Ethica Aristotelis* cum Glossematibus Gallicè versa, impressa Parisiis in fol. anno 1488 apud Antonium Verardum, cum pluribus libris Ciceronis & aliorum Auctorum Gallicè versis. Deinde anno 1377 vertit in eandem linguam *Politica ejusdem* cum Glossematibus, impressa ibidem anno 1486 apud eundem. Vertit etiam Gallicè Francisci Petrarchæ *librum de Remediis utriusque fortunæ*, impressum Parisiis anno 1534: & *Tractatum de Sphæra* Gallicè versum quinquaginta capita continentem, impressum Parisiis anno 1546 apud Simonem Lignanum. Præter ea quæ impressa sunt, extant multa manuscripta opera quæ multis enumerat Joannes Launoïus Doctor Theologus in sua *Historia Regii Navarræ Gymnasii Parisiensis* parte 2 pag. 455 ad 462, quæ impressa in 4° Parisiis anno 1677 apud Viduam Edmundi Martini viâ Jacobæâ sub Sole Aureo. Sunt autem quæ recenset hic diligentissimus Scriptor, *Conciones in unum volumen redactæ*, numero centum & quindecim, Mss. in Bibliotheca Magnorum Augustinianorum ad Pontem Novum.

Tractatus *De Communicatione Idiomatum*, Ms. in Bibliotheca Vaticana, Navarrica, & alibi.

Tractatus *De dicto de omni in divinis*, Ms. in Bibliotheca sancti Victoris, de quibus duobus

Tractatibus meminit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Nicolaus Oresmius* tom. 2 pag. 154.

Tractatus *contra Judiciarios Astronomos*, Ms. ibidem, cujus meminit Thomas Lexovienſis & Joannes Picus Mirandulanus.

Tractatus *De positionibus Propositionum*, ſeu *de proportionibus Propositionum*, Ms. ibidem, cujus meminit Joannes Picus Mirandulanus.

Tractatus *De latitudine formarum*, Ms. ibidem, & in Bibliotheca Navarrica.

Tractatus *De Arte Prædicandi*, Ms. in Bibliotheca ſancti Victoris.

Tractatus *utrum res futuræ poſſint præſciri per Aſtrologiam*, Ms. ibidem.

Sermo cujus Thema, *Juxta eſt ſalus*, &c. Ms. ibidem, ſed editus, ab illyrico Centuriatore, ut jam notavi.

Tractatus *De Antichriſto, ejus Miniſtris, adventu, ſignis propinquis & remotis, ex ſacra Scriptura*, Ms. ibidem.

Tractatus *De malis venturis ſuper Eccleſiam*, Ms. ibid.

Rationes & cauſæ plurium mirabilium in natura, Ms. ibid.

Plura Quodlibeta & diverſæ Quæſtiones, Mss. ibid.

Tractatus *De configuratione qualitatum*, Ms. ibid.

Scriptum contra mendicationem, Ms. ibid.

Tractatus *De uniformitate & difformitate intentionum*, Ms. ibid.

Tractatus *De Divinationibus contra Judiciarios Aſtronomos, & Principes in talibus ſe occupantes*, Ms. ibid.

Decisio Quæstionis, *utrum oporteat in omni casu judicem judicare secundum allegata & probata*, Ms. ibid.

Tractatus *De proportione velocitatum in motibus*, Ms. in Bibliotheca Collegii Navarrici & Augustinianorum Parisiensium ad Pontem Novum.

Tractatus *De instantibus*, Ms. ibid.

Factus autem anno 1377 Lexoviensis Episcopus, cum annos septem commissam sibi Ecclesiam magnâ cum laude rexisset, humanis rebus eximitur anno 1384, sepultus in Ecclesia Cathedrali ante portam Chori sinistram. Hæc nos ex Joanne Launoïo locis citatis, ubi longè plura leguntur. Parcè autem admodum loquuntur de Oresmio Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2 pag. 154, Fratres Sammarthani tom. 2 Galliæ Christianæ *in Episcopis Lexoviensibus*.

HENRICUS Rebdorfiensis Monachus sæculo XIV clarus, scripsit *Annales continentes Historiam Imperatorum Adolfi, Alberti, Frederici III, Ludovici Bavari, & Caroli IV*, ab anno 1295 ad annum 1372, quos Marquardus Freherus edidit primus in Collectaneo Historicorum Germaniæ, tom. 1 edito Francofurti in folio anno 1600 & sequentibus, typis Vvechelianis.

HUGOLINUS MALABRANCA ex Urbe veteri, Ordinis Fratrum Eremitarum Divi Augustini, sanctæ Theologiæ Parisiensis Doctor, successit in regenda Cathedra Gregorio Ariminensi, fuitque ob intellectum nitidum & perspicuum ac subtile ingenium Parisiis in magno pretio habitus. Anno 1368 die 28 Maii Avenione eligitur totius Ordinis Augustinianorum Eremitarum Præpositus generalis, quem rexit ferè tribus annis,

Factus anno 1370 ab Urbano V Episcopus Arimi-nensis & Patriarcha Constantinopolitanus Titularis, reliquit varia ingenii sui monumenta : *nempe, Commentarios in 4 libros Sententiarum, Tractatum de Deo trino & alium de Communicatione idiomatum in Christo*, quorum nihil quod sciam, impressum est. Sed extant Mss. Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Divi Augustini, Bononiæ & Parisiis, apud eosdem Fratres. Vivebat adhuc anno 1372, cujus corpus transvectum est apud Urbem veterem, & in Divi Augustini templo conditum. Agunt de illo Josephus Pamphilus *in Chronico Ordinis Eremitarum Augustinianorum*, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Philippus Elssius *in Encomiastico suo Augustiniano*, & alii.

ALBERTUS ARGENTINENSIS perduxit *Chronicon ab anno* 1270 *usque ad mortem Caroli IV Imperatoris & primordia Venceslai Ignavi ejus filii*, quæ spectant ad annum 1378. Hoc opus Christianus Urstitius inseruit tom. 2 pag. 74 Collectanei sui Historicorum Germaniæ, impresso Francofurti in folio anno 1585. Item scripsit *Commentarium de rebus gestis Bertoldi Argentinensis Episcopi*, ibidem pag. 97. Eadem impressa Basileæ annis 1553 & 1566, cum notis ad finem operum.

HENRICUS DE ARENA Canonicus Cameracensis Ecclesiæ & Domini Papæ Clementis VII Secretarius, anno 1379 scripsit *Epistolarium* seu *Formularium scribendarum Epistolarum*, quod Ms. in Bibliotheca hujus Cameracensis Ecclesiæ pulpito 14 dextræ partis cod. 9. Successu temporum reversus in Angliam, unde oriundus erat, amplexus est Ordinem Fratrum Carmelitarum, de

quo hæc Antonius Possevinus in Apparatu sacro pag. 722: *Henricus de Arena aliis Harena, Anglus, patriâ Nordvolcas, Carmelita, scripsit Ordinationes (ut vocant) Conventuum sive locorum sui Ordinis, Conciones aliquot, formulas scribendarum Epistolarum. Obiit Stanfordiæ anno 1399, ut extat in indice Jacobi de Plebe Pisani Ord. Servorum, & apud Petrum Lucium.*

SANCTA CATHARINA SENENSIS, Ordinis Divi Dominici, vitâ & miraculis clara extitit circa annum 1374, mortua anno 1380 die 29 Aprilis. Scripsit Latinè vel sub ejus nomine Raymundus de Vineis, Capuanus, Ordine Dominicanus, & ejus Confessarius, opus inscriptum: *Divina doctrina data per Personam æterni Patris intellectui loquentis*, &c. divisum in plures Tractatus cum Orationibus, impressum in folio Coloniæ anno 1553 apud Gasparum Gennep. *Cum Vita amplissima dictæ Catharinæ* quam conscripsit præfatus *Raymundus Capuanus* ejusdem Ordinis devotus Theologus, ejus Confessarius, quam habent Bollandistæ ad diem 29 Aprilis, opus amplissimum pro subjecto. Extantque hæc opera Mss. apud Patres Cœlestinos Parisienses. Scripsit eadem Catharina Italicè *Epistolas plures*, quas habes editas in folio Venetiis anno 1506 apud Aldum Manutium, & has numero 364, graves & plenas pietatis & doctrinæ, linguâ vernaculâ *ad varios Summos Pontifices, Cardinales, Reges, Principes, & ad cujuscunque generis personas.* Item ex Ms. Italico originali translatas in Gallicam linguam, J. Balesdens edidit Parisiis in 4° anno 1644 apud Sebastianum Huré viâ Jacobæâ sub signo Cordis Boni. Impulit hæc Virgo Gregorium XI Papam

Litteris suis frequentibus ut Romam reverteretur, Sedem ibi fixurus Apostolicam. Ipsa in Schismate ferventibus studiis amplexata fuit partes Urbani sexti, ad eam usque intentionem quam non omnes probant. Ejus *Dialogi sex Tractatibus comprehensi*, impressi etiam Ingolstadii anno 1583 & Coloniæ 1601. Agunt de eâ Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 466 pag. 268, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* pag. 343, & omnes Scriptores Ordinis Dominicanorum, cum Bollandistis ad diem 29 Aprilis. CATHARINA ETIAM DE BONONIA, scripsit librum *de sibi revelatis à Domino*, qui propria ejus manu scriptus extat apud Sanctimoniales Corporis Christi, quæ sunt in eadem urbe, ubi Abbatissa fuit. Prodiit verò in lucem ibidem anno 1511 apud Platonem Benedictum, deinde ab hæredibus Hieronymi Benedicti anno 1536, denique Venetiis multò post, hoc est, anno 1583. Hæc ex occasione Catharinæ Senensis, ut utramque simul Catharinam complecteremur, utriusque revelationes jungeremus: at hæc ultima obiit Bononiæ anno 1463 die 9 Martii, Soror Ordinis sanctæ Claræ. Hic unum observatione dignum censeo, quidquid scriptum reperitur à fœmineo sexu, illud omne appellari, *Divina revelatio* seu *divinitùs revelatum*, uti factum in evulgatis operibus sub nomine *harum duarum Catharinarum*, ac sub nominibus *Sanctarum Hildegardis, Elisabeth, Gertrudis, Mechtildis Brigittæ*, &c: quasi verò sanctæ ejusmodi mulieres non incubuerint studiis divinarum Scripturarum, atque ex acquisitis per lectionem, scribere hæc humanitùs tanquam doctæ non potuerint. Hæc abs-

que præjudicio sanctitatis ipsarum dicta sint. 1380.

GUILLELMUS THORNE Monachus Cœnobii sancti Augustini Cantuarienſis Benedictinus, laudatus ab Lelando Ms, Baleo Centuriâ 6 Scriptore 63, Pitseo ætate XIV Script. 660, Vossio de Historicis Latinis lib. 2 cap. 61 & lib. 3 cap. 3, scripsit *Chronica de rebus gestis Abbatum sancti Augustini* Cantuarienſis, edita Londini in fol. anno 1652 cum decem Scriptoribus Anglicanis pag. 1757, cui adde *incerti Auctoris Evidentiam Ecclesiæ Christi Cantuariæ* pag. 2207, & Chronologiam sancti Augustini Cantuarienſis pag. 2229, claruit anno 1380.

PHILIPPUS RIBOTUS Ordinis Fratrum Carmelitarum, Provincialis in Catalaunia, clarus circa annum 1380, scripsit *Speculum Carmelitarum* X libris, ubi de origine & progressu sui Ordinis, impressum in fol. Venetiis anno 1507, cum Joannis Grossi Tolosani *Viridario lib. tribus*, & Tractatu ejusdem Joannis Grossi *De viris illustribus sui Ordinis*, ibidem impressis. Eadem utriusque auctoris opera, edita in folio Antuerpiæ anno 1680 *in Armamentario* seu *Speculo Carmelitarum*, apud Michaelem Cnobbarum. Obiit anno 1391, de quo Possevinus *in Apparatu Sacro* tom. 2 pag. 280, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 463 pag. 267, Petrus Lucius in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Carmelitarum.

PETRUS QUESNEL Anglus, ex Ordine Fratrum Minorum, Conventûs Norvicenſis Alumnus, floruit circa annum 1388 & ultra. Jurisconsultus & Theologus insignis, eruditè scripsit: *Directorium Juris in foro conscientiæ & judiciali*,

quod opus in quatuor libros distinxit: scilicet,

De Summa Trinitate & Fide Catholica & de septem Sacramentis lib. 1.

De iisdem Sacramentis ministrandis & accipiendis lib. 1.

De criminibus quæ à Sacramentis impediunt, & de pœnis iisdem injungendis lib. 1.

De iis quæ ad jus & judicium spectant, ordinatè dirigendis lib. 1.

Quæ omnia olim asservata sunt Mss. in Bibliotheca Franciscanorum Norvicensi. Extat adhuc opus istud Ms. in Bibliotheca Vaticana, & in Minorum Toletana, littera X num. 81 cum hoc titulo: *Summa quæ vocatur directorium Juris in foro conscientiæ & judiciali, composita à Fratre Petro Quesnel de Ordine Fratrum Minorum, ex Juribus Doctorum, & Summis diversorum.* Volumen est ingens, & stylus præter Juristarum consuetudinem elegans. Hæc Vvadingus in Bibliotheca Ordinis Minorum fol. 288 ferè ad verbum, cui addo operis hujus elegantis extare duo Mss. exemplaria codd. 328 & 2302 Bibliothecæ Parisiensis Colbertinæ, ut indicavit Stephanus Baluzius Bibliothecæ Præfectus, qui censet opus esse elegans atque optimum.

MATTHÆUS EBROICENSIS in Normannia, Gallus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, carissimus ob eximiam religionem & eruditionem Carolo sexto Galliarum Regi, floruit anno 1380 & sequentibus. Hic igitur vitæ probitate, æqualique doctrinâ conspicuus, subtilis sanctorum Voluminum perscrutator, scripsit *Commentaria in Genesim, Exodum, Numeros, Leviticum & Deuteronomium.* Insuper *Postillam in Isaiam & super alios*

multos libros Sacrorum Bibliorum, quæ Mss. asservantur in Bibliotheca Dominicanorum Ebroïcensium. De illo Sixtus Senensis *lib.* 4 *Bibliothecæ Sanctæ*, Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum* pag. 172: Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1298 pag. 75, & in appendice ad eundem annum pag. 463. Miror, nec possum parcere Ambrosio Altamurano insignem quam hic admittit hallucinationem, omnino indignam Bibliothecario scribente intra sæculum oculatissimum. Opinabar primùm illam esse erratum Typographiæ, sed re maturiùs expensa; Parachronismum auctoris certò esse cognovi. Vult igitur insignis Chronologus fuisse cariſſimum Matthæum Ebroïcensem Carolo VI Galliarum Regi, cujus temporibus floruit, & verè; quippe Regnum adeptus est anno 1380 & sequentibus ad 1422. Attamen in Bibliotheca non tantùm semel collocat hunc Matthæum Eboïcensem, ad annum 1298 annis ferè centum ante Regnum Caroli sexti, sed idem repetit ad eundem Appendicis annum pag. 463, ut nullum dubium hujus supinitatis lectori relinqueret:

Pictoribus atque Poëtis,
Cuncta licent.

Gulielmus Vvodfordus aliis Vvodefordensis, Anglus, Sacræ Theologiæ Doctor Oxonienſis, vir pietate & doctrinâ celebris, Catholicæ unitatis amantissimus, Sectarum & hæresum hostis infensissimus, quem Thomas Valdensis in tom. 2 De Sacramentis cap. 50 suum vocat

Magistrum, de quo prolixè Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 158 quem videas. Floruit autem anno 1380 & sequentibus, scribens multa ad Ecclesiæ deffensionem contra Vvicleffum, ejusque Sectarios, pessimos hæreticos. Scripsit itaque *insigne opus contra 18 Articulos Joannis Vvicleffi*, dedicatum Thomæ Arundelio Cantuariensi Archiepiscopo, quod impressum est in fol. Coloniæ Agrippinæ anno 1535 pag. 94 & sequentibus operis inscripti: *Fasciculus Rerum expetendarum ac fugiendarum*, ubi varia ad Concilium Basileense spectantia habentur. Alia autem & plurima Guillelmi Vvodfordensis Ordinis Minorum, Opera Mss. inveniuntur in Oxonii & Cantabrigiæ Mss. Bibliothecis, quæ recensentur in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi impressa in 4° Londini, quam sæpe allegavimus apud Joannem Norton anno 1600. Ibi in Syllabis Guillelmus Vvodfordus, in indice Theologorum, cum designatione Bibliothecarum & numero codicum, in quibus opera ejus manuscripta inveniuntur. Ejus *Determinatio contra Hæreses Joannis Vvicleffi*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 87, Mertonensi cod. 222, & privatim in Bibliotheca Lumleii cod. 297. *Super causis condemnationis Articulorum Joannis Vvicleffi*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 210. Item *contra Articulos Vvicleffi condemnatos*, Ms. privatim Cantabrigiæ in Bibliotheca Lumleii cod. 253. *Deffensorium contra Armachanum in libello de paupertate Christi*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 62. *Extractio Errorum Armachani*, Ms. Oxonii in Collegio novo cod. 168. *De Sacramento Altaris*, Ms. Oxonii in Collegio Exoniensi cod. 11.

Nec omisſit illa Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ord. Minorum* pag. 158 ubi agit cum laude ac prolixitate de Scriptis hujus Guillelmi, cujus pariter honorificam habet mentionem in ſuis *Annalibus Minorum* tomo 1 Annalium anno 1240 num. 25, & tom. 4 anno 1395 num 2. Mortuus eſt Guillelmus de Vvodefors Cloceſtriæ anno 1393, ibique in Conventu Minorum ſepulturam accepit.

HENRICUS DE BALMA quem DE PALMA alii appellant, fuit vir magnæ perfectionis & virtutis, atque Confeſſarius ſanctæ Coletæ Virginis Ordinis ſancti Franciſci, teſte Vvadingo tom. 4 Annalium anno 1380 num 25. Scripſit *librum Myſticæ Theologiæ*, qui incipit: *Via Syon lugent*, &c. attributum hucuſque ſancto Bonaventuræ & cum ejus opuſculis impreſſum. De illo Lucas Vvadingus in Annalibus Minorum anno citato, & in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum, verbo *Joannes Geneſius de Qualea* pag. 208: Joannes Bona S. R. E. Cardinalis in Auctoribus recenſitis ante libros ſuos de Liturgia ſacra. Sunt multi qui opinantur eſſe unum atque eundem cum *Joanne de Parma*, quam aliter Joannem Geneſium, vel Joannem de Qualea vel Parmenſem appellant, Ordinis Minorum: qui ſcripſit *librum de civitate Chriſti* quem Hugo Rogerius Regii edidit anno 1501 & Romæ Jacobus Mazochius anno 1523 excudit. Hujus operis initium: *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*, &c. de quo Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro, verbis, *Joannes Geneſius* pag. 880 & *Joannes Parmenſis* & *Joannes Paulinus* pag. 927.

BARTHOLOMÆUS Albicius Piſanus Ordinis Fratrum Minorum florebat, teſte Vvadingo

in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum, anno 1380. Scripsit opus celebre inscriptum *Conformitates sancti Francisci cum Domino nostro Jesu Christo*, impressum in fol. Mediolani anno 1510 apud Gothardum Ponticum. Item *De Vita & laudibus B. Mariæ Virginis lib. sex*, quos alii appellant *Conformitates B. Mariæ Virginis cum Domino nostro Jesu Christo*, Venetiis anno 1596 in folio impressos. Ejusdem *Sermones quadragesimales de contemptu mundi*, sive *de triplici mundo*, scripti anno 1397, impressi Mediolani per Ulericum Scuzenzeheid anno 1488 in 4°. Quos etiam imprimi curavit Venetiis F. Joannes Mapelellus Mediolanensis anno 1503. Ejusdem *Sermones alii quadragesimales*, qui continent multarum quæstionum, & casuum conscientiæ resolutiones, editi Lugduni per Romanum Morin anno 1519 in 8°. Vide Antonium Possevinum in Apparatu sacro, Lucam Vvadingum in Bibliotheca Scriptorum Ordinis FF. Minorum pag. 48.

RAYMUNDUS JORDANI, Ordinis Canonicorum Regularium D. Augustini, primùm Utiçensis in Gallia Præpositus, deinde Abbas Cellensis in Episcopatu Bituricensi ejusdem Ordinis, floruit anno 1381, multaque scripsit opera quæ hucusque sub nomine Idiotæ evulgata sunt. Hæc autem omnia invictis argumentis Anonymo ablata, atque Auctori suo restituta edidit Theophylus Raynaudus Soc. Jesu Theologus, impressa Parisiis anno 1654 in 4° apud Jacobum Quesnel viâ Jacobæâ sub signo Cocleæ & Columbarum.

PETRUS DE NATALIBUS ex Pastore seu Plebano Sanctorum Apostolorum Diœcesis Castellanensis

lanensis, factus Episcopus Equilinus in Gradensi Provincia, perduxit ad exitum Catalogum Sanctorum anno 1382 die 26 Maii, quem ut simplicem nimium multi contemnunt. Impressus est Argentorati anno 1502 & alibi, ut habet Auberti Miræi Auctarium *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 511 pag. 278.

PETRUS DE HERENTALS Brabantiæ oppido, unde ei nomen Herentalii adhæsit, Canonicus & Prior Abbatiæ Floreffiensis Ord. Præmonstratensis in Comitatu Namurcensi, scripsit *Commentarium* prolixum in 4 Evangelia circa annum 1380, Ms. duobus voluminibus in Bibliotheca Floreffiensi, ubi ea tenui ac volvi. Hujus prologus incipit: *Multifariè sancti quatuor Evangelistæ quorum doctrina Evangelica*, &c. Commentarius autem incipit: *Summa bonitas bonum suum aliis communicare volens*, &c. Item Commentarium in Psalmos Ms. in Bibliotheca Tongerloensi in Brabantia, & in Anglia Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 24 & Mertonensi cod. 131, cujus prologus incipit. *Patri Reverendo Dominoque meo carissimo Domino Johanni de Arkel dudum Trajectensi, nunc verò Leodiensi Episcopo, Frater Petrus Prior Ecclesiæ Floreffiensis indignus, Ordinis Præmonstratensis, interpretationem sui nominis cum sanctis Patribus fœliciter obtinere.* Incipit Commentarius, *Beatus vir, &c. Psalterium est quasi magna Domus, &c.* Impressus autem est anno 1487 Coloniæ Agrippinæ apud Joannem Koelhoff in folio. Denique scripsit Chronicon quod porrigitur ad annum 1385, cujus prologus incipit: *Sapientis consilium docens in tempore otii scribere sapientiam*, &c. Chronicon autem, *Deus*

est substantia, &c. Ms. in Bibliotheca Floreffiensi; & in Colbertina cod. 751. Porrò præter editionem Commentarii in *Psalmos* præfatam, est editus etiam Coloniæ anno 1554, Rutlingæ anno 1498, atque Rothomagi anno 1504 in 4°, de quo Joannes le Page *in sua Bibliotheca Præmonstratensi* Parisiis in folio edita.

AUGUSTINUS ASCULANUS, quem nominant DE ESCULO, Ordinis Fratrum Eremitarum Divi Augustini, claruit circa annum 1395 doctus ac nobilis Concionator, & scripsit *Sermones de Evangeliis Dominicalibus* ad Discipulos suos in Gymnasio Patavino degentes, qui manuscripti asservantur Bononiæ & Patavii in Bibliothecis hujus Ordinis, itemque Cremonæ apud eosdem Augustinianos Eremitas. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, & Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano illius mentionem fecerunt.

PHILIPPUS DE LEIDIS in Hollandia, unde oriundus erat, Doctor utriusque Juris apud Aureliam Galliæ urbem, & Parisiis Juris ejusdem Professor, Ultrajecti postea Canonicus & Vicarius, Episcopo suo carissimus fuit, & Summo Pontifici Gregorio XI. Scripsit *Tractatum de Reipublicæ cura & sorte principantis*: quem Joannes Severinus anno millesimo quingentesimo decimosexto edidit in folio Leydis. Obiit Trajecti anno millesimo trecentesimo octogesimo-sexto die octavâ Junii.

MICHAEL ANGRIANUS, seu *Aiguanus*, Ordinis Fratrum Carmelitarum, Conventus Bononiensis in Italia, claruit anno 1381, factus (ut volunt) Præpositus Generalis sui Ordinis, in Ca-

pitulo Veronam congregato. Scripsit nobilem *Commentarium in Psalmos*, sæpiùs impressum sub nomine *Incogniti in Psalmos*, nempe Compluti anno 1524, Lugduni anno 1588, & ibidem in fol. anno 1603 apud Petrum Landry : & nostris temporibus sub proprii nomine Auctoris impressum ibidem annis 1652 & 1673, opus nobile, doctum, ab omnibus laudatum quos viderim. Obiit Bononiæ anno 1396 Calendis Decembribus in suo Conventu.

JOANNES GROSSUS, natione Gallus, patriâ Tolosanus, Generalis Præpositus Ordinis Fratrum Carmelitarum, floruit eodem tempore, scribens *Viridarium Ordinis Carmelitarum libris tribus*, & alterum librum *De Viris illustribus sui Ordinis :* quæ cum Speculo Philippi Riboti impressa sunt in fol. Venetiis anno 1507, procurante editionem Baptista Cathaneo Veneto, ejusdem Ordinis Doctore Theologo. Præterea novissimis temporibus hæc Opera Joannis Grossi, immissa in Collectaneum Danielis à Virgine Maria Carmelitæ Calceati, inscriptum *Speculum Carmelitarum*, quod quatuor in folio tomis editum Antuerpiæ anno 1680 apud Michaelem Cnobbarum. Agunt de Joanne Grosso Petrus Lucius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Carmelitarum*, Possevinus *in Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 486 pag. 273. Factus est Generalis Præpositus Carmelitarum Ultramontanorum circa annum 1389, atque in hac qualitate seu nomine, adfuit Concilio Pisano anno 1409, ejusque nomen in Catalogo Patrum qui huic interfuerunt Concilio.

JOANNES BROMIARD Ordinis Fratrum Prædicatorum, claruit anno 1390, Theologus & Juris Doctor clarissimus. Scripsit *Summam Prædicatorum*, in qua ordine Alphabetico præcipuos Disciplinæ Ecclesiasticæ locos & sensus explicat. Hæc Ms. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Collegii Orialensis cod. 33, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri codd. 247 & 260: impressa autem est Venetiis anno 1586 apud Dominicum Nicolinum. Addendi huic Operi impresso, *Tractatus Juris Civilis & Canonici ad moralem applicati, secundùm ordinem alphabeti Fratris Joannis de Broomyard de Ordine Fratrum Prædicatorum*, Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Penbrochianæ cod. 122, & Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 140. Ejusdem *Dicta de Celebratione Missarum*, Mss. Oxonii in Biblioth. Collegii Mertonensis cod. 210. *Exhortationes*, Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 208. Vitam produxit Joannes Broomyard usque ad annum 1419, ut censet Eisengrenius, de quo loquitur etiam Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Ambrosius de Altamura qui *in Bibliotheca Dominicana* refert illum perperam ad annum millesimum ducentesimum nonagesimum, pag. 63, & *in Appendice* pag. 459.

JACOBUS GUISIUS Montensis Hanno, Ordinis Fratrum Minorum, Doctor Theologus, Mathematicus ac Philosophus, patriæ Antiquitatis Historiarumque studiosus, scripsit *Annales sive Chronica Comitatus Hannoniæ*, quæ tribus tomis manuscriptis extabant apud Minores Montium Hanoniæ, ex quibus Joannes Leslabeus Compendium naulit, & Lutetiæ evulgavit gallicè sub

hoc titulo: *Extrait des Chroniques de Jacques de Guise*. Extractum istud latinè inscriptum, *Genealogia ex Chronicis Hainonien sibus recollectis per Magistrum Balduinum de Avennis*, habetur in Spicilegio Lucæ Dacherii tom. 7 pag. 584. & seqq. Decessit Valencenis anno 1398, apud suos sepultus ante Odeum, sub lapide marmoreo. Vide Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 436 pag. 261, Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum*. Extat idem Chronicon Ms. apud Patres Societatis Jesu Antuerpiæ, ut affirmant Bollandistæ variis locis.

NICOLAUS GORRHAM seu GORHAMUS, quem Pitseus Anglum, alii cum Possevino Gallum fuisse volunt, Ordinis Fratrum Prædicatorum. Hunc Bellarminus anno 1350, Eisengrenius 1390, Simlerus, Pitseus & alii 1400 affigunt. Trithemius de ejus ætate nihil definit, eumque inter Jacobum de Teramo Aversanum Archidiaconum anno 1390, & Joannem Grossum Carmelitam anno 1400. florentes collocavit. Scripsit *Commentaria in quatuor Evangelistas*, impressa Coloniæ anno 1537 in folio. Item *Commentarium in omnes Epistolas sancti Pauli, in Acta Apostolorum, in septem Epistolas Canonicas, in Apocalypsim, Summam Sermonum de tempore ac Sanctis*, quæ omnia tomis duobus in fol. edidit Antuerpiæ Joannes Keerberg annis 1617 & 1620. Qui plura cupit, adeat Labbeum in Dissertatione *De Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino recensitis tom. 2 pag. 118, Possevinum *in Apparatu sacro*, Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 432 pag. 260: qui om-

nes aliqua ejus Opera edita, sed non omnia recensent. Ambrosius de Altamura antiquitatem amans, *in Bibliotheca Dominicana* eum collocat ad annum 1296 pag. 70, & *in Appendice* pagina 461.

SIMON DE CREMONA seu CREMONENSIS, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, floruit anno circiter 1394, qui cùm diu Venetiis concionando cum magno fructu operam dedisset, reliquit posteris varia ingenii sui Opera, ac Scripta. Hæc sunt *Commentarii in quatuor libros Sententiarum, Tractatus de Indulgentia Assisii, Sermones super Epistolas & Evangelia Dominicarum totius anni, triplex Quadragesimale Sermonum, & Sermones de Sanctis.* Hæc omnia asservantur manuscripta Romæ, Patavii & Cremonæ, in Bibliothecis Augustinianorum Eremitarum. Postilla autem Simonis Cremonensis *super Evangelia Dominicalia*, excusa in folio anno 1484 Reutlingæ. Obiit Patavii, ubi & sepultus est anno 1400, vel circiter, de quo agunt Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2 pag. 407, verbo *Simon Cremonensis*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 433 pag. 260, Philippus Elssius in Encomiastico suo Augustiniano, ubi plenè de Scriptoribus hujus Ordinis.

GUIDO EBROICENSIS in Normannia, Ordinis Fratrum Prædicatorum, vivebat sub Carolo VI Francorum Rege, clarus ob doctrinam & Sermones circa annum 1390, de quo loquitur Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta lib. 4. Scripsit *Opus Sermonum de tempore & de Sanctis*, quod manuscriptum in variis locis, nempe Neapoli ac Rhegii in Bibliothecis Fratrum Prædicato-

rum, in Abbatia Bellævallis Ordinis Præmonstratenſis in Epiſcopatu Remenſi, in Anglia Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi cod. 50, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Penbrochianæ cod. 182. Item in eadem Bibliotheca cod. 16. *Regula Mercatorum Auctore Fratre Guidone de Ordine Fratrum Prædicatorum*, ad eundem pertinet, de quo loquitur Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro* tom. 1 pag. 695.

JOANNES DE TAMBACO in Alſatia, Diœceſis Argentinenſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, floruit anno circiter 1390, qui & primus Regens ſeu Lector Gymnaſii Pragenſis ejuſdem Ordinis in provincia Bohemiæ, ſcripſit Opus mediocre quoad molem & ſtilo ſuo ſimplex, partitum in quindecim libros, quod inſcriptum, *Conſolatio Theologiæ*, ab aliis *Speculum ſapientiæ*, anno 1386 abſolutum. Extat impreſſum Pariſiis 1493, Coloniæ 1502, Norimbergæ 1509. Idem ſcripſit *Opus* inſcriptum *De Culpa & Gratia*, cujus optimæ notæ codicem manuſcriptum teſtatur habere apud ſe in Bibliotheca majoris Conventus Dominicanorum Pariſienſium, Natalis Alexander ex eodem Ordine & Collegio ſeu Conventu. Atque id *in ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus*, ſæculo XIII parte 2, articulo 8 pag. 819, ubi ex auctoritate Joannis de Tambaco, aſſerit Summam ſancto Thomæ hucuſque communiter attributam, contra Joannem Launoium negantem. Licèt meo quidem judicio, Alexander velit perperam floruiſſe Joannem Tambacenſem anno 1320, quem omnes collocant ad annum 1390, vel 1400: unde Argumentum Natalis Alexandri non concludit quoad hoc punctum, in ſuſcepto ſibi negotio, contra 1390.

Joannem Launoium. Agunt de illo Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 448 pag. 264.

HENRICUS DE KINGTON Canonicus Regularis Abbatiæ Leiceſtrenſis, claruiſſe dicitur ſub tempore Richardi II Angliæ Regis, in cujus ferè exitum *Hiſtoriam ſuam* ab Vvillelmo primo incœptam, præmiſſo libri primi Compendio de rebus aliquot Saxonicis & Nortmannicis, deduxit uſque in annum 1395; cujus Hiſtoriæ Exemplaria duo manuſcripta habentur in Bibliotheca Cottoniana. At jam impreſſa hæc *Chronica de Eventibus Angliæ* pag. 2311. Ejuſdem *Hiſtoria Depoſitionis Regis Richardi II* pag. 2743, inter decem Hiſtoricos *de Rebus Anglicis*, quos evulgavit Londini in folio anno 1652 Joannes Seldenus, vir eruditiſſimus ac Litterarum fautor eximius.

GERARDUS DE ZUTPHEN, unus è primis Clericis Regularibus ſeu Fratribus Vitæ Communis, cujus Vitam ac devotam converſationem deſcripſit Thomas à Kempis, reliquit Opera duo Aſcetica, valdè ſpiritualia ac religioſa, unum inſcriptum *De reformatione virium animæ*, aliud *De Spiritualibus Aſcenſionibus*, impreſſa Pariſiis & Coloniæ anno 1539, imò ſæpè cum Operibus Thomæ à Kempis, deinde immiſſa in magnam Sanctorum Patrum Bibliothecam. Obiit anno 1398 die 4 Decembris, ætatis anno XXXI: de quo Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, verbo *Gerardus Zutphanienſis* pag. 636, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 481 pag. 272.

Alius fuit GERARDUS cognomento MAGNUS,

à quo hic primus distinguendus est, de quo Miræus *in Auctario da Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 444 pag. 263, his verbis. GERARDUS MAGNUS Daventriæ ad Isalam fluvium in Germania nostra inferiore natus, adolescens Lutetiæ in Sorbona sacris Litteris ac pietate instructus, æqualibus vitæ & doctrinæ exemplum mirificum dedit. Ad suos reversus, Ultrajectensem & Aquisgranensem Canonicatus, ut vocant, obtinuit. His optimis Beneficiis Ecclesiasticis demùm abdicatis, *Clericos*, seu *Fratres Vitæ Communis* Daventriæ in patria instituit, qui Scholas Latinas Juventuti aperirent, & non bonis tantùm Litteris, sed & benè vivendi moribus Discipulos instituerent. Quod institutum postea per Germaniam inferiorem latissimè propagatum fuit. Scripsit *Protestationem de Veridica prædicatione; concluſa & proposita*; itemque *De Studio sacrorum librorum*; quæ tria Opuscula leguntur typis edita cum Operibus Thomæ à Kempis. Reliqua ejus Opera extant manuscripta in Bibliothecis variorum apud Belgas Cœnobiorum, videlicet: *De Contractibus & Usuris, de institutione Novitiorum, de Locatione curæ Pastoralis, de Incommoditatibus Matrimonii, de Focariis, contra Turrim Trajectensem, de Paupertate, de quatuor generibus meditabilium, de vitio detractionis. Sermones de Nativitate Christi, de die Palmarum, & alii. Epistola de Schismate, & aliæ de diversis: de Simonia, de Beneficiis curatis, de cohabitatione & exercitiis devotorum. Concordia Evangelistarum de Passione Domini, Commentarius in Lectiones Officii Ecclesiastici de Defunctis, de compunctione & eruditione Scholarium*, & alia. Ex his non pauca extant Lovanii

ad sanctum Martinum, & in Cœnobiis Rubeæ & Viridis-Vallis prope Bruxellam, Huii apud Crucigeros, Coloniæ & Lierdæ apud Carthusianos, & alibi. Idem Gerardus *Joannis Ruſbrochii Ornatum ſpiritualis deſponſationis, & librum de duodecim Virtutibus*, aliaque ejuſdem Scripta ex Teutonico in Latinum tranſtulit: quæ Verſiones in Viridi-Valle & Namurci apud Crucigeros manuſcriptæ leguntur. Ad meliorem vitam anno 1384 die vigeſimâ Auguſti, ætatis ſuæ 44 tranſiit, à Thoma Kempenſi, Joanne Buſchio, Jodoco Badio Aſcenſio, aliiſque eximiè laudatus. De illo Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, tom. 1 pag. 634.

HENRICUS BOICH Juris utriuſque Doctor clariſſimus, floruit circa annum 1390, Brito genere, ex Diœceſi Leonenſi, ſcripſit *Commentarios doctiſſimos in libros quinque Decretalium, in Sextum, & in Clementinas*, qui Mss. in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ Cameracenſis, & impreſſi variis locis; ſed poſterior editio Commentariorum in quinque libros Decretalium, & emaculatior, quæ olim prodiit Venetiis an. 1576. Poſſevinus *in Apparatu ſacro* pag. 723.

NICOLAUS EYMERICUS Gerundæ natus, quæ Cataloniæ in Hiſpania Civitas eſt, Ordinem Fratrum Prædicatorum profeſſus, floruit ſub Urbano V & Gregorio XI Romanis Pontificibus, & Petro IV Rege Aragoniæ. Is Theologus & ſacrarum Legum peritus, Generalis Inquiſitor creatus anno Domini 1358, poſtea Avenionem, ubi tum Apoſtolica Sedes erat, ad Summum Pontificem Gregorium XI profectus; de ſummis rebus Judex & Capellanus (ut ipſemet loquitur) illius conſti-

tuitur, ab eoque pro varietate negotiorum & & causarum, multa sæpè obtinuit sanctæ Inquisitionis Officio administrando necessaria. Scripsit *Volumen magnum Christianæ Reipublicæ utile*, nempe *Directorium Inquisitionum*, quo regulas tradidit quibus Inquisitores ad pernoscendas & evellendas Hæreses, seclusâ omni personarum acceptione, optimè instituuntur. Impressum primò Opus Barcinonæ anno 1503, cujus omnia exemplaria locis innumeris depravata ita erant, ut cùm sub Gregorio XIII Pontifice Maximo hic liber Romæ esset recudendus, Franciscus Penna Theologus & utriusque Jurisconsultus, ampliùs bis mille loca suæ restituit integritati, & Scholiis perdoctis ipsum librum illustravit. Habetur igitur iterùm expressus Romæ in fol. anno 1578, & ibidem anno 1587 ex officina Populi Romani. Scripsit etiam *Multitudinem magnam diversorum Opusculorum*, Ms. in duobus voluminibus Bibliothecæ Colbertinæ. Hujus igitur Bibliothecæ cod. 2846 habentur Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Epistola *ad Cardinales adversùs electionem Urbani VI.*

Ejusdem *Epistola ad Regem, ut videtur, Francorum pro Clemente VII.*

Ejusdem *Metra super Schismate.*

Ejusdem *Tractatus an tres Personæ Trinitatis sint in Sacramento Eucharistiæ.*

Ejusdem *Tractatus adversùs Opera Raymundi Lulli, Clementi VII oblatus ab eodem Nicolao.*

Ejusdem *Dialogus contra Lullistas.*

Ejusdem *Tractatus intitulatus, Fascinatio Lullistarum.*

Ejusdem *Tractatus contra Dæmonum Invocatores.*

Sequenti verò cod. 2847 ejusdem *Tractatus contra calumniantes præeminentiam Christi & Virginis ejus Matris.*

Ejusdem *Confessio Fidei Christianæ.*

Ejusdem *Tractatus contra emissum in Conclavi per Papam & Cardinales, præmissorium Juramentum post mortem Clementis VII Papæ, & contra Epistolam Parisiensium Magistrorum.*

Ejusdem *Tractatus contra Alchymistas.*

Ejusdem *Correctorium correptorii.*

Ejusdem *Tractatus contra præfigentes certum terminum fini mundi.*

Ejusdem *Tractatus contra Astrologos atque contra Nigromanticos, de occultis perperam judicantes,*

Ejusdem *Elucidarius Elucidarii.*

Ejusdem *Tractatus contra hæreticaliter asserentes Beatum Joannem Evangelistam fuisse Virginis Mariæ filium naturalem.*

Ejusdem *Tractatus de admiranda sanctificatione Dei & Hominis Genitricis.*

Ejusdem *Incantatio studii Ilerdensis, super viginti Articulis per quendam Antonium Riera studentem Valentinum, ut defertur, ibi seminatis.*

Ejusdem *Tractatus super declaratione* XXII. *articulorum Magistri Sententiarum, in quibus à multis communiter non tenetur.*

Migravit ex hac vita, ut dicitur, anno 1393, de quo plura apud Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, verbo *Nicolaus Eymericus* tomo 2 pag. 149, ubi pluribus exponit quid contineat Opus illius inscriptum atque impressum sub no-

mine *Directorii Inquisitorum*. Qui plura voluerit, adeat *Bibliothecam Dominicanam* Ambrosii de Altamura ad annum 1392 pag. 142, & *Appendicem* pag. 492, Antonium Senensem Lusitanum *in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum*.

JACOBUS DE TERAMO, vel TARAMO, Canonicus Aprutinus in Italia, doctus Juris utriusque Interpres, Presbyter & Archidiaconus Aversanus, floruit circa annum 1390, ac scripsit Dialogum quem prænotavit *Consolatio peccatorum*, Ms. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti codice 60, Oxonii in Bibliotheca Mertonensi codice 192, Balliolensi cod. 141. Ejusdem autem *Commentarius in Sententias M. Petri Lombardi*. Ms. Oxonii in Bibliotheca Sanctæ Trinitatis cod. 26, qui postea impressus est Augustæ Vindelicorum anno 1472 per Joannem Schusler. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, tomo 1 paginâ 793.

RADULFUS DE RIVO, Decanus Tungrensis, ex Breda oppido Provinciæ Brabantiæ oriundus, in omni scientiarum genere versatus, multa scripsit, quorum quædam nobis innotuerunt, ut *Calendarius Ecclesiasticus* editus Lovanii apud Vvelleum, ex manuscripto codice clarissimi Domini Jacobi Pamelii Brugensis, sacræ Theologiæ Licentiati, cujus Calendarii meminit Molanus libro de Martyrologiis c. 7. Opus autem istud appellatur ab Antonio Possevino *De Canonum observantia*, constans viginti-tribus Propositionibus, quæ eò spectant, ut Canonicam Vitam professi, in Canonicis Officiis Canones servent, & Canonicos bonos mores. Incipit, *Religiosis, Patribus, Dominis, Priori de Vvindeshem*, &c. quod ex vetustiore Lo- 1400.

vanienſi editione extat injectum in ſextum volumen Bibliothecæ Sanctorum Patrum Margarini Bignæi, editionum primarum Pariſienſium annorum 1575 & 1589 apud Michaelem Sonnium. Itemque in editionibus ejuſdem Bibliothecæ Colonienſi anni 1624, & Lugdunenſi maximâ Aniſſoniana anni 1677. Item ſcripſit *Geſta trium Pontificum Leodienſium Engelberti à Marka, Joannis de Arkel & Arnoldi de Horn*, ſub quibus floruit, quæ primùm edidit in lucem Joannes Chapeaville Canonicus & Vicarius Epiſcopatus Leodienſis in ſpiritualibus anno 1616 in 4° tom. 3 Hiſtoriarum ſuarum Leodienſium à pag. 1 ad 58. Acceperat autem Chapeavillus ex variis manuſcriptis codicibus, & præſertim Cœnobii Canonicorum Regularium Tungrenſium, quos illi communicaverat D. Vvilhelmus Herkenroede ejuſdem loci Prior optimè meritus, ut teſtatur idem Chapeavillus. De Radulfo loquuntur Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro* tom. 2 pag. 311, Chapeavillus loco citato, à quo hæc habuimus, ubi tamen mendosè poſuit eum mortuum anno 1485, pro 1383. Labbeus *in brevi Chronologia Scriptorum Eccleſiaſticorum*, vult illum & rectè, mortuum anno 1401 die ſecundâ Novembris, cui nos adhæremus.

JOANNES FROISSARTUS Hanno-Flander, Theſaurarius & Canonicus Chimacenſis & Inſulenſis, ſcripſit libris quatuor *Chronicon* ſive *Hiſtoriam*, (ut inquit) *memorabilem continentem bella inter Galliam & Angliam ab anno 1324 ad annum uſque 1400*, quam excuſam & correctam ad manuſcriptos codices, & juxta Auctores authenticos iteratò edendam procuravit Dionyſius Sauvage,

Henrici secundi Galliarum Regis Historiographus, in folio Parisiis anno 1574 apud Michaelem Sonnium. Agunt de Joanne Froissardo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 paginâ 878, Aubertus Miræus in suo Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 452 pag. 265, Andræas Ducheſnius in Catalogo speciali Scriptorum *De rebus Gallicis*. Floruit anno 1400, & ultra.

HENRICUS DE LANGESTEIN, dictus *de Hassia*, Germanus, Ordinis Eremitarum Divi Augustini: sed (ut ex ejus Epistola colligitur) anteà Canonicus Ecclesiæ Vormacienſis, claruit primùm in Academia Parisiensi, ubi Lauream Doctoratus promeruit: deindè ob decus novæ (ut vocant) Universitatis Viennensis in Austria, illuc se contulit, ubi docendo & scribendo celebris fuit, &c. Scripsit autem *Commentarium in libros quatuor Sententiarum*, qui asservatur Mediolani in Bibliotheca Augustinianorum Eremitarum Sancti Marci, ut tradit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, tomo 1 pag. 730. Vivebat anno 1400, de quo mentionem faciunt Joannes Trithemius *De Viris illustribus Germaniæ*, Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*.

FRANCISCUS XIMENIUS ex Urbe Gerunda Catalanus, non Valentinus (ut aliqui autumant) Episcopus Elnensis, nunc Perpinianensis & Patriarcha Hierosolymitanus, scripsit *insignem librum de Vita Angelica* editum Compluti anno milesimo quingentesimo vigesimo septimo.

De Scala cœli, editum Barcinone anno 1501.

Pro Institutione Episcoporum & Superiorum scripsit librum *Pastorale* nuncupatum, editum Barcinone in fol. anno 1495.

Dicitur scripsisse alia multa Opera linguâ patriâ Lemosinâ, quæ reperiuntur in Bibliotheca Cœnobii sanctæ Mariæ de Jesu prope civitatem Barcinonensem, aliisque multis in locis Principatus Catalauniæ. Citatur ab Abulensi in Opusculo *contra Clericos concubinarios*, Opus ejus *De Vita Christiana*, quod quidem doctissimè scriptum, & in quatuor partes distinctum, prodiit Valentiæ anno 1484, & Granatæ anno 1496. Petrus Salazar in Chronicis Provinciæ Castellæ libro 2 cap. 23 refert ultra librum *De Vita Angelica*, scripsisse de Vitis Sanctorum copiosè sub titulo, *Flos Sanctorum*. Multos & valde eruditos libros composuisse, ait Esculanus, & floruisse narrat circa annum 1400, sed in eo errat quòd *Patriarcham* appellat *Alexandrinum*. Hic Franciscus Ximenius cautè est distinguendus ab aliis duobus eorumdem nominum atque cognominum, quorum unus etiam Hispanus, Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, Archicancellarius, Inquisitor, & Gubernator Hispaniarum, qui tanto sumptu, incredibilibusque sudoribus procuravit impressionem Bibliorum Complutensium sub Summo Pontifice Leone X. Alter seu tertius *Fr. Ximenius*, unus è duodecim Fratribus Franciscanis, qui primi Indis Evangelii lucem intulerunt, ex Provincia Sancti Gabrielis, Juris Pontificii studiosissimus, qui Episcopatum Tavasci Indorum à Carolo V oblatum recusavit, ut sub simplici Minorum habitu viveret, multaque scripsit. Loquitur de his duobus ultimis Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 1 pag. 598 & 599, verbo *Franciscus Ximenius*: sed de omnibus, seu de his tribus doctè atque distinctim Lucas Wadingus *in Scriptoribus*

Ordinis Minorum paginis 139, 140, 141, à quo verbatim hæc accepimus, ſicut ipſe verbatim acceperat de aliis duobus Ximeniis, ab Antonio Poſſevino.

JOANNES DE HISDINIO in Arteſia ex Ordine Fratrum Hoſpitalium ſancti Joannis Hieroſolymitani, quem nonnulli in ſuis Catalogis ſcribentes, aiunt ſcripſiſſe tantùm *in Epiſtolas Divi Pauli*, ac Librum *De Annuntiatione Domini*: non cohærent cum Sixto Senenſi, qui diligentior indagator in Bibliotheca ſancta, ſic de eo ſcriptum reliquit: *Joannes de Hiſdinio Ordinis Fratrum Hoſpitalis ſancti Joannis Hieroſolymitani, Theologus non ignobilis, de Scripturis ſanctis benè meritus, & in Academia Pariſienſi publicus Lector, elaboravit ſcholaſticâ phraſi in Job librum unum*, cujus initium eſt: *Uſque in tempus ſuſtinebit. Item in Marcum librum unum*, cujus initium eſt: *Similis factus eſt leoni. In omnes Epiſtolas ſancti Pauli ad Philippum Rothomagenſem Archiepiſcopum lib.* 14. Vixit anno 1390. Scripſit autem primò *Opus Sermonum de tempore & de Sanctis*, quod obtulit clariſſimo Philippo de Alenſonio Archiepiſcopo Rothomagenſi & S. R. E. Cardinali, & Epiſcopo Oſtienſi, qui obiit anno 1397 die 15 Auguſti. Impreſſum, opinor, Opus iſtud ab Antiquo, ſed vidi manuſcriptum in Bibliotheca Fuſniacenſi Ciſtercienſis Ordinis in Epiſcopatu Laudunenſi, his incipiens verbis: *Reverendiſſimo & illuſtriſſimo in Chriſto Patri ac D. Domino Philippo ab Alenſonio divinâ patientiâ Rothomagenſi Archiepiſcopo digniſſimo, Frater Joannes de Hiſdinio, ſanctæ Domus Hoſpitalis ſancti Joannis Hieroſolymitani Ordinem profeſſus, veſter humilis Capella-*

nus & devotus Orator, vitam ducere fœlicem, &c. Ejusdem *Commentarius in Evangelium Marci & in Epistolam ad Titum*, Ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 173. *Commentarius in Epistolas* XIV *sancti Pauli, & Apostilla in Apocalypsim* Fratris Joannis de Hisdinio Ordinis Hierosolymitani, Ms in Bibliotheca Regis Catholici Hispaniarum. Claruit Joannes de Hisdinio ab anno 1390 ad 1400 & ultra, de quo Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta, & Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*.

THOMAS ANGLICUS, patriâ Gualensis, cognomento *Jorgius*, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, & S. R. Ecclesiæ Cardinalis tituli sanctæ Sabinæ, quem Trithemius ad annum 1400 alligat, & plures Lectiones in sacra Biblia scripsisse asserit, quæ sancto Thomæ Aquinati & Angelico attributæ sunt. Certè facilis fuit mutatio Thomæ Anglici in Thomam Angelicum, ut ex Sixto Senensi discimus, qui sic lib. 4 Bibliothecæ sanctæ ait: *Hujus Thomæ Anglici esse creduntur Commentaria in Genesim, in Isaiam, in Jeremiam, in Epistolas Canonicas, in Apocalypsim, & in Boëtium de Consolatione Philosophica, adscripta Divo Thomæ Aquinati, cùm magna esset inter Anglicum & Angelicum vocis similitudo.* Idem censet Labbeus tom. 2 *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, pag. 435, *De Commentario in libros Machabæorum*, & pag. 451 *De Summa totius Logicæ Aristotelis*, quæ est Opusculum 48. Commentarius autem in Epistolas Canonicas, habet multa similia cum Commentario Nicolai Gorhami in easdem, qui impressus in folio Antuerpiæ anno 1620 apud Joannem Koerberg, imò videntur unum &

idem Opus. Præter hæc, ejusdem *Opus aureum in triginta-septem Psalmos*, impressum in folio Venetiis anno 1611 apud Evangelistam Deuchinum. At ejusdem etiam multa extant in Bibliothecis Anglicis sub nomine Thomæ Vvalleys Anglici, nempe *Commentarii in Pentateuchum, Josue, librum Judicum, Ruth & Isaïam*, Mss Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 90, Mertonensi cod. 200, Magdalenensi cod. 47. *Commentarii super duos Nocturnos Psalmorum*, Mss Oxonii in Bibliotheca Oxonienſi cod. 25, Cantabrigiæ in Aula Penbrochiana cod. 46, *De quatuor prædicabilibus ad omne genus humanum*, Ms Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri cod. 87. *De Theoria prædicandi*, Ms Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi codice 20, Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus ſancti Petri cod. 99. Ejusdem Thomæ Vvalleys *Opusculum de Instantibus & momentis, de videndo faciem Dei post resurrectionem*: Itemque *Articuli hæreditales contra eum cum Responsis*, Mss Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 179. Plura dabunt de Thoma Vvalleys Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Thomas Anglicus* tomo ſecundo pag. 476, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 456 pag. 266, Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1311 pag. 88, & *in Appendice* ejusdem anni pag. 467, ubi appellat eum Beatum, cujus oblitus fuerat antea paginâ citatâ 88: & alii. Porrò ut ad oculum conſtet quàm bellè Mendicantes confuderint utrumque Thomam Anglicum & Angelicum, ſicut jam antea allegaverat Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta, hoc unico conſtare poteſt. Scripſit Thomas Anglicus

Commentarium in libros Divi Augustini de Civitate Dei, qui extat in manuscriptis codicibus ejusdem cum Auctore temporis, in Bibliotheca Cremonensi Fratrum Eremitarum Divi Augustini, & in Anglicis Oxonienſibus Mertonensi cod. 169, & Balliolensi cod. 70 : at idem Opus perperam, nec enim hucusque ullus eum attribuit Thomæ Aquinati, in Bibliotheca Cameracensis Ecclesiæ Cathedralis pulpito 10 cod. 15 inscribitur : *Expositio seu Postilla F. Thomæ de Aquino Angelici Doctoris, Ordinis Prædicatorum super decem libris de Civitate Dei Beati Augustini, ubi sunt quatuor Tabulæ antepositæ.*

JOANNES ROCHEFORD Anglus nobilis, quos antiquæ Cartæ Milites vocant, floruit anno 1400, vel circiter, ac scripsit Opus intitulatum, *Flores Historiarum* ad sua usque tempora, quod extat Ms Oxonii in Collegio omnium Animarum codice 4 sub titulo, *Flores Historiarum cum Tabula facta per Joannem Rockeford Militem.* Hoc ex Ecloga Mss. Oxonio Cantabrigiensi Thomæ James edita in 4° Londini anno 1620 apud Joannem Norton.

NICOLAUS DE BIART, floruit anno circiter 1400, de quo sic Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom. 2 pag. 145 : *Nicolaus de Briartho Ordinis Prædicatorum, fertur scripsisse Sermones utiles, Distinctiones morales, Summam de Abstinentia. Antonius Senensis ex pluribus Monasteriis Ordinis, sed tacet quoto vixerit anno.* Ita Possevinus. Hujus autem *Distinctiones Byardi cum Tabula, Tractatus perutilis Concionatoribus*, habentur Mss. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 239, Mertonensi codd. 134 & 195, Magdale-

nensi, cod. 149. Cantabrigiæ in Biblioth. Penbrochiana cod. 105. Porro quem Possevinus facit ex Ord. Prædicatorum, ibidem eodem folio aliquanto antè facit ex Ord. FF. Minorum, immemor sui in hoc casu atque in multis aliis. Sic enim scribit, *Nicolaus è Biarto, Ordinis Minorum scripsit Distinctiones in quatuor libros*: certum enim est quòd de Scriptore eodem loquatur. Idem quoque est cum *Nicolao de Broido qui scripsit Distinctiones in quatuor libros Sententiarum*, teste Vvadingo *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 263. Hoc annotasse non infructuosum, ut pateat quàm frequens sit apud Nomenclatores Scriptorum, in suis Apparatibus & Bibliothecis, ex uno duos aut tres facere Auctores, ut fecit citatus Possevinus, qui etiam paginâ præcedenti 144, sui Apparatus *tertiò* scripsit: *Nicolaus Bayard Anglus scripsit librum Distinctionum Theologicarum, Sermones de tempore & de Sanctis, Placita Theologica. Vixisse fertur anno* 1410. Dicitur autem in manuscriptis codicibus aliquando *Nicolaus Byart*, aliquando *Bayart*.

JOANNES DE LIGNIANO Jurisconsultus Mediolanensis, scripsit *librum super Clementinas*: sub cujus nomine citantur etiam super secundo Decretalium. Ejusdem *De Amicitia, de Bello & Duello, de Pluritate Beneficiorum, de Censura Ecclesiastica, de Horis Canonicis, de Interdicto Ecclesiastico, de Repressaliis, de Secreto, de Permutatione*. Itemque *Lectura in primum, secundum, & tertium Decretalium*. Extant autem plerique horum Tractatuum, intra compilationem Tractatuum Juris: Venetiis anno 1584 editam in fol. variis tomis, tomo 4 fol. 335, tomo 12 fol. 227 & 281, tom. 14 fol. 307, tom. 15 parte 1 fol. 558.

& parte 2 fol. 281. Floruit anno 1400, de quo loquitur Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, unde iſta accepimus.

THOMAS, Abbas ſancti Andreæ Vercellenſis floruit circa annum 1400, ſcribens breves & planos *Commentarios in Opera Divi Dionyſii Areopagitæ de cœleſti & eccleſiaſtica Hyerarchia, de Myſtica Theologia, de divinis Nominibus*, qui Mss. extant in variis Bibliothecis Anglicis, Oxonii in Bibliotheca Mertonenſi cod. 193, Balliolenſi codice 20, Collegii Corporis Chriſti cod. 42, Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti codice 40. Item *Commentarium ſuper Cantica Canticorum hyerarchicè exponens hæc Cantica*, Ms. in dicto codice 40 Collegii Sancti Benedicti. Sanè verò fuit Abbas Vercellenſis, ac ſine controverſia Thomas appellatus, Ordinis Divi Benedicti. Sic enim habet Vercellis ad ſancti Andreæ, cujus Cœnobii fuit Abbas, antiquum Epitaphium, ejus tumulo & Imagini affixum, cujus Imago præfert D. Benedicti Cucullam: ejus autem *Commentarius in libros Divi Dionyſii* juxta Poſſevinum in Apparatu ſacro, verbo *Joannes alter Scotus* tom. 1 paginâ 939, fuit impreſſus Coloniæ anno 1526, cum Dionyſii Carthuſiani Operibus (forſitan cum ejuſdem Commentariis in libros ejuſdem Dionyſii Areopagitæ.)

HERMANNUS DE LERBECK, ex Ord. FF. Prædicatorum, apud Mindenſes in Conventu Sancti Pauli, circa annum 1400 clarus, ſcripſit *Chronicon Comitum Schavvemburgenſium*, ab Adolfo I ſive ab anno 1030 ad annum uſque 1404. Illud primùm Notis illuſtratum, evulgavit Henricus Meibomius Francofurti anno milleſimo ſexcente-

simo vigesimo, apud Rulandios in quarto.

RAYNERIUS natione Italus, patriâ Pisanus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, teste sancto Antonino 3 parte Summæ Historicæ tit. 23 capite 11 paragrapho 2 Summam edidit, quæ *Pantheologia* inscribitur, in duas partes tributam, *procedentem in materiis secundùm ordinem Alphabeti, quâ non solùm tractat de Casibus conscientiæ, sed etiam de omni materia prædicabili, & per modum prædicabilem.* Scribebat autem juxta Natalem Alexandrum in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus sæculo 14 cap. 5 pag. 576 anno 1333, juxta Labbeum anno 1414 *in Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum.* Hoc opus nuperrimè tantis accessionibus auctum prodiit Parisiis in fol. tribus tomis, curâ & studio Joannis Nicolai Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut primævus Raynerii labor cognosci non possit. At Jacobus Florentinus Professor Ord. FF. Minorum qui edidit olim in fol. Nurembergæ in Germania anno 1474, *Pauca substraxit, multa addidit quæ deficere videbantur, reducendo etiam aliquas materias subtiles ad stilum faciliorem & clariorem: ut tam à legentibus quàm audientibus dulciùs gustarentur & medullitus imprimerentur.* Hæc ille in prologo, unde purum qui vult Raynerium, recurrat necesse est ad manuscriptos codices, quorum nonnulli in Anglia reperiuntur. Eadem Pantheologia impressa etiam alibi, sed juxta primam impressionem, ut Venetiis anno 1486, & Lugduni anno 1519 in folio, Brixiæ demum duobus voluminibus in 4° anno 1580 apud Thomam Buzzolam. Egisset meliùs Joannes Nicolai, si purum Raynerii Opus nobis obtulisset, licèt mole minus. 1410.

THEODERICUS DE NIEM seu NIEMUS Litterarum Apostolicarum Scriptor & Abbreviator, claruit anno 1410 & sequentibus, calamitosissimis temporibus luctuosi Schismatis, quo Ecclesia Occidentalis omnimodè lacerata est. Hic oculatus multarum Rerum testis, scripsit nobile opus *De Schismate inter Urbanum VI & Clementem Antipapam III libris*, quorum liber quartus inscribitur, *Nemus unionis*. Itémque & *Vitam Joannis XXIII* Summi Pontificis qui electus anno 1410 coactus est cedere anno 1415, quamvis ab illustribus viris haberetur & agnosceretur Papa verus. Impressum, uti multùm utile opus ad notitiam istorum temporum, Norimbergæ anno 1592 & Basileæ anno 1566, denique Argentorati in 8° anno 1608 sumptibus Lazari Zetneri. Ejusdem *Privilegia & Jura Imperii circa investituras Episcopatuum & Abbatiarum, restituta à Papis, Imperatoribus Romanis* : impressa Basileæ anno 1557 cum aliis pag. 783, & Argentorati annis 1609 & 1618 cum aliis pag. 248. Ejusdem *Excerpta de Potestate Imperiali & Papali*, impressa cum aliis Francofurti annis 1614 & 1621 pag. 1381 & 1476. Nec istos Tractatus (opinor) oblitus est Melchior Goldastus in *Monarchia* sua. Hunc sæpius allegat Ludovicus Maimbourg Soc. Jesu *in Historia Magni Schismatis Occidentis* impressa in 4° Parisiis anno 1678 apud Sebastianum Mabre-Cramoisy viâ Jacobæâ sub Ciconiis. Labbeus *in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1410 recenset.

JOANNES BREVIS-COXA Gallicè *Courte-Cuisse* in Agro Cenomannorum natus est. Habuit ortum in Pago, nomine *Halena*, vel certè in

altero huic contermino, ut ipsemet significat in actu Vesperiarum Radulfi Portæ, quem Helenæ natum gentilem ac popularem suum appellat. Itaque Jacobus Meyerus Rerum Flandricarum lib. XV, & ex ejus commentariis sapiens ad annum MCCCCVIII Abrahamus Bzovius falluntur, dum illum, & cognomento Corrohosam, & natione Normannum fuisse scribunt. Igitur circa annum Christi 1367 adolescens in Regium Navarræ Gymnasium veniens, & continenti serie trium illius sodalitiorum particeps effectus, primùm Grammaticam, deinde Philosophiam, postremò Theologiam didicit, eámque posteà sub Petro Alliacensi Collegii moderatore docuit. Extat in Bibliotheca sancti Victoris Ms. Tractatus *De Ecclesia & generalis Concilii Auctoritate* eximius, quem cùm Bibliorum cursum pro more absolveret, exaravit. Et quamvis tunc esset Baccalaureus tantùm in Theologia, rationum tamen pondere accedit ad Magistros, & ingenii acumine neminicedit. Anno circiter 1388 Doctoris consecutus insignia, tum ad sedandum Ecclesiæ Schisma, tum ad habendas conciones animum penitus apposuit. Cum autem Carolus VI Rex Francorum anno 1394 congregasset Antistitum & Theologorum Cœtum, in quo quid ad faciendam Romanæ Ecclesiæ pacem, quæ Schismate turbabatur, agendum esset, deliberatum fuit: Joannes Brevicoxa inter alios aderat, qui suam Conventui & cum primis Regi eruditionem, præstantiam & in tractandis rebus sapientiam mirificè probavit. Ex quo fœliciter contigit, ut Rex biennio post statuerit, illum ad Benedictum XIII & Bonifacium X mittere, qui utrumque ad dandam af-

flictæ Ecclesiæ pacem hortaretur. Sic ad annum 1396 tradit Anonymus Latinæ Caroli VI Historiæ Scriptor: *Joannes Brevis-Coxæ, in Sacra Pagina excellentissimus Doctor & Professor, Nuncius Regis Franciæ ad Benedictum & Bonifacium propter pacem.* Anno 1407 Ludovicus Aurelianorum Dux, Regis Frater, x Kalendas Decembres occisus Burgundionis factione est, cujus exequias funebri oratione prosecuti sunt duo Theologi, Gersonus & Brevisscoxa: Prior in Navarræ Collegio, quod Ludovicus Carum semper habuerat; posterior in Monasterio Cœlestinorum Parisiensium, ubi conditus erat. Rem istam præclarè describit Monstrelletus in Historia Caroli V I cap. CXXXIII. *Circa hoc ipsum tempus Parisiensis Academia, cum pertinaci duorum Pontificum dissidio lacerari doleret Romanam Ecclesiam, neutrum agnoscendum esse Regi persuasit. Pro hac sententia, cùm alii, tum Brevisscoxa inprimis acerrimè pugnavit. Destitutus à Francis Benedictus, Regnum Ecclesiastico interdicto supposuit.* Anno 1408 factus est Brevisscoxa Dispensator Regiarum Largitionum quem nos *Eleemosinarcham* dicimus, quo munere perfunctus est usque ad annum 1418. Idem per aliquod tempus absente Gersono, Cancellarii Parisiensis officium exercuit, quo se anno 1418 ad Nonas Quintiles abdicavit. Interea multa scripsit *Joannes Brevis-Coxa* quæ Mss. extant partim in Bibliotheca Cœnobii sancti Victoris, partim in Bibliotheca Regia, partim denique in Bibliotheca Majoris Ecclesiæ Parisiensis. Sunt autem ista, præter *Tractatum de Potestate Ecclesiæ & Concilii* Ms. in Bibliotheca sancti Victoris, de quo supra locuti sumus.

Variæ Quæstiones Theologicæ quas in particulari enumerat Joannes Launoïus in Historia Collegii Navarrici.

Aliæ Quæstiones morales, quas idem citato loco accuratè recenset.

Commendationes duæ sacræ Scripturæ, quæ incipiunt, *Olivam uberem*, &c. *Super omnem terram*, &c.

Quatuor principia super Lecturam Bibliorum, quæ incipiunt, *Tota pulchra est*, &c. *Ædificavit turrim*, &c.

Collationes quatuor super commendatione sacræ Scripturæ, quæ omnes incipiunt *Regina Austri*, &c.

Commentarius seu Lectiones in Evangelium Joannis, In principio erat verbum, &c.

Hæc autem sufficiunt, ut appareat, nullas unquam fuisse præstantissimi Doctoris partes, quas non susceperit. Ad hæc, cum Ecclesia Parisiensis vacaret, Clerus, Senatus & Academia elegerunt Brevi-Coxam, qui Episcopo mortuo sufficeretur, quod anno 1420 sexto Kalendas Januarias, ut moris erat, factum est. Sed quia Regi Angliæ, qui tunc Lutetiæ dominabatur, gratus non erat, in Episcopiò manere non potuit. Annum unum & eo amplius mansit, aut potiùs latuit in Monasterio sancti Germani ad Urbem. Sic memoriæ proditum est in Diario quodam Manuscripto, quod ab anno 1409 incœptum desinit in annum 1449. Hic Libellus in Bibliotheca Minimorum Parisiensium asservatur. Verùm anno 1422 ad Gebennensem Ecclesiam translatus est, quia Anglis & Burgundionibus Parisiis latè dominantibus subesse nec potuit, nec voluit. Sic vir pro-

bus deseruit & Regnum & Regni Sedem, cui & Regni & Sedis illius vastatio mirum in modum displicuit. Mœrore confectus brevi demigravit ab hominibus, sed quo anno non comperi, quod ut incompertum in medium relinquo. Hæc verbo tenus Joannes Launoïus *in Historia Regii Navarræ Collegii* parte 3 lib. 1 cap. 3 pag. 462 & sequentibus, quæ impressa in 4° Parisiis anno 1677 apud Viduam Edmundi Martini viâ Jacobæâ sub Sole Aureo. Pauca *de Joanne Brevi-Coxa* Fratres Sammarthani tom. 2 Galliæ Christianæ *in Episcopis Gebennensibus*.

JOANNES PARVI, Doctor Theologus nationis Normannicæ, Minorita, anno 1400 Licenciatus in Theologia, vir eloquentissimus & cerrè magnæ famæ, eruditionis ac doctrinæ, sed conductitiæ & vænalis; qui cum duobus aliis Doctoribus sustinuit anno 1407 in Atrio Basilicæ B. Mariæ Parisiensis, cædem Ludovici Aurelianorum Ducis à Burgundione jure perpetratam fuisse; idque conatus est persuadere multis rationibus, nullum enim scelus tam fœdum quod non habeat suos Patronos. Inter quas hanc proferre ausus est, quod ejusdem Burgundionis sumptibus in Scholis educatus fuisset, ejusdemque stipendiis etiam nunc militaret: verùm paulò post, prævalente Aurelianensium factione, Hæreseos apud Universitatem factus reus, exulare cogitur, & Nosocomio & largis pensionibus stipendiisque à Burgundione dotatus, apud Hisdinium anno 1411 fato functus est, & in æde Minoritarum sepultus. Audio *Tractatum* ejusmodi Ms Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 269; quem tamen legi fuisse combustum Parisiis atque proscriptum. Ejusdem *Joannis*

Parvi Tractatus de Schismate, & aliæ plures propositiones, Mss. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis codicibus P 11 & P 14. Porro ne quid hac in parte Franciscanis Dominicani exprobrarent.

MARTINUS PORRÆUS Dominicanus Theologiæ Doctor, Joannis Principis Burgundiæ Confessarius, crimen idem jure perpetratum esse defendit, ob cujus perversæ doctrinæ compensationem factus est anno 1408, instante Principe, Atrebatensis Episcopus. Nec mercedi seu Beneficio defuit gratitudo, nam in suæ promotionis gratiarum actionem, scripsit Porræus *Tractatum hujusce cædis justificativum*, quem habet in Anglia Bibliotheca Collegii Novi cod. 269, hoc titulo: *Tractatus compositus per Episcopum Atrebatensem pro parte Ducis Burgundiæ, quod licitè fecit occidi Ducem Aurelianensem.* Ibidem autem præsenti veneno remedium, nempe *Materia Responsionis ad Tractatum Attrebatensis super interfectione Ducis Aurelianensis.* Adstitit Porræus Legatus Ducis Burgundionum Concilio Constantiensi anno 1415, Sessionibus 2, 11 & 30, missusque posteà in Angliam cum Præposito sancti Donatiani Brugensis. Obiit 6 Septembris 1426, conditus autem in sua Ecclesia tumulo cupreo, ubi spectantur insignia cum subjecta Epigraphe. *Hic jacet Martinus Poré de Conventu Senonensi, Ordinis Fratrum Prædicatorum, olim Confessor illustrissimi Principis Joannis Ducis Burgundiæ, Flandriæ, Arteſiæ, & Burgundiæ Comitis, & deinde Atrebatensis Episcopus, obiit anno Domini* MCCCCXXVI *die sexta Septembris.* De Porræo Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 2 pag. 218 *in Episcopis*

Atrebatensibus, Cæsar Egassius du Boulay *in Historia Universitatis Parisiensis*, sæculo 7 tomo 5 pag. 284, ad annum 1415, impresso in folio Parisiis anno 1670 apud Petrum de Bréche.

HIERONYMUS DE SANCTA FIDE à Judaismo ad sanctam Christi Fidem conversus, ac deinceps insignis Medicus Benedicti XIII Antipapæ, seu juxta alios Pontificis Maximi, scripsit *Tractatum* maximè efficacem *refellendis Judæorum erroribus*; Itemque *alium adversùs Talmudicas Quisquilias*, quos ambos habes impressos in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Parisiensis annorum 1575 & 1589 apud Michaelem Sonnium, & in editione ultima ejusdem Bibliothecæ maxima Lugdunensi apud Anissonios sæculo XV. Claruit ab anno 1410 ad 1424, vel circiter, de quo mentionem habet Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 741, & iterum pag. 746. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 450 pag. 264, ubi etiam ait haberi hos libros tom. XIV Bibliothecæ Sanctorum Patrum Colonienſis editionis anni 1624 apud Antonium Hieratum.

JACOBUS cognomento *Magnus*, dictus Toletanus, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, in veterum Theologorum lectione plurimùm versatus, cùm universam fermè (ut tradunt Joannes Trithemius, Ambrosius Coranus & Jacobus Bergomas) Scripturam sacram Annotationibus explicasset, edidit quoque *De Inquisitione divinæ Sapientiæ* prænotatum *Sophologium*, quod & characteribus antiquis excusum fuit, & cum aliis Lugduni in fol. anno 1585 pag. 262, cum opere Joannis de Sancto Geminiano, quod inscribi-

tur *De Similitudinibus & Exemplis*, de quo ad annum 1300 *in Joanne Geminianensi*. Habetur autem Ms. distinctum quatuor libris, Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 21. Ejusdem *plura Opera moralia* Mss. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis. Reliqua è Bibliotheca Bononiensi sui Ordinis, fuisse sublata scribit Josephus Pamphilus, qui & meminit *Quæstionum in libros Aristotelis de Anima*, quas Patavii Jacobus ipse ediderat, dum ibi publicè profiteretur. Scripsit & *utriusque Philosophiæ Compendium* Michaeli Episcopo Antissiodorensi dicatum, quo ea quæ spectant ad naturalium rerum cognitionem facilè percipi possunt. Vivebat anno 1415. Hic autem cùm esset à secretis Confessionibus Caroli VII Galliæ Regis, electus Archiepiscopus Burdegalensis, Archiepiscopatum recusavit. Obiit Parisiis in Ecclesia Fratrum Eremitarum sancti Augustini sepultus. Hæc ferè ad verbum nos ex Possevino *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 788, de quo plura absque dubio dabit Philippus Elssius *in suo Encomiastico Augustiniano*, Bruxellis in folio edito, de quo nos sæpè loquimur.

PETRUS DE ALLIACO Compendii ad Isaram natus anno 1350, ex parentibus ignobilibus quidem, sed probis & liberalibus, magnum familiæ suæ honorem acquisivit ob doctrinam simul & pietatem. Multa de illo habent Bellarminus ad annum 1410 in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, longè plura Philippus Labbeus in eodem libro tom. 2 pag. 179 & sequentibus. At plenissimè omnium Joannes Launoïus in Opere seu *Historia Regii Navarræ Collegii* de qua jam nos alibi, parte 3 lib. 1 cap. 4 pag. 467 & sequentibus, ubi

omnes vitæ illius Epochas diligentissimè annotat, omnes libros impressos, quos etiam accuratè satis inquisierat & annotaverat Labbeus loco citato, adhuc accuratiùs inquisivit & recensuit usque ad scrupulum, ita ut hujus utriusque diligentiæ nihil addi possit. Ratio tamen nostri *Supplementi* ad Auctores vel Opera Auctorum omissa à Bellarmino & Labbeo, exposcit ut hîc subjungamus alia quædam Opera manuscripta tantùm, mutuata ab eodem Launoïo loco citato pag. 479. *sequuntur Opuscula Petri Alliacensis Manuscripta, quæ in Bibliotheca Collegii Navarrici asservantur.*

Quæstio determinata in Scholis Navarræ, *Utrum Hæreticum sit dicere, quòd liceat pro docendi licentia pecuniam dare vel recipere.*

Propositio facta coram Papa *adversùs Cancellarium Parisiensem*, quæ incipit: *Domine, vim patior.*

Quæstio de reprehensione Petri à Paulo facta, *Quærit à me Caritas vestra.*

Responsio in Sorbona, *Utrum esse tria Suppositа unius Naturæ, si perfectio.*

Quæstio de qua respondit in Sorbona, *Utrum Creaturæ Rationalis conscientia erronea, ejus actum excusare possit.*

Responsio in Aula Episcopi, *Utrum Christi dono gerens potestatem, justè damnetur?*

Altera quæstio, *Utrum libertas creaturæ rationalis ante & post lapsum sit intrinsecè æqualis.*

Invectiva Ezechielis contra pseudo-Prædicatores: *Ezechiel Propheta.*

Sermo in Capitulo Navarræ: *Veritas de terra orta est.*

Serm

Sermo de sancto Bernardo : *Dedit ei cor ad præcepta.*

Sermo in Capitulo Navarræ : *Ipsorum est Regnum cœlorum.*

Sermo in Synodo Ambianensi factus, dum erat Subdiaconus : *Sacerdotes tui induantur justitiam.*

Sermo in Synodo Ecclesiæ Parisiensis : *Hic jam quæritur.*

Tractatus utilis & amplus super Boëtium de Consolatione Philosophiæ, cum eleganti præfatione, quæ incipit : *Reverendissimi Patres, Magistri ac Domini carissimi, mihi ardua scandere volenti.*

Tractatus de falsis Prophetis, *Attendite à falsis Prophetis. Quia ad observantiam divinæ Legis.*

Alter Tractatus de falsis Prophetis, *Attendite*, &c. *quia sic dici solet :* ubi de Hypocrisi, de bonorum & malorum Angelorum cognitione & locutione, Prophetia & divinatione per Astra disputatur.

Descriptio imaginariæ Visionis de Horto sacræ Scripturæ, quam fecit in principio suo super Cantica anno MCCCLXXIV. *Veni in hortum meum*, cum longa & eleganti præfatione, quæ omnia desiderantur in Expositione super Cantica Canticorum edita Argentinæ anno 1490.

Propositio facta coram Papa contra Fratrem Joannem de Montesono, quæ incipit : *Pater sancte, in nomine tuo serva eos.*

Altera propositio facta in Consistorio, quæ incipit : *Veritatem meditabitur guttur meum.*

Tractatus ex parte Universitatis studii Parisiensis pro causa Fidei, contra eundem Fratrem,

cujus excerptum habetur ad calcem Magistri Sententiarum. Hunc Tractatum Vvesellus Groningensis libro de potestate Papæ cap. 9 laudat, eique tribuit nomen *Rotæ de errore quatuordecim Conclusionum Fratris Joannis de Montesono.*

Hæc Joannes Launoïus loco citato, cui nos addimus, pleraque ex his iisdem operibus inveniri etiam Mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Emanuelis codice primo, quæ nempe sequuntur.

Tractatus editus per Magistrum Petrum de Alliaco, postea Cardinalem Cameracensem contra Fratrem Joannem de Montesono, & propositio contra eundem.

Item propositio Magistri Petri de Alliaco coram Papa, contra Fratrem Joannem de Montesono.

Propositio ejusdem contra eundem dicta in Consistorio.

Propositio ejusdem coram Papa contra Cancellarium Parisiensem.

Sermo ejusdem *De sancto Bernardo.*

Sermo *De sancto Ludovico.*

Sermo *in Synodo Ambiani.*

Sermo *in Synodo in Ecclesia Parisiensi*, de quibus omnibus suprà. Qui plura cupit, adeat locis citatis Bellarminum, Labbeum & Launoïum, sæculum 7 Universitatis Sorbonicæ, ubi multa pariter de ipso.

NICOLAUS DINCKESPUEL, Sucvus, Viennensis in Austria Academiæ Rector, floruit anno 1420 ad 1430 & ultra, adfuit enim Constantiensi Concilio, scripsitque *De Præceptis Decalogi, Oratione Dominica, octo Beatitudinibus.* Item *Confessionale*, & alia quæ anno 1516 Argentorati

edita sunt. Vixit anno 1420, *cujus Sermones hodie* (ut Æneas Silvius loquitur) avidè à doctis leguntur. Hæc Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 471 paginâ 269. Plura Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2 pag. 147.

PETRUS DE ROSENHEIM, quem alii *Rosemheimensem*, alii *Rosenhemium* vocant, Germanus, Ordinis Divi Benedicti, Monachus Monasterii Mellicensis in Austria, Poëta (ut habet Sixtus Senensis) Scholasticus, quem Joannes Trithemius scribit claruisse anno 1427. Scripsit ad Brandam Castilionem Tituli sancti Clementis Cardinalem, Legatum Apostolicum in Austria positum, pressum ac succinctum opus Disticis Elegis, quod inscripsit, *Roseum Memoriale Divinorum*, quo utriusque Testamenti capita perstringit. Incipit autem, *Astripotens cœlum*, &c. idque prodiit Argentorati anno 1544 apud Balthasarem Bechz. Item dicitur scripsisse *Summam Theologiæ*, quæ extat Romæ in Basilica Lateranensi, & *Rationarium Evangelistarum*, omnia Evangelia prosâ, versu, Imaginibusque continens. Hæc Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2 pag. 266.

PETRUS DE DUISBURG, seu DUISBURGO, natione Germanus, scripsit *Chronicon Prussiæ*, in quo Ordinis Teutonici origo & res gestæ exponuntur ab anno 1226 ad annum 1425, quo floruit dictus Petrus. Accesserunt huic Chronico Dissertationes novemdecim, Antiquitates Prussicas complectentes, Auctore Christophoro SKARKIO, quæ omnia impressa Jenæ in 4° anno 1680, studio ejusdem SKARKII.

GERARDUS MACHETUS studuit Theologiæ

in Collegio Parisiensi Navarrico, & anno 1411 Magister effectus est, qui posteà Aulæ Regiæ, quàm vulgo notior fuit, & à Carolo tunc Regente, tum etiam Rege Francorum nominis VII, vix unquam recessit: Unde Parisiensis Canonici locum implevit. Concilio quod ad damnandos Joannis Parvi Errores coactum est, Lutetiæ interfuit, & Sententiam dixit gravissimam. Sub annum 1414 Joannes Gerso Machetum suum instituit in Academia Parisiensi Procancellarium, cùm esset ad Constantiense Concilium profecturus. Hunc Carolus Delphinus, qui laborante Carolo Patre, Galliam procuravit, elegit Machetum cui Christiano ritu confiteretur. Hinc Carolus VII Machetum anno 1422 in Carnotensium Canonicorum numerum retulit. Sed cùm suum Pœnitentiæ Administrum Delphinus & Rex mutare nollet, eum in Aula ferè semper retinuit, & ad obeunda quæque pietatis & Religionis officia adhibuit. Omnium instar unum refero, quod Ænæas Silvius seu Pius II attingit lib. 6 Commentariorum: *Castrensi Episcopo Confessori suo inter Theologos apprimè docto puellam examinandam committit.* Reliqua quod spectat, Machetum moribus fuisse modestis & gravibus, & qui ab sæculi vitiis abhorrerent, vir antiquæ probitatis Clamengius in Epistolis 116 & 119 confirmat. Valuit facilitate conscribendarum Epistolarum, id ostendit codex Ms. *complurium illius Epistolarum*, imò pluscquam *quadringentarum*, quas ad diversos perscripsit, asservatus in Bibliotheca sancti Martini Turonensis. Harum plurimarum synopsim affert Joannes Launoïus *in Historia Regii Navarræ Gymnasii* parte 3 pag. 534, & sequentibus, quæ multùm juvare

possunt ad Historiam istorum temporum. Factus tandem Gerardus Machetus Episcopus Castrensis anno 1444; obiit anno 1448 die 17 Julii. Multa de eo Joannes Launoïus loco citato, à quo hæc habuimus, pauca Fratres Sammarthani *in Gallia Christiana* tom. 2 pag. 500, *in Episcopis Castrensibus*.

ANTONIUS RAMPELOGUS Doctor Theologus, Ordinis Eremitarum Augustinianorum, edidit librum, quem *Biblia Figuras* inscripsit, quemque ut incautè plerique Adolescentiores Concionatores versarunt. Sic (inquit Antonius Possevinus) *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 104, mirum videri potest doctos alioquin & eruditos Theologos, non ante obviam iviſſe ei malo quod indo prodire poterat, dum minimè emendatus in manus omnium veniret: & eum quidem Sixtus Senensis rude vocat Opusculum, quod Auctor scripsit ad Ordinis sui Scholasticos in Neapolitano Cœnobio: at in quónam ruditas illa se proderet, non attigit. Quin addidit in eo pene omnes sacras Historias trito eloquio moraliter exponi, singulasque ad singulas morales Virtutes accommodari. Initium Operis est: *Religiosis viris in Christo*, &c. Cæterùm ut aliquam Rampelogus in Concilio Constantiensi operam navavit adversùs Hussitas, Sigismundo Imperatore anno Domini 1418: sic minùs culto illo ævo, nec tam ab Hæreticis qui postea exorti sunt oppugnato, Errores à quibus periculum imminebat, attentiùs non sunt observati. Quare *Rampelogi* lapsus reservati in hæc tempora, ut liber ille, nisi expurgatus, prohibitus sit à Clemente VIII Pontifice Maximo, *in Indice ultimo Romano librorum prohibitorum*.

Quod autem modò generatim de eo dicendum est, haud dubium quin multi errores graves ab Ecclesia proscripti, in eo comperiantur. Tollenda verò sunt nonnulla desumpta ex Magistro Historiæ Ecclesiasticæ; absurda illa quidem, ac potiùs Fabulas quàm Historias sapientia. Plura item quæ aliter in Bibliis habentur, quàm quomodò *Rampelogus* posuit. Quin & Divina Scriptura parum sincerè, nonnunquam autem malè citata, & sine annotatione locorum ipsius; Apocripha quoque, qualia afferebantur è tertio libro Esdræ, atque ex Epistolis Cyrilli Hierosolymitani ad Divum Augustinum de Monte S. Hieronymi. Quæ omnia, quæ certè sunt plurima, aut emendanda vel expungenda sunt, ne quis tyro Concionator, posthæc ampliùs tanquam certa & explorata populo proponat. Atqui & Sententiæ Doctorum ex Patribus allatæ, conferendæ sunt cum ipsorum Exemplaribus sive Operibus, quamvis neque omnes quas ille citat, inveniantur. De Solæcismis ac Barbarismis plurimis, pluribusque obscenis quæ in eo sunt, nihil dicerem, nisi hæc etiam materiam sacram haud decerent. Quòd si hisce mendis expurgatus sit, non mediocre commodum, ex ejusmodi Opusculo existeret. Quamvis (ut dicam quod sentiam) fortasse præstaret alterum de novo condere, quàm tot cicatricibus obsitum illud recudere. *Grandem certè censuram* Antonii Possevini *hujus modici Operis*, quod Parisiis impressum fuit anno 1511 in 4° à Badio Ascensio, Argentorati anno 1516, Lugduni annis 1558 & 1570, atque alibi etiam. Hæc conveniret etiam multis aliis aliorum temporum Scriptis & Concionibus. Agunt de Antonio Rampelogo præter Censorem rigidum

Possevinum, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 483 pag. 272, Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*.

LUPUS DE OLIVETO, Hispanus, Ordinis Eremitarum sub nomine Divi Hieronymi Prior Generalis, frater autem sancti Vincentii Ferrerii Valentini, Ordinis FF. Prædicatorum, utpote primus Eremitarum Hieronymitanorum Promotor, *Regulam sui Ordinis* condidit, *Sermonesque* (ut aiunt) *de tempore & de Sanctis*. Habetur hæc Regula defloratа ex variis Operum D. Hieronymi fragmentis, tom. 9 Operum Divi Hieronymi editionum ferè omnium, nempe Coloniensis anni 1618, Parisiensis 1623, & Romanæ à Mariano Victorio Amorettæ Reatino, Episcopo Amerino procuratæ & recognitæ. Vivebat autem anno 1420; sepultus est autem Romæ ante majus Altare Sanctorum Bonifacii & Alexii, ac in Epitaphio *Præpositus* nominatur. Plura de illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2 pag. 45.

NICOLAUS NICOLAI, *de Clamengis* dictus, à Catalaunensi pago, cui nomen est *Clemenge*, celebre per orbem totum nomen obtinuit, ut & Petrus Clamengius Doctor Medicus, quem Nicolaus Epistolâ 27 matris suæ fratrem & avunculum appellat. Clarere cœpit in Gymnasio Parisiensi Navarrico ab anno circiter 1393, quo illud incoluit. Editi de variis Theologicarum Rerum monumentis libri & Epistolæ, tum suscepti pro sancienda Ecclesiæ pace labores innumeri effecerunt, ut eum posteri *Doctorem Theologum* nuncuparent: quo nomine nec se unquam dùm sese obtulit occasio, nec Tablinum Navarricum, nec

Scriptores æquales insignierunt. Plus operæ ac diligentiæ adhibuit in politioribus Litteris, quibus se mirum in modum delectatum esse Epistolâ quartâ fatetur : & certè in iis quæ Eloquentiam ac Poësim attinent, ita profecerat, ut exteri crederent eum non Parisiis, sed Bononiæ oratoriam ac Poëticam artem didicisse. Nunquam ex humilitate lauream doctoralem licèt doctissimus, habere voluit. Cùm posset ob nominis famam ac doctrinæ & facundiæ celebritatem assurgere ad dignitates Ecclesiasticas, utpote Regibus ac Magnatibus notissimus, nihil tale ambivit, ut totus sibi & Ecclesiæ viveret, scribendo ad pacem illius ac morum depravatorum correctionem. Circa annum 1415 Benedictus XIII, Clamengium qui olim anno 1407 in Curia Romana manserat, ad se revocare tentavit : atque ut voti compos fieret, ad eam rem adhibuit Nicolaum Bayam, quo viro Clamengius utebatur familiariter. Sed in Curiam redire noluit, eique Tugurium in quo tunc apud fontem latebat, præferendum esse censuit, cujus negotii Historiam ipse tradit in Epistola 104 ad Nicolaum Bayam. Vacans igitur sibi toto isto tempore, quo & Ecclesia miserrimo Schismate, & Gallia corruptissimis moribus afflictabantur, scripsit multa, quæ partim edita, partim manuscripta in Bibliothecis Gallicis extant usque hodie, de quibus nos modò.

Opera Nicolai Clamengii edita in 4° an. 1613 Lugduni Batavorum, ordine sequenti.

De corrupto Ecclesiæ Statu lib. 1.

Deploratio calamitatis Ecclesiasticæ per Schisma nefandissimum, cum exhortatione Pontificum ad ejus extirpationem, heroïcis versibus descripta.

De lapsu & reparatione Justitiæ ad Philippum Burgundiæ Ducem lib. 1.

Disputatio habita super materia Generalis Concilii cum quodam Parisiensi Scholastico.

Collatio duplex ad eumdem Scholasticum super eadem materia.

Apostoli & Responsio data per Nationem Gallicanam Cardinalibus, &c. *appellantibus ab ejus conclusione, voto, deliberatione ac declaratione Constantiæ captis, & factis solemniter per eandem, quod vacantia & minuta servitia nullo jure sint debita.* Liber inscriptus, *De Annatis non solvendis*, cui afficitur *Constitutio Concilii Basileensis super Annatis, & Senatusconsultum Parisiense*, aliaque nonnulla de eadem materia: quæ omnia Clamengium nihil attinent, ut ex corruptioris orationis stilo constat, inquit Launoïus. At hic liber *De Annatis non solvendis*, cum *disputatione habita super materia generalis Concilii cum quodam Scholastico Parisiensi, & duabus collationibus ad eundem Scholasticum super eadem materia*, desumpta sunt *ex fasciculo rerum fugiendarum & expetendarum* pag. 189 & sequentibus, ubi plurima ad Constantiense Concilium spectantia, mixta malis bona. Hic fasciculus impressus in Germania in fol. anno 1535, loco & nomine Typographi non expressis.

Item *Tractatus in parabolam de Filio Prodigo.*

De fructu Eremi lib. 1, qui vel unicus evincit quantùm Clamengius refugeret dignitates Ecclesiasticas, atque sæcularium rerum strepitus & turbas.

De fructu seu prosperitate rerum adversarum lib. 1.

De novis Festivitatibus non instituendis liber unus.

De Præsulibus Simoniacis lib. 1.

Variarum & doctissimarum Epistolarum lib. 1. Hæc in editione memorata. Ejusdem Nicolai Clamengii unus liber *De studio Theologiæ* editus est tom. 7 Spicilegii Domni Lucæ Dacherii, de quo jam suprà locuti sumus.

Jam de manuscriptis Operibus, de quibus agit diligentissimè Joannes Launoïus, assiduus istorum indagator, *in Historiâ Regii Navarræ Gymnasii*, parte 3 lib. 2 cap. 3 pag. 578. Extat insignis *Commentarius* Nicolai de Clamengis *in Isaiam Prophetam* usque ad caput sexagesimum, Ms. in Bibliotheca Collegii Navarrici. Item in dicta Bibliotheca, & apud Raymundum Formentinum Parisiensem Theologum, Aurelianensis Ecclesiæ Canonicum & Subdecanum, quem mirifica (inquit Launoïus) & sciendi & comparandi libros quoscunque cupiditas exercet, ejusdem Clamengii *Descriptio rei cujusdam mirabilis quæ in Galliis accidisse ferebatur.* Incipit: *Rem recenti (ut accipio) eventu gestam. Epistolæ novem sub nomine Universitatis editæ circa materiam Ecclesiasticæ Unitatis*, quæ prima sunt Clamengii Opuscula, quarum singularum initia recenset loco citato Launoïus. *Sermo de sanctis Innocentibus*, incipit: *Nota est Tyranni Herodis. Orationes decem devotæ* Nicolai Clamengii, *præambulæ ad Deum ante Canonicas Horas persolvendas*, quarum etiam initia refert idem Launoïus. Addit denique & Aureliæ apud Patronum Regium Givesium seniorem, virum & doctrinâ & probitate insignem, extare manuscriptum codicem Operum Nicolai de Clamengis, in

quo reperiuntur, *Descriptio Vitæ rusticæ cum laude & commendatione*; incipit: *Fronde super viridi locus est*, &c. quod Poëma LXIII Versuum est. *Descriptio & laus Urbis Januæ.* Incipit, *Janua quam perhibent:* quod Poëma XCVIII Versuum est. *Epistolæ duodecim ad diversos*, nempe ad Simonem de Bergeriis, Joannem Præpositum Insulensem Regium Secretarium, Gontherum Colli Regium Secretarium, quarum ibidem singularum initia refert Launoïus. *Exhortatio denique ad resistendum contra Mahometanos*, quæ incipit: *Cogunt me, ô Principes incliti & viri militares.* Addo denique extare in Bibliotheca Galliarum Regia manuscriptum codicem Epistolarum Nicolai Clamengii, ubi nullus dubito, quin sint aliæ atque aliæ ejusdem Epistolæ nondum impressæ: quod mihi retulit amicus noster Placidus Porcheron sancti Germani Parisiensis Bibliothecarius, qui jam ab anno 1684 cum aliis suis Fratribus instituit Catalogum Manuscriptorum Latinorum, hujus famosissimæ Bibliothecæ juxta ordinem alphabeticum, maximis curis, ad publicam utilitatem. Cæterùm magnæ vir eruditionis, & ut ea tulit ætas, eloquentiæ ac totius virtutis exemplar, vitam deposuit circa annum 1440, & sepultus est in Sacello Navarrici Collegii sub lampade, quæ coram magno Altari de tholo pendet. Hujus sepulchro ab hominibus illius perinde ac rerum ab eo gestarum scientissimis, insculptum est Elogium breve, quod multa complectitur

Qui Lampas fuit Ecclesiæ, sub lampade jacet.

Elogio tam illustri adjectum Epitaphium istud:

Belga fui, Catalaunus eram, Clamengius ortu:
Hîc humus ossa tenet, spiritus astra petit.

Hæc nos ex Launoïo per Compendium, quod utcumque prolixum est, vix tamen breviùs fieri potuit. Qui plura cupit, adeat fontem unde ista hausimus, multis Vitam Clamengii narrantem. Pauca Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2 pag. 146.

1430. RAYMUNDUS SEBUNDUS, Hispanus, vir magni & solidi ingenii, scripsit opus prænotatum *Theologia Naturalis*, quam alii tanquam Elogio exornantes nominarunt, *Thesaurum divinarum Considerationum*, editum Venetiis apud Franciscum Zilettum anno 1581, cùm Parisiis jampridem editus fuisset anno 1509 apud Joannem Parvum, & alibi. Prologus tamen in eandem Theologiam Naturalem, est prohibitus in Romano Indice Clementis VIII Summi Pontificis. Scripsit item Dialogum prænotatum *Viola animæ*: qua cum Dominico Seminiverbio, agit de Natura hominis ad seipsum, ad Deum, ad hominem proximum, & ad omne debitum solvendum, quo Deo obligatur & Proximo. Impressus *Dialogus de Natura hominis*, anno 1501 Coloniæ apud Henricum Quentelium, & anno 1568 Lugduni apud Theobaldum Zaganum. Dicitur etiam scripsisse *Quodlibeta & Quæstiones disputatas*, quæ non comparent. Vivebat anno 1430. Hæc Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2 pag. 316.

ANTONIUS RAUDENSIS seu RAUDINUS, humili loco Falmentæ in Insubria natus, cui propterea Opusculum misit Albertus Satrianus, à nobis inter ejus Opera recensitum, videlicet: *Quod*

nihil nocet ad virtutem humili loco nasci. Hic sacræ Theologiæ Magister, in omni studiorum genere insignis, Lactantii Firmiani assiduâ delectatus lectione, ut emendatior & purior prodiret, effecit. Alia etiam opera scripsit, quæ perierunt. Floruit circa annum 1420. Hæc Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum* fol. 37. Itaque Antonius Raudensis Italus, Ordinis Fratrum Minorum, circa annum 1430, aut 1440, *Opera Lactantii* emendavit ad Mss. codd. diligenti collatione factâ, & præfixâ locorum notatione, qui minùs quadrare veritati noscebantur. Impressa hoc modo postmodum prodiere Venetiis an. 1497 apud Bevilaquam, & Lugduni apud Gryphium, & Basileæ apud Cratandrum anno 1532, & Coloniæ anno 1544 apud Petrum Quentelium. Pauca *de Antonio Raudensi* habet Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 104.

JOANNES NIDER natione Germanus, patriâ Suevus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, insignis Theologus, claruit anno 1430 & sequentibus, tempore Concilii Constantiensis. Scripsit multa, quorum maxima pars impressa est, nempe *Præceptorium seu Tractatus de decem Præceptis*, impressus in 4° Parisiis anno 1515 per Jacobum Pouchin 13 Calendas Januarii, itemque in 4° Parisiis anno 1507 per Andræam Bocard sexto Idus Maii: denique anno 1612 Duaci in 8° apud Balthasarem Bellerum. *Myrmecia Bonorum*, seu *Formicarium ad exemplum sapientiæ de formicis*, impressum Duaci in 8° anno 1602 apud Balthasarem Bellerum sub Circino aureo, cum Notis Georgii Colvenerii: itemque in 4° Parisiis anno 1516 apud Joannem Engellerium de Marnefoi

ejusdem *De Maleficiis & Præstigiis* ex Formicario per Joannem Sprengherum *in Malleo Maleficorum* Joannis Sprengheri, Lugduni excuso anno 1620 pag. 469. *Consolatorium timoratæ conscientiæ*, editum in 18 Parisiis anno 1494 per Magistrum Petrum le Dru, cum libro *De modo bene vivendi* sub nomine Divi Bernardi ad Sororem: Itemque recusum Romæ anno 1604 in 8° apud Stephanum Paulinum. *De reformatione Religiosorum lib* 3, impressi in 8° Antuerpiæ anno 1611 apud Bellerum citatum. *De contractibus Mercatorum*, Opus editum Venetiis anno 1584 in compilatione Tractatuum Juris, ibidem in fol. multis tomis, tomo sexto paginâ 279 & seqq. & Lugduni cum aliis Operibus anno 1593 impressis, paginâ 615. Impressi etiam antiquo caractere olim ejus *Sermones totius anni de tempore & de Sanctis cum Quadragesimali* in 8°, ut habetur in Bibliotheca publica Oxoniensi, verbo *Nider*, &c. Vivebat anno 1436 & ultra; de quo Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 925, Altamura *in Bibliotheca Dominicana*, cum aliis.

ALBERTUS DE SARTIANO, Etruriæ oppido, (etsi Mediolanensem dixerit Vvillotus) vir insignis, in Græcis & Latinis, Divinis & humanis Litteris eruditus, Eugenio IV & Nicolao V Carus, totius Fratrum Minorum Ordinis aliquandiu Vicarius Generalis, in Concilio Florentino Græci Idiomatis interpres, ad quod etiam Jacobitas ex remotissima Ægypti regione adduxit, egregius Ecclesiastes, & dissolutæ disciplinæ reformator. Eo tempore Guarinum Veronensem habuit Magistrum, quo Latina Eloquentia in Italia cœpit suo nitori restitui. Nitidè & doctè multa scripsit

Opuscula, quæ penes se habuit Mss. in ipso ejus Autographo Vvadingus : ea porrò sunt *Tractatus de Pœnitentia*, scriptus anno 1433. Incipit, *A plerisque, & multis in locis.*

Tractatus de Eucharistiæ Sacramento, scriptus anno 1422. *Credo vos, Patres Carissimi.*

De conditione Amicitiæ & de malitia Invidentiæ Incipit, *Non secus illo pacto.*

Quòd nihil nocet ad virtutem humili loco nasci? Incipit, *Ne falsò forsitan arbitreris.*

De Insolentibus corripiendis, anno 1446 : *Cùm Apostolus Paulus.*

Contra Martyrum vituperatores ad Eugenium IV Pontificem Maximum ; *Cùm adversùs ampliſſimæ gloriæ.*

Sermo habitus in Comitiis generalibus Ordinis Patavii celebratis anno 1443. *Quamquam nos omnes.*

Epistolas pleraſque ad prædictum Eugenium Pontificem, ad varios Antistites, maximè verò ad Christophorum Episcopum Ariminensem, Eugenio ab intimis Consiliis. Multa ex hujus præclari viri Operibus sparsim exscripsit idem in tomo 4 suorum Annalium, quæ, si Deo placuisset, aliquando publici juris fecisset universa. Obiit autem Albertus Mediolani anno 1450 postquam strenuè adlaboravit viris sanctissimis Bernardino Senensi, Joanni Capistrano, & Jacobo Piceno, pro restituenda Ordinis Disciplina. Hæc Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 6.

FRANCISCUS DE PLATEA, Bononiensis, celeberrimus in Jure Canonico, vivebat anno 1442 & ultra. Scripsit *Summam* inscriptam, *Mysteriorum Christianæ Fidei*, in qua Tractatus comple- 1440.

ctitur varios secundùm Theologorum morem, nempe *De Restitutionibus*, *de Usuris*, *de Actu Matrimoniali*, *de Censuris Ecclesiasticis*. *De Excommunicatione* autem extat quoque inter dictos Tractatus, Tract. XIV fol. 357. Hæc omnia olim impressa fuerunt anno 1473 in 4° Patavii. Agunt de illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 590, Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 132, ubi ait habere apud se manuscriptos aliquos ex his Tractatibus impressis.

JOANNES FELTON Anglus, Vicarius Ecclesiæ Magdalenæ Oxonii extra muros, scripsit anno 1440 *Sermones pro Dominicis diebus anni*, quos habes manuscriptos Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 307, atque etiam Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 151, & Orialensi codice 33, ubi dicuntur collecti *ex Sermonibus Odonis*, *Parisiensis*, *& aliorum*, per Vicarium Magdalenæ Oxoniæ Joannem Felton, quorum initium, *Penuria*, &c.

LEONARDUS BRUNUS ARETINUS, vir græcè & latinè eruditus, apud Innocentium VII Magister Epistolarum, ita officio suo functus est, ut succedentibus tribus Summis Pontificibus, amplificatâ dignitate, eandem operam exinde præstiterit. Ad suos in Etruriam reversus, Reipublicæ Florentinæ Cancellarius extitit, & *Historiam de gestis Florentinorum* scripsit, & *Libros quatuor de bello Italico adversùs Gothos*, Parisiis anno 1534 excusos. Itemque scripsit *Dialogum de Moribus, & Epistolarum libros octo*, impressos Basileæ anno 1535. Nec omittam Leonardi beneficio *Morales Aristotelis Libros* ex Græco in Latinum optimâ fide

fide traductos. Obiit senex Florentiæ, divitiis & gloriâ plenus, anno Domini 1443, ætatis 74. Sepulchrum marmoreum in Æde sanctæ Crucis spectatur, cum inscriptione: *Postquam Leonardus è vita migravit, Historia luget, Eloquentia muta est: ferturque Musas cùm Græcas tum Latinas, lacrhymas tenere non potuisse.* FRANCISCUS ARETINUS alius à Leonardo, nomen à patria Aretio Etruriæ Urbe, mutuatus videtur. Vir fuit infinitæ lectionis, magnique judicii, Joanni Antonio Campano familiaris. Præter *Diogenis Cynici & Phalaridis Epistolas* latinè redditas, insuper vertit *Chrysostomi in Joannem Commentarios*, itemque viginti Homilias, & alia. Ejusdem liber *De Balneis Puteolanis*. Vixit & superiore sæculo apud Venetos PETRUS ARETINUS, homo Atheus & maledicentissimus, & qui calamum in omnes ferè sui temporis Principes stringere ausus fuerit, inde *Flagellum Principum* vulgò appellatus. In hunc Joachimus Perionius disertam scripsit Orationem. Hæc *De Aretinis* occasione Leonardi Aretini, mutuata verbo tenus ab Auberto Miræo, in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 465 fol. 268.

JOANNES STABULENSIS, eo quòd ortus in Diœcesi Leodiensi apud oppidum de Stavelo, ad sanctum Laurentium Leodii Monachus, scripsit *gesta Episcoporum Leodiensium usque ad annum* 1449, quo & obiit. Joannem Stabulensem, seu Stabularium excepit *Joannes Lossensis* ejusdem loci Monachus, quæ manuscripta extant in Abbatia sancti Laurentii Leodiensis, Ordinis Divi Benedicti. De Stabulensi Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 501. paginâ 276, Joannes Chapeaville tomo tertio

Rerum Leodienſium, ubi ſæpiſſimè citat Joannem Stabulenſem.

LEONARDUS DE UTINO, Ordinis Fratrum Prædicatorum, dudum Bononiæ in Italia Studii Dominicani Regens ſeu Profeſſor fuit, clarus in Philoſophicis ac Theologicis materiis. Complura commentatus eſt *in Logicam & Phyſicam Ariſtotelis*, atque alia, quæ in ejus Conventu Bononienſi aſſervari ſcripſit Antonius Luſitanus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Dominicani*. Scripſit ſat grande volumen *De Legibus*, quod anno 1473 Venetiis excuſum eſt. Item *Tractatum ad locos communes Concionatorum*, qui Ulmæ in Suevia anno 1478 prodiit ex Typographia Joannis Zeiner. Denique *Sermones floridi de Dominicis & quibuſdam Feſtis, Fratris Leonardi de Utino, ſacræ Theologiæ Doctoris, Ordinis Prædicatorum, quos prædicavit Florentiæ anno* 1435, impreſſi in 4° duobus tomis anno 1516 Lugduni apud Jodocum Badium Aſcenſium. Horum ad calcem hæc leguntur. Habes itaque, Lector optime, Sermones floridos quos compoſuit ac prædicavit Reverendus Magiſter Leonardus de Utino, ſacræ Theologiæ Doctor excellentiſſimus, ac ſacri Ordinis Prædicatorum Profeſſor obſervantiſſimus: quorum plurimos prædicavit Florentiæ coram tota Curia Romana ibidem tunc temporis reſidente, tempore ſanctiſſimi Domini Eugenii Papæ IV, nonnullos autem Venetiis, ut ipſe alibi profitetur. Neque verò uno, ſed diverſis annis eos declamavit, ſed ne quis gravetur in inquirendis de uno tempore in diverſis locis Sermonibus; quicumque circa idem tempus ſunt, contigui impreſſi ſunt. Iidem antea Lugduni fuerunt impreſſi.

anno 1495 apud Joannem Treschel. Florebat anno 1445. Hunc hominem in duos partitus est Antonius Possevinus, pro more suo, *in Apparatu sacro* tom. 2, quem pagina 20 appellat *Leonardum Bellunensem*, & pag. 21 *Leonardum Uticensem*. Plura habes apud Antonium Lusitanum & Ambrosium de Altamura, utrumque *in Bibliotheca Scriptorum Dominicana*, quos consulas.

ÆGIDIUS CARLERIUS Cameraco oriundus, in Regio Navarræ Collegio, cujus illustris socius fuit, ad famam docendo pervenit. Hic magna cum laude Sententias Magistri legit, illustravit Commentariis, quibus anno Christi 1414 finem imposuit quinto Calendas Julii. His autem Joannes Brehaldus Parisiensis Theologus æqualis, præclarum dedit judicii sui testimonium in libro, quem *De libera Confessiones audiendi auctoritate composuit. Porrò*, inquit cap. 4, *Ægidius Carlerii in Lectura super Sententias, quæ nunc satis vulgata est, & commendata Parisiis, in loco frequentissimè allegato dicit.* Exinde Magisterium adeptus, varias de rebus piis ad populum Conciones habuit, donec tandem anno 1431 quinto Idus Octobris creatus sit Cameracensis Ecclesiæ Decanus. Ad eum extant plures Gerardi Macheti Castrensis Episcopi Litteræ, in quibus nunc *vir multis laudibus efferendus, & sanctissimorum dogmatum Professor*; nunc *abundantis sapientiæ & exemplaris virtutis vir, sacræ Theologiæ Professor*; nunc *profundæ sapientiæ & canonicæ virtutis vir, sacratissimorum Eloquiorum Professor clarissimus* vocatur. Joannes Cochleus in libro 6 de Historia Hussitarum, Carlerium *insignem Theologum* appellat. Carlerius in munere Decani strenuè & laudabi-

liter se gessit, & multa pro Ecclesiæ utilitatibus gessit. Hinc in Concilio Basileensi cùm esset, susceptâ Legatione Pragam perrexit, ut Hussi Discipulos ad Communionem Ecclesiæ revocaret, aut certè in Consilium adduceret. Inde in eodem Concilio ad secundum illorum Articulum per totos quatuor dies respondit. Sed vir Ecclesiasticæ pacis amantissimus paratam in Concilio secessionem cùm vidit, redeundum esse sibi suam in Ecclesiam putavit, ubi & multa scripsit adversùs hæreticos, & propositas identidem cùm ab Episcopis, tùm ab aliis illustribus viris, quæstiones fœliciter diluit ac solvit. Jam centesimus quadragesimus & ultra annus est, postquam Jacobus Almainus Parisiensis Theologus, laudavit Carlerii Tractatum, quem contra Bohemos ediderat: de quo sic libro de potestate Ecclesiastica cap. 8 propositione 3: *Tenet*, inquit, *Carlerius quondam Collegii Navarræ Socius meritissimus in quodam Tractatu, quem contra Bohemos edidit, quòd Ecclesiasticæ Personæ sunt ex jure divino exemptæ.* Quoad Scripta, Valerius Andræas *in Bibliotheca Belgica* scribit, Bruxellis vidisse se volumina duo, quibus Ægidii Carlerii Consultationes comprehenderentur, eaque edita esse anno 1478 in folio. Sed in duobus istis voluminibus pauciora sunt Opuscula, quàm in eo uno quod legitur, & in Bibliotheca Navarrici Gymnasii habetur. In iis tamen quædam notantur, quæ in Navarrico codice non comparent. Intereà præstat describere, quæ Valerius ea de re tradit: *Scripsit*, inquit, *diversas Casuum, ut vocant, consultationes, duobus voluminibus comprehensas; priori titulum dedit Sportæ fragmentorum; posteriùs Sportulam fragmentorum inscri-*

pſit. Vidi Opus utrumque Bruxellis editum anno 1478 *in folio. Atque in Sporta quidem hæc continentur de multis..*

De conſervatione Bonorum Eccleſiæ.

Defenſorium Eccleſiæ.

De perpetua Virginitate Beatæ Mariæ.

Contra Iconomachos.

Pro Cælibatu, præſertim Eccleſiaſticorum.

In Sportulam verò retulit Tractatus ſequentes:

De Electione Judæ proditoris.

De Hierarchia Eccleſiaſtica.

De Reditibus ad vitam.

De Decimis.

De Imaginibus.

De Integritate Confeſſionis.

De non Eſu carnium apud Carthuſianos.

Contra conſummati ſæculi Calculatores.

De Clauſura Religioſarum Ordinis ſancti Dominici.

Inter ea etiam multa quæ lucubravit, & pauca quæ publici juris facta ſunt, extat *Oratio de punitione peccatorum publicorum*, quæ habetur cùm in Baſilcenſi Concilio ſeſſ. xv, tùm in tom. 3 Antiquarum Lectionum Henrici Caniſii.

Quantùm autem ad Opera manuſcripta Ægidii Carlerii: *Vide*, inquit Valerius Andræas in Bibliotheca Belgica, *ab eodem Carlerio ſcriptum Veritatis ſcutum, Lovanii in Valle Martiniana, Canonicorum Regularium Cœnobiò.* Agit non quidem de hoc opere Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro* tom. 2 pag. 11, verbo *Ægidius Carlerius*, ſed Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* capite 464 folio 268.

Ejuſdem *Commentarii in quatuor libros Senten-*

tiarum, Mss. duobus voluminibus in Bibliotheca Collegii Navarrici.

Sermones & Collationes Mss. in fol. in eadem Bibliotheca, quæ recenſentur ſingillatim à Joanne Launoïo *in Hiſtoria Regii Navarræ Gymnaſii* parte 3 lib. 2 cap. 4 pag. 584, ob prolixitatem à nobis omiſſæ. At in eadem Regii Navaræ Collegii Bibliotheca, aliud Ms. volumen papyraceum, in quo ſequentia Opuſcula Carlerii continentur. Cùm autem aliqua illorum jam impreſſa ſint in folio Buxellis anno 1478, *in Sporta ac Sportella fragmentorum*, Syllabus ſequens non impreſſa caractere Italico, impreſſa jam altero ad majorem diſtinctionem repræſentabit.

In Manuſcripto Codice papyraceo Bibliotheca Collegii Navarrici leguntur ſequentia Opuſcula Ægidii Garlerii.

De Conſervatione Bonorum Eccleſiæ Dei, ex occaſione quorumdam illa detinentium.

Defenſorium Eccleſiæ pro eadem cauſa.

Tractatus de Communione non conſecrantium ſub unica ſpecie, ſcilicet panis, ad inſtantiam Magiſtrorum Jacobi de Hatten, & Theobaldi de Campis, Regentium in Facultate Artium Pariſienſi.

Tractatus contra certas propoſitiones & additiones malè ſonantes, in materia auctoritatis Eccleſiæ, Juriſdictionis & Clavium, ad inſtantiam Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Biſuntinenſis.

Tractatus de Reditibus ad vitam, ad inſtantiam Prioris Carthuſiæ de Capella de Augia, ſuper Emptione ad vitam.

Tractatus ſuper diverſis Erroribus in materiis

de sanctitate Beatæ Virginis.

De Visione Christi in Eucharistia.

De Indulgentiis ad instantiam Vicariorum Cameracensis Episcopi.

Tractatus ad Requestam Reverendi in Christo Patris Domini Cameracensis Episcopi, contra quendam adversùs Prælatos, Rectores & Sacerdotes, Dei blasphemias in Fide malè sonantes, in quadam Appellatione proferentem.

Tractatus contra Iconomachos, ad instantiam aliquorum Fidelium, contra quendam Invocatorem, super Imagines ab eo consecratas in Civitate Tornacensi, hoc quoque postulante ejusdem Civitatis Officiali.

Articuli per quendam delirantem asserti contra Sacramentum Eucharistiæ, & alia multa. Horum Articulorum censura & reprobatio.

Tractatus contra fictores adventus malorum spirituum, ad instantiam Dominorum Decani Capituli Laudunensis Ecclesiæ.

Resolutio Quæstionis, Utrum fœmina rem cum homine sibi per sortilegia procurans, sit suspecta in fide, an in sortilegio, ad instantiam aliquorum Fidelium, præsertim Dominorum Vicariorum Domini Cameracensis Episcopi.

Tractatus contra quendam, qui per figmenta prohibita speravit reperire thesauros absconditos, ad instantiam eorumdem.

Interrogationes faciendæ Dæmonibus, aut Spiritibus humanis apparentibus.

Articuli impositi cuidam Fratri Minori per Dominos Vicarios Tornacenses, quos prædicasse Gandavi fertur anno MCCCCXLVIII, *& confutatio eorum.*

Tractatus contra quendam Fratrem de Ordine Minorum, qui cùm prædicare deberet Gandavi, omissâ formâ prædicandi dixit, quòd sic se res habebat, quòd veritas dici non poterat: & hoc probavit per fabulas de Leone, de Lupo & de Vulpe, & de tribus citatis, & in his dictis finem imposuit, ad instantiam Dominorum Vicariorum Tornacensis Episcopi.

Tractatus contrà Detractatores Sancti Manna in Ecclesia Atrebatensi existentis, ad instantiam Decani & Capituli Atrebatensis.

Tractatus pro Minutis Decimis, ad instantiam Decani & Capituli Antuerpiensis.

Epistola super non Esu carnium à Carthusiensibus, directa Domino Joanni Kimmer, Novitio in eodem Ordine apud Herynnes prope Augiam.

Tractatus pro Cœlibatu, præsertim Ecclesiasticorum.

Tractatus pro clausula certæ Religionis Canonicorum Regularium.

Tractatus de pluralitate Baptismorum, ad instantiam aliquorum Civium Cameracensium.

Tractatus pro Matrimonio inter virum solutum & quandam viduam, quam tamen memoratus solutus, vivente viro illius, licèt agente in remotis, per adulterium polluerat.

Tractatus pro justificatione Captionis duarum sororum Hospitalis sanctæ Genovefæ Laudunensis, ad instantiam Decani & Pincernæ Laudunensis Ecclesiæ.

Decisio quæstionis, Utrum Diaconus audiens in Confessione Presbyterum, qui tenebatur illo die celebrare nec habebat copiam Sacerdotis, & faciebat

sibi conscientiam de peccato mortali, sit hæreticus, & pro tali censendus.

Responsio ad certas quæstiones factas per Dominum Abbatem Aquiscinctensem.

Consultatio super certo contractu Emptionis reditus vitalis à quodam Monasterio.

Consultatio in quadam causa beneficiali. Hæc in dicto codice Bibliothecæ Collegii Parisiensis Navarricì.

Cæterùm Ægidius Carlerius vixit ad extremam senectutem, non solùm Ecclesiæ Cameracensis, sed etiam Parisiensium Theologorum Decanus, & tandem obiit anno Domini 1472 die vigesimâ-tertiâ Novembris, pluribus in Ecclesia sua relictis viri pii monumentis.

Agunt de illo & Scriptis ejus Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 11, & Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 464 pag. 268. Ampliùs Valerius Andræas in sua Bibliotheca manuscripta Belgica, & sæculum VII Universitatis Parisiensis editum in folio Parisiis anno 1670 apud Petrum de Breche in Syllabo Doctorum Parisiensium: sed pleniſſimè à quo hoc Compendium accepimus, Joannes Launoïus in Historia Regii Navarræ Gymnasii parte 3 lib. 2 cap. 4 pag. 580 & sequentibus, quam habes impressam in 4° Parisiis anno 1677 apud Viduam Edmundi Martini viâ Jacobæâ sub Sole aureo.

THOMAS VVALSINGHAM patriâ Nordouolgus, sed ad Albani-fanum Ord. Benedictinorum Monachus, ac Præcentor ejusdem Cœnobii, homo in Historiis colligendis studiosus atque diligens erat. *Duas Historias*, unam brevem, alte-

tam quidem longiorem posteritati tradidit. Primam inchoavit ab anno Christi 1273, & in annum illius 1422 finivit, quæ continet centum quinquaginta annos, uno excepto. Alteram incœpit ab irruptione Normannorum (quæ vocatur ab Auctore *Hypodigma Neustriæ*) usque ad annum sextum Regni Henrici V Anglorum Regis, cui Opus illud dedicavit, habetque rarissimas Historias, & à nullo alio scriptas. Claruit anno 1440 sub Henrico VI. in Collectione inscripta, *Anglica, Normannica, Hybernica, Cambrica à Veteribus scripta*, quæ prodiit in folio Francofurti anno 1603 impensis Claudii Marnii & Hæredum Joannis Aubrii, post *Asserum Menevensem de Rebus Elfredi Regis*, fol. 2 & seqq, habetur hæc *duplex Historia Thomæ Vvalsingham* pag. 43 & 408 ad 592: tum in Collectaneo eodem sequitur *Vita & mors Eduvardi II Angliæ Regis*, conscripta à Thoma de la Moor Equite Aurato, & ejusdem Regis famulo, pag. 593. tum *Guillelmus Gemmeticensis de Ducum Normannorum gestis* pag. 604: denique Silvestri Giraldi Cambrensis *Topographia Hyberniæ* seu *De mirabilibus Hyberniæ* pag. 692, Hybernia expugnata libris duobus pag. 755, *Itinerarium Cambriæ* pag. 816, *Descriptio Cambriæ* pag. 879. Redeamus ad Thomam Vvalsingamum, de quo mentionem faciunt Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2 pag. 473, ubi ait eum etiam scripsisse alium librum prænotatum *Auctarium Polychronici*, & alium qui complectitur *Acta Regis Henrici sexti*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, capite 515 paginâ 272.

MAPHÆUS VEGIUS Laudensis, Italus, Martini 1458.
quinti Summi Pontificis Datarius, quem Sixtus Senensis ait in ultima sua senectute, Versu Elegiaco in *septem Psalmos Davidis*, quos Pœnitentiales vocant, scripsisse elegantem & verè cigneam Paraphrasim. Hic floruit an. 1430, & pleraque alia edidit, nimirum *Libros septem de perseverantia Religionis*, *libros sex de educatione puerorum & claris eorum moribus*, *Dialogum prænotatum Philaletes*, hoc est, *de amore veritatis*: qui Basileæ fuerunt impressi apud Roberum Vvinter anno 1541. unà cum L. Vitruvii Roscii, & aliorum ejusdem argumenti opusculis. Scripsit etiam *Vitam sancti Antonii Anachoretæ*, *libris quatuor Antoniados*, versu scriptis; qui anno 1550 Antuerpiæ prodierunt. Extat item ejusdem *Liber de significatione verborum in Jure Civili*, excusus Vicentiæ anno 1477: præterquam quòd *Æneidi Virgilianæ* librum tertium decimum addidit, quo ingenii sui specimen præbuit. Factus autem postmodum Primariæ Ædis in Urbe Canonicus, ossa sanctæ Monicæ ex Ostiis Tiberinis Romam transferenda curavit, & Romæ anno 1458, primo Pii II Pontificis obiit, conditus ibidem apud Eremitas Augustinianos in sacello sanctæ Monicæ, cujus & *Officium Ecclesiasticum* composuit. Agunt de Maphæo Vegio Sixtus Senensis *in Bibliotheca sancta* lib. 4, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2 pag. 43, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 473 pag. 270 cum aliis.

ALFONSUS A SPINA Hispanus, ex Judæo Christianus, doctus Minorita, qui diu Salmanticæ rexit Minorum Academiam, demùm assum-

ptus ad Episcopatum Orinopolitanum, scripsit anno 1458 *Sermones de excellentia Nominis Jesu*, librum doctum, quem inscripsit *Fortalitium Fidei*, suo nomine suppresso. Joannes Mariana lib. 22 de rebus Hispanicis cap. 46, *Opus* vocat *eruditum, splendido titulo, voce barbarâ, & divinarum rerum cognitione præstans.* In eo (inquit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1 pag. 573, verbo *Fortalitium Fidei*, cui Auctoris nomen erat ignotum) agitur de armandis Fidelibus, ac de sex armorum spiritualium generibus, quin & quibus armis muniendi sint veri Concionatores: ubi plura de bello contra Hæreticos, Saracenos, Judæos, & eorum ac Dæmonum armis adversum nos. Impressus est Lugduni anno 1511, studio Guillelmi Totani Ordinis Prædicatorum in sacra Pagina Professoris. Quisquis Auctor hujus *Fortalitii Fidei*, asserit libro 2 hæresi quintâ, se scripsisse librum illum Vallisoleti in Hispania anno 1458: quem alii Guillelmo Totano, qui fuit duntaxat emaculator, alii Thomæ Patriarchæ Barbarensi tribuunt. Alphonsum Spinam sibi illud per summam impudentiam vindicasse affirmantes, qua de re nihil definio. Vide *Bibliothecam Ordinis Minorum* Lucæ Vvadingi pag. 14, ubi de isto Alfonso, & Labbeum *in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1458.

NICOLAUS ORBELLUS, sive DE ORBELLIS, Gallus Andegavensis, Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Turonensis, claruit tempore Calixti III Romani Pontificis circa annum 1456, vir in sacris Litteris eruditissimus, & in Philosophia scholastica nulli secundus, qui in Gymnasio Pictavensi, tum in disputando, tum docendo &

ſcribendo magnam eruditionis ſuæ laudem aſſecutus eſt. Multa ſcripſit:

Nempe, *De ſcientia Mathematica librum unum*, impreſſum Bononiæ anno 1483.

In libros Phyſicorum Ariſtotelis lib. 8. *De Cœlo & Mundo* lib. 2. *In lib. de Generatione & Corruptione* lib. 2. *In libros Meteororum* lib. 3. *In libros Metaphyſices* lib. 12. *In libros Ethicorum* lib. 10. Ejus liber de ſcientia Mathematica, & Commentaria in Ethica Ariſtotelis, cum aliis intermediis libris excuſi ſunt Baſileæ anno 1503. *Commentarius ejuſdem in libros de Anima*, editus ibidem anno 1542 apud Gregorium de Gregoriis. Item ſcripſit *Commentarios in quatuor libros Sententiarum*, qui prodierunt Pariſiis anno 1511 apud Joannem Parvum. Denique *Super Formula Petri Hiſpani libros ſeptem*, impreſſos in 4° Venetiis anno 1516 apud Lazarum de Soardis. Hæc nos ex Luca Vvadingo *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum* fol. 268. De quo etiam Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro* tom. 2 pag. 153, Boſius *De Signis Eccleſiæ* lib. 6 cap. 4 poſt alios.

JOANNES BUSCHIUS, quem Trithemius Arnoldum appellat, Canonicus Regularis in Cœnobio Vvindeſemenſi, prope Svollam Tranſiſalanæ Provinciæ oppidum, floruit anno 1460 vel circiter. Scripſit Opuſculum *De origine & progreſſu Cœnobii & Capituli ſeu Congregationis Vvindeſemenſis*. Illud Opus Buſchii inſcriptum, *De Viris illuſtribus Cœnobii Vvindeſemenſis*, ubi deſcribuntur Vitæ eorum, quos ipſe pleroſque aut novit aut vidit, manuſcriptum habetur Lovanii ad ſanctum Martinum. At hoc ipſum Opus eſt editum

Antuerpiæ anno 1622 in 8° apud Belleros, curâ & studio Heriberti Rosvveidi Ultrajectini, Theologi doctissimi Soc. Jesu. Hujus Scriptoris mentionem facit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 1 pag. 119, verbo *Arnoldus de Busco*, *Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini*: quibus in paucis verbis mendum est duplex. 1° Dum appellat *Arnoldum* qui Joannes fuit. 2° Dum adscribit *Ordini Fratrum Eremitarum sancti Augustini*, qui fuit ex Canonicis Regularibus Vvindesemensibus, sub Regula D. Augustini militantibus. Rectiùs de eo locutus Auberus Miræus in Auctario de *Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 487 paginâ mihi 273 Bibliothecæ suæ Ecclesiasticæ, Philippus Alegambus Bruxellensis, uterque ejusdem ditionis atque Idiomatis cum Joanne Buschio. Hic autem postremus in Bibliotheca Societatis Jesu, verbo *Heribertus Rosvveidus* pag. 179 editionis anni 1643.

1460. CATHARINA Bononiensis, quæ obiit annò 1463 die 9 Martii, de qua diximus ad annum 1340, *in Catharina Senensi*.

ENGUERRANUS DB MONSTRELET, nobilis, è Cameracesio oriundus, continuavit anno circiter 1460 Historiam rerum notabilium inter Anglos præsertim & Gallos & Belgas, ab anno quo Joannes Froissartus desiit 1400 ad annum 1467, distinctum tribus voluminibus, quam habes impressam Parisiis in folio caractere insigni, anno 1572 apud Guillelmum Chaudiere, viâ Jacobæâ sub signo Hominis silvestris. De illo Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 452 pag. 265 Bibliothecæ Ecclesiasticæ.

JOANNES GOBELINUS Secretarius fuit Pii II Romani Pontificis, qui post mortem Calixti III

anno 1458 die 19 Augusti factus Pontifex Summus, tenuit Romanam Sedem usque ad annum 1464, quo cessit humanis die 15 Augusti, post annos quinque, menses undecim, dies viginti-septem Regiminis. Cùm igitur esset Joannes Gobelinus Papæ Domesticus, atque ab Epistolis & Secretis, scripsit oculatus plurimorum testis *Commentarios de rebus gestis Pii II Summi Pontificis*; seu *Rerum memorabilium ipsius tempore gestarum Historiam*, quæ prodiit curis Francisci Picolominæi Senensis Archiepiscopi, ex vetusto exemplari recognita Romæ anno 1584 in 4° & 1589, & Francofurti in Germania in fol. anno 1614 in officina Aubriana. In hoc etiam opere extat Pii II (cùm Cardinalis esset) Apologia seu Responsio ad Martinum Mayer pro defensione Romanæ Ecclesiæ ibi pag. 662; itemque cum *Commentariis* luculentissimis *Jacobi Picolominæi Cardinalis Papiensis*, qui Pio Pontifici coævus & familiaris fuit, *Rerum gestarum sui temporis*. Agunt de Joanne Gobelino Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 474 pag. 270, Labbæus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis* tom. 2 pag. 228 *in Pio II Pontifice Romano*, & alii.

EPILOGUS.

Hæc pauca de multis sufficiant, scimus enim multò plures à nobis intactos omitti quàm enuntiari, Mss. Auctores potissimùm. Hic autem annum 1460 attingentes, finem Opusculo imponimus, quoniam hoc anno, vel præcedenti 1459, cùm Ars Impressoria Moguntiæ à Joanne Fausto executioni mandata sit, per editionem Operum duorum, videlicet *Rationalis Divinorum Officio-*

rum Guillelmi Duranti Mimatenſis Epiſcopi, & *Dictionarii*, quod *Catholicon* dictum eſt: impoſterum quidquid fermè à Doctioribus lucubratum eſt in quacumque materia Scriptoribus, vel ipſis per vitam ſollicitantibus, vel poſt illorum mortem aliis accurantibus, editum variis in locis, facillimè inveniri poteſt in Bibliotheca Conradi Geſneri, aut in Apparatu Antonii Poſſevini, vel denique in aliis multis impreſſis apud quaſque Nationes Scriptorum Nomenclatoribus.

CORRIGENDA.

Ad annnum 610 pag. 156 lin. 28, poſt *continentur*. Ignotus quidam voluit reſarcire jacturam quam fecimus ſecundi libri Pateriani, quem vidi deeſſe in Mss. omnibus. Hic nomine Bruno ad inſtantiam Vverneri cujuſdam, conſcripſit librum ſecundum ſub nomine Paterii, qui tamen Paterii non eſt, & invenitur in Bibliotheca Cœleſtinorum Pariſienſium; cujus titulo deceptus ſum.

In ADHELELMO pag. 290 lineâ 13, poſt verba, *non certis indiciis*: cæteris deletis adde, quas tamen plurimùm valere comperimus. Cùm enim Hildebrandus eſſet Epiſcopus Sagienſis anno 834 ſæculi noni, imò & annis 853 & 877, ex allegatis ſuprà Conciliis, non potuit Adhelelmus adiiſſe Epiſcopatum Sagienſem ante annum 878, vel 880, & conſequenter poſſidere illum potuit uſque ad annum 910, quo eum adducunt Mabillonianæ conjecturæ, quibus adhærere me fateor.

Ad annum 1270 pag. 550 lin. 17, poſt *ordinario auſu*, non prætermiſit, ſed parcè egit de illo, capite 413 pag. 266 ad annum 1320, loco non ſuo, quem etiam omiſerat in Syllabo, unde decipiendi me orta occaſio.

FINIS.

INDEX CHRONOLOGICUS

SEU

AUCTORUM

juxta rationem Temporum,

Ab Incarnatione Domini N. Jesu Christi.

Anno Christi 41 BArnabas Apostolus. pag. 1
100 BMartialis Lemovicum Episcopus. 2
Clemens Romanus Papa. 2
Dionysius Areopagita, Athenienſis Epiſcopus. 4
Ignatius Antiochenus Epiſcopus. 7
120 Philo cum Agathopode & aliis. 12
168 Athenagoras Philoſophus. 12
210 Tertullianus Africanus, Montaniſta. 13
220 Ammonius Alexandrinus Philoſophus. 15
230 Origenes Presbyter Alexandrinus. 16
250 Novatianus Antipapa Romanus. 17
Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus. 17
260 Aurelius Diaconus Carthaginenſis. 20
Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus. 21
Methodius Olympi Lyciæ Epiſcopus. 22
320 Lucius Cælius Lactantius Firmianus. 25
Commodianus Philoſophus. 27
Theodorus Heracleæ Thraciorum Epiſcopus. 27
350 Euſebius Emiſſenus Epiſcopus. 28
360 Antonius Abbas, Monachorum Parens. 28
Macarius Ægyptius Abbas. 29
Euſebius Vercellenſis Epiſcopus. 29

370 Athanasius Alexandriæ Episcopus. 30
369 Cæsarius frater S. Gregorii Nazianzeni. 39
379 Basilius Archiepiscopus Cæsareæ Cappadocum. 41
393 Quintus Julius Hilarion Chronologus. 46
393 Evagrius Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus. 47
395 Evagrius Ponticus Monachus. 47
395 Gregorius Nyssenus Episcopus. 49
395 Marcus Eremita, qui & Exercitator. 56
395 Ticonius Afer, Donatista. 57
396 Philo Carpathi Insulæ Episcopus. 58
400 Asterius Amaseæ Episcopus. 58
403 Marcus Gazæ in Palestina Diaconus. 61
410 Paulinus S. Ambrosii Diaconus. 61
420 Marcellus Memorialis. 62
Severus Sulpitius Pirmularienſis Presbyter. 62
Pelagius Scotus Hæresiarcha. 63
Palladius Helenopoleos Episcopus. 65
Polychronius Apameæ Episcopus. 67
Severus minoris Iusulæ Balearis Episcopus. 67
Philostorgius Arrianus. 68
Evodius Uzalensis Episcopus. 68
Leporius Presbyter Africanus. 69
430 Isaac Monachus. 71
Ursinus Monachus. 71
Vigilius Diaconus. 72
Paulinus Nolanus Episcopus. 72
Vranius Paulini Nolani Discipulus. 75
Capreolus Carthaginensis Episcopus. 76
Marius Mercator. 76
Philippus Presbyter. 78
440 Theodotus Ancyranus Episcopus. 78
Bachiarius Hybernus. 80
Fastidius Britannorum Episcopus. 81

Proba Falconia. 82
Eudoxia Theodosii Junioris uxor. 83
Eustathius Africanus. 85
450 Nilus Monachus & Abbas ex Præfecto Urbis Constantinopolis. 86
Petrus Chrysologus Ravennæ Episcopus. 89
Honoratus Antoninus, Constantinæ in Africa Episcopus. 90
460 Diadocus Photices in veteri Epiro Episcopus. 91
Sanctus Leo Magnus Romanus Papa. 92
Victorius Aquitanus Presbyter. 98
Victor Cartennæ in Africa Episcopus. 99
Arnobius Junior, Gallus, Presbyter. 100
470 Paulinus Petricordius seu Petracoricensis. 101
Antonius Simeonis Stylitæ Discipulus. 102
480 Constantius Presbyter Lugdunensis. 102
490 Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus. 103
Eugenius Carthaginensis Episcopus. 103
Victor Vitensis in Africa Episcopus. 104
Honoratus Massilienſis Episcopus. 105
500 Adrianus Auctor Græcus. 106
Laurentius Novariensis Episcopus. 106
Paschasius Diaconus Romanus. 107
530 Cogitosus Scotus Monachus & Abbas. 108
Nonnus Panopolita. 108
Montanus Episcopus Toletanus. 110
Remigius Remorum Archiepiscopus. 110
Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus. 114
540 Dionysius cognomento Exiguus. 115
Benedictus Monachorum Parens. 117
550 Facundus Hermianensis Episcopus. 118
Primasius Adrumeti in Africa Episcopus. 119

Aurelianus Arelatenſis Epiſcopus. 120
Cyprianus, Meſſianus & Stephanus, ſancti Cæſarii Diſcipuli. 121
560 Joannes cognomento Scholaſticus. 122
Vigilius Tapſenſis in Africa Epiſcopus. 122
Iſaac Junior, Monachus Syrus. 125
Pelagius Papa Romanus. 126
Joannes III Papa, Pelagii ſucceſſor. 127
Dacius Mediolanenſis Epiſcopus. 127
Zacharias Mytilenenſis Archiepiſcopus. 127
Cyrillus Monachus S. Sabæ Diſcipulus. 129
570 Procopius Hiſtoricus, Cæſareenſis. 130
Agathias Scholaſticus Smirnæus. 131
Agnellus Ravennatenſis Epiſcopus. 132
Caſſiodorus Monachus & Abbas Vivarienſis. 132
Nicetius Treverenſis Epiſcopus. 132
580 Paſchaſius S. Martini Bracarenſis Epiſcopi Diaconus. 136
Joannes Climacus Abbas Montis Sina. 136
Marius Lauſannenſis Epiſcopus. 138
Evantius Viennenſis Epiſcopus. 138
590 Leontius Byzantinus, Monachus. 139
Euſtathius Presbyter. 141
Ferreolus Epiſcopus Ucetienſis. 141
Dynamius Patricius. 142
Anaſtaſius Sinaïta Epiſcopus Antiochenus. 143
Anaſtaſius alter Antiochenus Epiſcopus. 144
Eutropius Valentinus Epiſcopus. 153
600 Orientius Illiberitanus Epeſcopus. 153
Marcus Poëta Monachus. 153
Fauſtus S. Benedicti Diſcipulus. 154
Leander Hiſpalenſis Epiſcopus. 155
610 Paterius S. Gregorii I Diſcipulus. 156

Paulus Emeritenſis Diaconus. 157
Theophylactus Simocatta. 157
Columbanus Abbas Luxovienſis. 158
Joannes Grammaticus, Philoponus 159
620 Leontius Neapoleos in Cypro Epiſcopus. 162
630 Georgius Patriarcha Alexandrinus. 164
640 Donatus Biſuntinenſis Archiepiſcopus. 166
Paulus Neapolitanæ Eccleſiæ Diaconus. 167
Cumianus Hyberniæ Epiſcopus. 168
Joannes IV Papa Romanus. 169
Braulio Cæſar-Auguſtanus Epiſcopus. 169
Eligius Noviomenſis Epiſcopus. 170
650 Thalaſſius Monachus Græcus. 173
Euſtratius Presbyter Conſtantinopolitanus. 173
S. Martinus I Papa Romanus. 175
Eugenius Junior Toletanus Archiepiſcopus. 176
Taïo Cæſar-Auguſtanus Epiſcopus. 177
Fructuoſus Bracarenſis Archiepiſcopus. 178
660 Dorotheus Archimandrita. 178
Marculfus Gallus Monachus. 179
S. Maximus Monachus & Martyr. 180
Anaſtaſius Monachus Sancti Maximi Diſcipulus. 181
Anaſtaſius S. Romanæ Eccleſiæ Apocriſiarius. 182
Hildefonſus Archiepiſcopus Toletanus. 182
Theodoſius & Theodorus fratres. 183
670 Audoënus Rothomagenſis Archiepiſcopus. 184
680 Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus. 184
690 Ceolfridus Abbas Anglus. 185
Baudemundus S. Amandi in Belgio Abbas. 185
Urſinus Gallus Monachus. 186

Creſconius Epiſcopus Africanus. 187
700 Aigradus Fontanellenſis Monachus. 188
710 Adamnanus Monachus Scotohybernus. 189
Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus. 189
720 Andreas Cretenſis Archiepiſcopus. 190
Jonas Fontanellenſis Monachus. 192
730 Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 193
740 Fœlix Monachus, Anglus. 194
Heddius Stephanus, Anglus. 194
750 Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus. 195
Anaſtaſius Monaſterii S. Euthymii Abbas. 196
Iſidorus Pacenſis Epiſcopus. 197
Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus. 198
760 Vvillibaldus Eiſtetenſis Epiſcopus. 199
Chrodegandus Metenſis Epiſcopus. 200
770 Godeſcalcus Leodienſis Canonicus & Diaconus. 201
Ambroſius Autpertus Abbas. 202
780 Aribo Friſingenſis Epiſcopus. 205
790 Donatus Metenſis Diaconus. 206
Georgius Monachus Conſtantinopolitanus. 206
Dacrianus Abbas ſuppoſititius. 207
800 Paulus Vvarnefridi Monachus Caſſinenſis. 208
Paulinus Aquileienſis Epiſcopus. 209
Albinus Flaccus Alchuinus. 210
Ludgerus Monaſterienſis Epiſcopus. 213
Arno Salisburgenſis Archiepiſcopus. 214
Ethelvolfus, Monachus Anglus. 215
810 Tilpinus Remenſis Archiepiſcopus. 215
Leidradus Lugdunenſis Archiepiſcopus. 215
Odilbertus Mediolanenſis Archiepiſcopus. 216
Amalharius Treverenſis Archiepiſcopus. 216

Carolus Magnus Rex Francorum & Imperator. 216
Theophanes Monachus & Agri Abbas. 219
820 Benedictus, Fundator Anianæ & primus Abbas. 220
Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus. 221
Sedulius junior, natione Scotus. 221
Eigil Fuldenſis Abbas. 223
Candidus Fuldenſis Monachus. 224
Claudius Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopus. 224
Adalhardus Abbas Corbeienſis in Gallia. 225
Joſephus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus. 226
Anſegiſus Abbas Fontanellenſis. 227
Vulfinus Boëtius, Pictavienſis Epiſcopus. 229
830 Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus. 229
Amalharius Metenſis Diaconus & Abbas. 230
Frotarius Tullenſis Epiſcopus. 231
Hildemarus Gallus Monachus. 231
Theoſtericus Monachus. 232
Hatto Baſileenſis Epiſcopus. 232
Theganus Treverenſis Eccleſiæ Corepiſcopus. 233
Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus. 234
Modoïnus Auguſtodunenſis Epiſcopus. 235
840 Jonas Aurelianenſis Epiſcopus. 236
Ardo Smaragdus, Anianæ Monachus. 236
Smaragdus Abbas Sancti Michaelis ad Moſam. 237
Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus. 237
Ermanricus Elevvangenſis Abbas, 238
Amulo Lugdunenſis Archiepiſcopus. 239
Altfridus Epiſcopus Monaſterienſis. 241
Paſchaſius Rathbertus Abbas Corbeienſis. 241

850 Haimo Halberſtatenſis Epiſcopus. 242
Lupus Ferrarienſis Abbas. 242
Vvandalbertus Prumienſis Monachus. 243
Florus Lugdunenſis Diaconus. 244
Rhabanus Moguntinenſis Archiepiſcopus. 247
Alvarus Cordubenſis. 249
Vvalafridus Strabus Augienſis Abbas. 249
Prudentius Galindus Trecenſis Epiſcopus. 250
860 Ratramnus Corbeïenſis Monachus. 251
Æneas Pariſienſis Epiſcopus. 252
Rodulfus Fuldenſis Monachus. 253
Iſo Sancti Galli Monachus. 254
Othelgrimus Vvertinenſis Monachus. 254
Ermentarius Abbas Trenorchienſis. 255
Milo Sancti Amandi Monachus. 255
Gotteſcalcus Orbaci Monachus. 258
870 Theodorus Abucara Cariæ Archiepiſcopus. 259
Petrus Siculus. 260
Aimoinus Sancti Germani Monachus. 261
Joannes S. Romanæ Eccleſiæ Diaconus. 262
Ælfredus Anglorum Rex. 263
Iſaac Lingonenſis Epiſcopus. 264
Gerardus Turonenſis Archiepiſcopus. 265
Vvalterus Aurelianenſis Epiſcopus. 266
Vulfadus Bituricenſis Archiepiſcopus. 266
Remigius Lugdunenſis Archiepiſcopus. 267
Uſuardus S. Germani Pariſienſis Monachus. 274
Carolus Calvus Francorum Rex. 276
880 Nicetas Paphlago, cognomine David. 277
Theophanes Cerameus Epiſcopus. 278
Herricus Antiſſidorenſis Monachus. 279
Georgius Conſtantinopolitanus Monachus. 280
Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus. 281

Joannes Scotus Erigena Anglus. 282
Photius Patriarcha Constantinopolitanus. 284
Adelhelmus Sagiensis Episcopus, 289
Rembertus Bremensis Archiepiscopus. 290
Herempertus Cassinensis Monachus. 290
890 Guillelmus Sanctæ R. Ecclesiæ Bibliothecarius. 291
Altmannus Altivillaris Monachus. 291
Joannes Constantinopolitanus Diaconus. 292
Abbo S. Germani Parisiensis Monachus. 292
Vvolfhardus Hasenrietanus Monachus. 293
Hugbaldus Elnonensis Monachus. 293
900 Auxilius Presbyter. 295
Joannes Asserus Schireburgensis Episcopus. 295
Adrevaldus Floriacensis Monachus. 296
Vvaltrannus Argentinensis Episcopus. 297
Salomon Constantiensis Episcopus. 297
Regino Abbas Prumiensis. 297
910 Aretas Cæsariensis Presbyter. 298
Notkerus Balbulus S. Galli Monachus. 300
Stephanus Leodiensis Episcopus. 300
920 Bertharius Virdunensis Presbyter. 300
Herivæus Remensis Archiepiscopus. 301
Odilo S. Medardi Suessione Monachus. 302
Vvalterius Senonensis Archiepiscopus. 302
950 Bernerus Abbas Humolariensis. 303
Joannes Italus Ticini Monachus. 304
960 Fridegodus Anglus Diaconus. 305
Adso Monachus & Abbas Luxovienſis. 305
Atto Vercellensis Episcopus. 305
Rotgerus Sancti Pantaleonis Monachus. 306
Ratherius Veronensis Episcopus. 307
980 Adso Dervensis Abbas. 308
Gerardus Presbyter Augustanus. 309

Gebehardus Episcopus Augustanus. 309
Joannes Abbas S. Arnulphi Metensis. 310
Helpericus S. Galli Monachus & Decanus. 311
Rosvveita Gandersheimensis Monialis. 311
Hartmannus Sancti Galli Monachus. 312
990 Gerbertus Papa Romanus. 312
Fulcuinus Laubiensis Abbas. 313
Letaldus Miciacensis Monachus. 314
Dudo sancti Quintini Veromandensis Decanus. 315
1000 Aimoinus Floriacensis Monachus. 315
Abbo Floriacensis Abbas & Martyr. 317
Notgerus Leodiensis Episcopus. 319
Harigerus Laubiensis Abbas. 320
1010 Megenfridus Fuldensis Monachus. 321
Syrus Cluniacensis Monachus. 321
1020 Osbernus Cantuariensis Ecclesiæ Monachus. 322
Osbertus Monachus Anglus anno 1100, sed cum Osberno. 322
Tangmarus Hildesheimensis Decanus. 323
Arnolfus Ratisponensis Monachus. 323
Adelboldus Ultrajectensis Episcopus. 324
Dithmarus Merseburgensis Episcopus. 325
1030 Adelmarus Engolismensis Monachus. 326
Guido Aretinus Monachus, in Italia. 326
Berno Augiæ Divitis Abbas. 327
Odorannus S. Petri Senonensis Monachus. 327
1040 Bruno Herbipolensis Episcopus. 328
Anselmus Leodiensis Canonicus. 329
Hugo Lingonensis Episcopus. 329
1050 Hepidannus Sancti Galli Monachus. 330
Gualdo Corbeïensis in Gallia Monachus. 330
Drogo Morinensis Episcopus. 331

Helgaldus Floriacenſis Monachus. 331
Vvitpo Presbyter Germanus. 331
Evervinus Theologienſis Abbas. 332
Evershelmus Altimontenſis Abbas. 332
Deoduinus Leodienſis Epiſcopus. 333
1060 Vvibertus Tullenſis Archidiaconus. 333
Metellus Tegerſeenſis Monachus. 334
Joannes Xiphilinus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 334
Durandus Troarnenſis Abbas. 335
1070 Gerardus Abbas ſancti Vincentii Laudunenſis. 337
Conrardus Ultrajectenſis Epiſcopus. 338
Gregorius Papa ſeptimus. 339
Benno S. R. Eccleſiæ Cardinalis. 339
Michael Pſellus, Græcus Philoſophus. 341
Vvilleramus Abbas Merſeburgenſis. 343
1080 Urſio Altimontanus Abbas. 343
Deſiderius Abbas Caſſinenſis, poſtea Victor Papa tertius. 344
Joannes Scylitzes Curopalates. 344
Theophylactus Acridæ in Bulgaria Archiepiſcopus. 345
Anſelmus Mantuanus, Lucæ Epiſcopus. 345
Deuſdedit S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. 346
Gregorius S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. 346
Paulus Benriedenſis Præpoſitus Canonicorum Regularium. 347
Micrologus Operis, non Auctoris nomen. 347
Robertus Baiocenſis in Normannia Abbas. 348
1090 Conradus Bruvillarenſis Monachus. 349
Gaufredus à Malaterra Monachus. 350
Guillelmus Appulus Hiſtoricus. 351
Bertoldus ſeu Bernoldus Presbyter Conſtan-

tienſis. 351
Nalgodus Cluniacenſis Monachus. 352
Othlonus Ord. D. Benedicti Monachus. 353
Gillebertus Lunicenſis in Hybernia Epiſcopus. 353
1100 Radulfus Ardens Pictavinus. 354
Theodoricus Sancti Trudonis Abbas. 354
Hugo Flaviniacenſis in Burgundia Abbas. 356
Lupus Protoſpata Appulus. 356
Hariulfus Aldemburgenſis Abbas. 356
Petrus Tudebodus Sivracenſis Presbyter. 357
Raymundus de Agiles Canonicus Podienſis. 357
Yvo Carnotenſis Epiſcopus. 358
Philippus, Solitarius Græcus. 364
Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus. 365
Stephanus S. Jacobi Leodienſis Abbas. 365
Anſcherus S. Richarii ſeu Centulenſis Abbas. 65
Theofridus Abbas Epternacenſis. 366
1110 Franco Afflighemienſis Abbas. 366
Gotſelinus Cantuarienſis Monachus. 367
Guillelmus de Campellis Catalaunenſis Epiſcopus. 368
Baldricus Noviomenſis & Tornacenſis Epiſcopus. 372
Alulfus S. Martini Tornacenſis Monachus. 373
Udaſcalcus Auguſtanus Monachus. 373
Hugo à S. Maria Floriacenſis Monachus. 373
Turgotus Dunelmenſis Monachus. 374
Rodulfus Sancti Trudonis Abbas. 375
Gilbertus Abbas Vveſtmonaſterienſis. 375
Florenrius Bavonius Vigornienſis Monachus. 376

Petrus Honestus, Abbas Sanctæ Mariæ de Portu. 377
1120 Pandulfus Pisanus. 377
Anna Commena Constantinopolitana. 377
Laurentius Dunelmensis Monachus. 378
Thomas Eliensis in Anglia Monachus. 379
Gualterus Tarvanensis Ecclesiæ Canonicus. 379
Robertus S. Remigii Remensis Monachus. 380
Albertus Aquisgranensis Canonicus & Sacrista. 380
Theobaudus Besuensis in Burgundia Monachus. 381
Ernulfus Roffensis in Anglia Episcopus. 381
Michael Glycas Siculus. 382
Eadmerus Cantuariensis Ecclesiæ Monachus. 383
Nicolaus S. Lamberti Leodiensis Canonicus. 383
Domnizo Italus Presbyter. 384
Hesso Canonicus & Scholasticus Remensis. 385
Lietbertus Abbas S. Rufi prope Valentiam. 385
Hermannus Abbas S. Martini Tornacensis. 385
Marbodus Redonensis Episcopus. 386
Guibertus Abbas B. Mariæ de Novigento. 387
Bruno Signiensis in Italia Episcopus. 389
Guillelmus Malmesburiensis Monachus. 389
Hugo Metellus Canonicus Ordinis Divi Augustini. 389
Gualterus Marchianensis Monachus. 390
Stephanus Augustodunensis Episcopus. 390
Simeon Dunelmensis Monachus. 391
Raynerus S. Laurentii Leodiensis Monachus. 391
Cosmas Pragensis Ecclesiæ Decanus. 392
Rainaldus Lugdunensis Archiepiscopus. 392
1130 Hugo de Folieto, Corbeiensis Monachus. 392

Guillelmus Gemmeticenſis Monachus. 393
Fulcherius Carnotenſis Presbyter. 393
Hervæus Burgidolenſis Monachus. 394
Algerus Cluniacenſis Monachus. 395
Udalricus Conſtantienſis in Germania Epiſcopus. 396
Iſaac Monachus Syrus. 396
Baldricus Dolenſis Archiepiſcopus. 397
Stephanus Hardingus Ciſtercienſis Abbas. 398
Rupertus Abbas Tuitienſis juxta Coloniam. 398
Gaufridus Groſſus Tironenſis Monachus. 399
Anſelmus Abbas Gemblacenſis. 399
Guigo Quintus majoris Carthuſiæ Prior. 400
Drogo Sancti Joannis Laudunenſis Abbas. 400
1140 Hugo Canonicus S. Victoris Pariſ. 401
Antonius Meliſſa, Monachus Græcus. 409
Falco Beneventanus, Hiſtoricus. 409
Ordericus Vitalis S. Ebrulfi Monachus. 410
Lucas Abbas Sancti Cornelii Leodienſis. 410
Hugo Farſitus Abbas Canonicorum Regularium 411
Robertus Retenenſis, Pampelonæ Archidiaconus. 411
Petrus Abaelardus Monachus & Abbas. 412
1150 Joannes Burgundio, Civis Piſanus. 414
Teulfus Morigniacenſis Monachus. 414
Conſtantinus Manaſſes Hiſtoricus Græcus. 414
Conſtantinus Harmenopulus Sebaſtus. 415
Arſenius Monachus in Monte Athos. 416
Simeon Junior, cognomento Magiſter & Logotheta. 416
Galfridus Aſaphenſis in Cambria Epiſcopus. 417

Sugerius Abbas S. Dionysii in Francia. 418
Ogerius Abbas de Lucedio in Sabaudia. 419
Guido Abbas Cariloci in Burgundia. 419
Odo Abbas Morimundi Ord. Cisterciensis, 420
Gilbertus de Porreta Pictaviensis Episcopus. 420
Alexander Abbas Vallis-Celesinæ. 422
Joannes Majoris Monasterii Monachus. 422
Vvolbero Abbas Sancti Pantaleonis. 422
Joannes Prior Hagulstadensis, Ord. Divi Augustini. 422
Hugo Monachus Abbatiæ Vezeliacensis. 423
Bernardus Morlavensis, Monachus Cluniacensis. 423
Serlo Abbas Savigniacensis. 423
